SPICILEGIUM
ROMANUM.

SPICILEGIUM
ROMANUM.

TOMUS X.

SYNODUS CPOLITANA, CONSTANTINUS DIACONUS,
SEVERUS ANT., LEONTIUS, NICEPHORUS PATR.,
NICOLAUS I. PATR., PHOTIUS AD ARMENIOS,
ET MINORA ALIA.
POGGII EPISTOLARUM CENTURIA ET ORATIO.

ROMAE,
TYPIS COLLEGII URBANI
M.DCCC.XLIV.

EDITORIS PRAEFATIO.

DE SYNODO CONSTANTINOPOLITANA.

I. Quod christianae religioni bonum faustumque sit, duas graecae ecclesiae synodos orthodoxas, quae in codicibus diu latuerant, ad publicum usum detulimus: alteram scilicet, anno MCLXVI. Constantinopoli celebratam, edidimus in quarto Scriptorum veterum volumine; eaque a futuris Conciliorum editoribus, illic collocabitur ubi hactenus in Coleti novissima apud Zattam veneta editione T. XXII. p. 2. nonnisi brevis notitia eiusdem synodi legebatur ex Allatii testimonio delibata. Alteram vero, et quidem decennio ante, id est anno MCLVI. Constantinopoli item habitam, in praesenti Spicilegii tomo vulgamus, ex inedita Nicetae choniatae panoplia sumptam: quae pariter in Conciliorum volumen XXI. p. 838. inserenda posthinc erit, ubi praedicti nuper Allatii de ea testantis verba leguntur. Synodum hanc memorarunt, ex priscis quidem Ephraemius chronographus a nobis item editus vers. 4746. seqq.; Iohannes Cinnamus hist. lib. IV; et Nicetas ipse choniata non in panoplia tantummodo, verum etiam in historia lib. VII: ex recentioribus autem Allatius in praefatione ad excerpta rhetorum, item in vindiciis synodi ephesinae p. 583, denique in palmario opere de consensu utriusque ecclesiae lib. II. cap. 12. p. 691; nec non Lequinius Or. christ. in patriarchis antiochenis T. II. p. 758. (ubi corrigendum an. 1156. pro 1155.) Res vero ipsa haud prolixam a nobis postulat expositionem, quia et in elegante qui praeit dialogo, et ipso synodi ingressu ac progressu tractatio tota perspicue cognoscitur: quomodo scilicet Soterichus constantinopolitanus diaconus, doctus cum primis vir, et patriarcha antiochenus nuper electus, conspirantibus secum nonnul-

lis, falsum dogma in vulgus sparserit, quod nempe dominus Iesus crucis mortisque suae sacrificium Patri tantummodo et Spiritui sancto, non autem sibi quoque tamquam Deo obtulerit. Occasio vero erroris Soterícho fuit vanus timor, quod qui contra iudicarent, ii viderentur duplicem in Christo personam agnoscere, humanam videlicet offerentem, divinam autem suscipientem; quod priscam Nestorii haeresim redoleret. Verumtamen doctrina Soterichi quum episcopis meliora sentientibus insana merito visa fuisset, neque tamen eius auctor vel libenter vel satis sincere damnanti synodo adsentiretur; dogma quidem orthodoxum more prisco canonice definitum fuit, Soterichus autem ab antiochena sede occupanda prohibitus fuit, immo officio sacro ac dignitate deiectus.

II. Profecto huius synodi dignitas satis constat, tum ex dogmatis gravitate, tum ex consessus nobilissimi maiestate, in quo fuerunt Manuel Comnenus imperator cum principibus et praecipuis aulicis ac senatoribus, patriarchae duo, byzantynus et hierosolymitanus, metropolitani atque episcopi ferme quadraginta, praeter alios multos in ecclesiasticis officiis constitutos. Iam in patrum, quae pro adserendo dogmate laudantur auctoritatibus, nonnullae quoque ineditae occurrunt, tum antiquorum nonnullorum, tum vero etiam recentiorum veluti Photii, Leonis bulgarici, Eustratii nicaeni. Saepe ego animadverti, opus Lequinii celebre, quod inscribitur Oriens christianus, sive ob argumenti sui amplitudinem, sive potius quia est posthumum, ideoque postremas auctoris curas desideravit, valde imperfectos et breves exhibere episcoporum catalogos, quorum ego aliquando defectus pro re nata supplevi: praeter quam quod ipsae quoque sedes haud paucae a Lequinio praetermittuntur. Videant ergo pro sua sedulitate et doctrina lectores, quot nomina episcoporum tum ex his duabus synodis constantinopolitanis, tum etiam ex Nicolai mystici epistolis, de quibus postea loquemur, Orienti christiano adiici possint. Hanc ego super Soterichi negotio synodum, cum praecedente dialogo, ex prisco Nicetae codice exscripsi, bombycinis chartis constante, litteris aliquoties ob vetustatem evanescentibus: totamque lucubrationem in sectiones,

prout visum est, distinctam, eorum in gratiam qui graece nesciunt feci latinam, paucisque insuper scholiis exornavi. Postremo, nequem honore debito fraudem, dicendum est, virum doctissimum Frid. Tafelium, libris multis editis celebrem, decennio ante, partem huius synodi ex parisiaco codice ad se submissam, Tubingae apud Suevos in actis academicis cum praevio commentario edidisse. Et dialogus quidem apud eum integer legitur: verum ipsius synodi nonnisi partes modicae et interruptae, quae subscriptionibus quoque episcoporum destituuntur; neque enim ulterius quicquam a parisiacis pluteis impetravit. Igitur operae pretium erat, hanc ope codicis vaticani integram synodum Conciliorum collectionibus nunc demum adiungere.

DE ORATIONE PANEGYRICA IN OMNES MARTYRES.

III. In synodo generali septima, Nicaena in urbe anno DCCLXXXVII. pro adserendo sanctarum imaginum honore celebrata, recitatum fuit (ut infra diximus p. 120) fragmentum ex Constantini diaconi et chartophylacis ecclesiae constantinopolitanae, panegyrica oratione in omnes martyres. Tam prisci temporis auctor, ab oecumenica synodo ceu grave testimonium fideque dignum, in medium adductus, mentem meam ad vestigandum impulit, num in vaticanis forte codicibus (hoc est in litterario orbis terrae thesauro) conservaretur; id quod reapse haud temerario ausu speravi: etenim primo hunc inveni sermonem longissimum in codice saeculi ferme decimi, pulcherrimis litteris scripto; sed tamen aliquid in calce deerat, consumptis edacitate temporis membranis. Deinde ne quid bono inventui deesset, alium codicem duobus circiter saeculis posteriorem offendi, in quo integer sermo continebatur. Pars itaque editionis nostrae maior ex nobiliore codice fluxit, minor vel potius minima ex recentiore. Iam de auctore Constantino nihil habeo quod dicam, quandoquidem ne Allatius quidem, qui primus eius meminit in diatriba de Simeonibus p. 81, nullam eiusdem notitiam tradidit. Ceteroqui is videtur iustinianaei circiter aevi homo, id

est ducentis fere annis antiquior synodo a qua laudatur: nam nec veri simile, ut reor, videtur, recentissimi hominis auctoritatem a synodo fuisse invocatam. Ipsa vero panegyrica oratio qualis sit, liber noster iam demonstrat, quam ut omnes cognoscant, latinitate quoque donavimus. Propositum auctori est, ex infinitis martyrum, quae circumferebantur, actis summariam quandam conficere historiam persecutionum: exin quaestiones apud ethnica tribunalia institutas, nec non martyrum cum iudicibus disputationes haud sine eloquentiae vigore agitatas referre: mox innumera cruciatuum genera graphice exponere, miramque martyrum fortitudinem celebrare, preces quoque ipsorum ad Deum opemque impetratam narrare, epinicium denique velut carmen concinere, et felicium pugilum iam caelo receptorum intercessionem pro laborante ecclesia implorare. Haec summa constantinianae orationis est, quam nos martyrum gloriae dicandam censuimus.

DE SEVERI ANTIOCHENI SCRIPTIS ALIQUOT.

IV. Severi patriarchae antiocheni, sub Anastasio praesertim imperatore clari, opus luculentum contra Iulianum halicarnassensem, incorrupticolarum haereticorum antesignanum, me habere in manibus, dixi olim Script. vet. T. IX. praef. p. XXIV, in syriacis vaticanae bibliothecae codicibus observatum. Id opus duplici tractatu constat, quorum priorem mihi a cl. viro maronita Franc. Mehasebo explicatum, eatenus latine scripsi ad litteram, donec ob eius prolixitatem visum est parcendum tempori, et eius, nec non posterioris, tantummodo edenda excerpta quae ineditos patrum (quos inter Cyrilli) locos continebant a p. 194. ad 200. Operosam hanc esse Severi lucubrationem, et theologis valde utilem, nemo negabit. Porro nihil aio sive de Severi eiusdem, sive de Iuliani halic. graecis fragmentis nunc primum impressis; nihil insuper moneo de praedicti Severi egregia homilia, nec non de alia minore Severiani, quia scripta haec suo quodque loco idoneis prologis comitatus sum. Ceteroqui ego edendorum Severi scriptorum, quatenus saltem catholico dogmati

vel historiae sunt profutura, nondum finem feci: abundant enim haec in syriacis et arabicis codicibus, nec non etiam in copticis (31. 34. 62): quod quia vocabulum attigi, subit animum cohortari iuniores qui adolescunt copticismi alumnos, ut duce catalogo satis accurato, quem aegyptiacae linguae codicum vatt. nos divulgavimus, ineditorum editionem adgrediantur; ut primo quidem linguam ipsam plurimo vocabulorum numero in lexicis augeant; deinde res ipsas (quamquam Aegyptiorum copiolae non sunt graecis et orientalibus comparandae) quotquot frugi sunt luce publica illustrent. Me certe patrum sermones peculiariter invitabant: ecce enim huic Spicilegio patriarcharum Alexandri et Theodosii fragmenta inserui, quorum integrae homiliae in copticis mss. occurrunt. S. Petri martyrium addidi, quod idem scribitur in codice coptico 62, cum panegyrica in martyrem oratione; et cum ipsius ad divites monitis cod. 61. Serapionis longam atque egregiam ad monachos epistolam graece latineque lectoribus obtuli: porro idem Serapion in cod. 59. magni Antonii discipulus dicitur (ad quam ego reapse aetatem illum retuli) et Macarii vita ab eodem composita, cum duabus laudationibus, praedicto codice continetur.

DE LEONTII ET NICEPHORI GRAECIS OPUSCULIS.

V. Leontii monachi, in theologica scientia aevo suo facile principis, tractatus quinque contra Nestorianos, Eutychianos, Severum, Incorrupticolas, et Apollinaristas, insertis priscorum patrum testimoniis, latine extabant apud Canisium, Fr. Turriano interprete. Etsi autem canisianos tomos compluribus graecis textibus Basnagius ornavit, hos tamen Leontii libros, defectu graeci exemplaris, in sua iacere latinitate permisit. Ego vero, qui iamdiu Leontium diligere coeperam, propter eius novas quas alio tempore edidi lucubrationes, nactus demum horum quoque tractatuum graecum codicem, priscum, integrum, atque perrarum, qui fuit olim Cardinalis Salviati, deinde gentis Columnensis, et me postremo ante hos annos praeside ad bibliothecam vaticanam

pretio translatus est; cepi consilium graeci textus elegantis oppido et puri typis imprimendi: qua in re tum aliis commodis (legesis p. 151.) tum securitati praesertim servire me arbitror: nam si forte casu aliquo vaticanus codex periret, non facile alibi id iacturae genus repararetur. Par causa me impulit, ut duos simul Nicephori patriarchae commentariolos graece imprimerem contra Iconomachos, quorum neque nonnisi latina Turriani interpretatio apud eundem Canisium extabat.

DE NICOLAI I. PATRIARCHAE EPISTOLIS.

VI. Post romanorum Pontificum scripta, de quibus alio tempore sermo erit, curae mihi fuit ut in codicibus, saltem obiter et pro re nata, patriarcharum qui orientales sedes tenuerunt, scripta rimarer, quae reapse multa mihi se obtulerunt, nondum collecta neque typis impressa, eorumque aliquam partem in editionibus meis collocavi; nempe Alexandriae patriarcharum Alexandri, Cyrilli, Eulogii, Theodosii, Timothei, et eius de quo controversia est Eusebii: Antiochiae, Anastasii, Gregorii, Ephraemii, Severi: Hierosolymorum Sophronii: Constantinopoleos Iohannis chrysostomi, Procli, Eutychii, Germani I, Nicephori I, Methodii I, Photii, Nicolai I, et Michaëlis III. (Ad Eutychium quod attinet, pulchram habeo quam cum lectoribus meis communicem observationem, nempe quod illa tria fragmenta a me diversis temporibus ex vaticanis patrum catenis sumpta, unam constituunt et quidem continuam orationem; ita ut fragmentum illud quod in class. AA. T. X. p. 493. desinit in voce φυράματος, connectendum prorsus sit cum altero quod in Script. vet. T. IX. p. 623. incipit οὐκέτι τοίνυν δράγματος προσαγωγή. Hoc autem rursus fragmentum continuatur a tertio, quod ibidem p. 624. incipit τὸ γὰρ πιεῖν; ex quo fit ut satis spatiosum habeamus ac pretiosum Eutychii patriarchae de sacramento eucharistiae segmentum.) Patriarcharum quidem alexandrinorum et antiochenorum plurima sunt, in orientalibus praecipue vatt. codicibus, veluti in illo cui titulus *fides patrum*.

Hierosolymitanorum haud tantus est numerus. Constantinopolitanorum denique ex graecis codicibus multos mihi ineditorum scriptorum titulos adnotavi, quos si nunc velim recitare, nimius ac prope importunus sim. Quod igitur nunc fieri poterat, unum selegi, Nicolaum I. patriarcham, cuius iam aliud breve scriptum de christianae vel potius monasticae vitae ratione ante hos annos protuli in praedicto Script. vet. T. IX. p. 611-618; nunc autem epistolas plurimas eius animoso editionis consilio in publicum efferam.

VII. Nicolaus hic sub Leone sapiente imp. ad patriarchalem sedem evectus fuit anno DCCCXCV., quadriennio post Photii obitum. Idem post novennium (aut post annos XI, ut dicitur apud Leunclavium in iure gr. rom. p. 301.) a Leone praedicto, cui in quartarum nuptiarum negotio adversabatur, sede pulsus est, quam nonnisi anno DCCCCXI. sub Alexandro Leonis demortui fratre recuperavit; donec anno DCCCCXXV. obiit, decursis in episcopatus regimine (subducta exilii intercapedine) annis tribus supra viginti. Ab Ephraemio chronographo v. 10050. seqq. dicitur ante episcopatum monachus pius, sapiens, magna fama praeditus, et byzantina sede dignus, quam priusquam occuparet, officium mystici gesserat (quod ei cognominis instar inhaesit) id est, ut vulgo intelligitur, sanctiori consilio aulico a secretis fuerat. Ab eodem Ephraemio dicitur gente italus, et a natura comparatus ad eloquentiam, ἰχφὺς Ἰταλῶν, εὐφυὴς περὶ λόγους. Nicolaum hunc sancti titulo donatum video a Baronio in annalibus, et a Bollandianis, Cupero scilicet in patriarchis constantinop., et Henschenio in actis Sanctorum die XV. maii, qui postremus acta eius, ex Leone praesertim grammatico hausta, accurate scripsit. Ne quid dicam de laude sanctitatis in Nicolaum a Graecis passim cumulata. Sane rigidum vitae genus, cuius argumentum est tractatus eius a nobis retro memoratus et editus, pastoralis insuper eiusdem zelus, constantia, et eximia caritas, merito opinionem sanctitatis Nicolao conciliasse videntur. Nunc ei rei negotium facessere nonnulli haud absurde credent, quod in secunda ad principem saracenum epistola honorifice Photium appellat. Verumtamen id more for-

tasse Graecorum fit, apud quos Photius insignem doctrinae suae memoriam reliquit: deinde eumdem multo ante obitum cum papa Iohanne reconciliatum scimus: denique ut cum reverentia de Photio loqueretur, pietas quaedam suasit, quia se presbyteralem ab eo recepisse consecrationem his verbis innuit: ὁ ἀοίδιμος Φώτιος ὁ ἐμὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ πατήρ. Causa vero nominandi Photium haec fuit, quod is quum patriarcha esset, singulari benivolentia cum saraceni principis, cui Nicolaus scribit, patre devinctus fuisset. Ceteroqui sub Leone imp., quo tempore patriarcha fuit Nicolaus, pacem dogmaticam (excepta quartarum nuptiarum controversia disciplinari) inter ecclesias romanam ac byzantinam fuisse, apparet passim in his epistolis, nominatimque in LXXV. p. 350: *exploratum tibi est, tempore domini Leonis, Papam et qui ei adhaerebant, ad concordiam coniunctionemque cum ecclesia nostra devenisse; quumque alta pax esset* etc. Igitur dissidium ac prope schisma, quod haud semel in aliis epistolarum locis memoratur, inter ipsos saepius vertitur Graecos, quorum pars quartis nuptiis, aeque ac Romani, favebat. Interdum tamen cum Romanis quoque contenditur, praesertim in XXXII. grandi epistola, qui Leoni imp. adversus suum patriarcham suppetias, legatione missa, tulerant. Sed de his infra.

VIII. Ob hanc brevem de Nicolao absolvendam notitiam; unum mihi nominandum superest documentum, ceteris biographis ignoratum propterea quod in ms. codice latet vat. ottob. CXLVII. p. 132. seqq. hoc titulo: ἐκφώνησις Λέοντι τῷ εὐσεβεῖ βασιλεῖ ἐπὶ χειροτονίᾳ Νικολάου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου· ᾠκονόμηται δὲ ὡς αὐτοσχεδιασθεῖσα: *oratio ad Leonem religiosum imperatorem in ordinatione Nicolai sanctissimi patriarchae. Habet autem formam dictionis extemporalis.* Sane nec elegans est haec oratio, nec gravioris momenti, neque digna mihi visa est, quae fieret comes disertarum atque elegantium Nicolai epistolarum. Collaudantur in ea Leo imp. et Nicolaus. Aliter tamen iudicabam de fidei professione a Nicolao, dum ordinaretur, publice recitata, et praedicto sermoni adnexa, quae religiosae historiae multo

utilior est, tum quia byzantinae ecclesiae praxim in suorum antistitum inauguratione demonstrat, tum quia perspicua praecipuorum dogmatum expositio est. Utique Leunclavius, si ei comperta fuisset, hanc in graecum ius transtulisset. Etenim illa quam habet p. 440, diversa omnino breviorque est: Vaticana inscribitur σύμβολον πίστεως ἐπιδοθὲν ἐπὶ τῇ τῆς ἐπισκοπῆς Νικολάου προχειρήσει. Post prohoemium ad praesentes episcopos, profitetur Nicolaus fidem suam de Trinitate satis subtiliter et enucleate, nulla facta mentione de controversia cum Latinis circa Spiritus sancti processionem. Transit mox ad Domini incarnationem quam aeque contra varios errores diligenter exponit. Postremo septem oecumenicarum, quas recenset, synodorum definitionibus adhaerere se confitetur. De sexta quidem synodo haec ait: τῶν τὸ ἀνούστατον καὶ τοῖς εὐσεβέσιν ἀθέλητον, ἓν ἐπὶ τοῦ Θεανθρώπου θέλημα, Σεργίου καὶ Πύῤῥου καὶ Κύρου, ὅσους τε ἄλλους τὸ πονηρὸν συνεκρότησαν ἐργαστήριον ἀθετησάντων: *assentior patribus, qui stultum et orthodoxorum voluntati repugnans figmentum unius in Deo humanato voluntatis aboleverunt, Sergii inquam et Pyrrhi ac Cyri, et aliorum quorumvis pravum errorem.* Animadvertat hic quisquis non partium sed veritatis studio ducitur, duos Nicolaum decessores suos patriarchas, tertium autem alexandrinum inter damnatos haereticos nominare, Honorii vero romani nullam mentionem facere, de quo tamen reticere non poterat si reapse in actis authenticis sextae synodi nomen eius scriptum fuisset. Hanc Honorii omissionem in epistola quoque synodica S. Sophronii (quae lecta fuit in sexto concilio) prorsus fieri, iam ego dixi in adnotatione ad Nicetae thesaurum Spicil. T. IV. p. 465. Item in libello Graecorum synodico haud scribi cum praedictis Honorii nomen, dixi in adnot. ad photianum syntagma canonum in Spicil. T. VII. p. 5. Quod si S. Germanus de haer. et syn. apud nos tomo eodem part. 1. p. 52. Honorium quoque collocat cum damnatis monothelitis, nonne vel ipse deceptus fuit, vel eiusdem fortasse scriptum interpolatum? Et quidem Germani libellus privati scripti vim habet; at Sophronii epistola, et Nicolai professio, publicam ecclesiae auctoritatem prae se fe-

runt. Haec scripsi haud fremens neque debacchans pro rom. sedis honore, ut de pontificiis scriptoribus ait Cavaeus ad VI. concilium, sed pacificae veritatis ut spero viribus nixus, et intimi sensus testimonio confirmatus. Sed iam ad Nicolai epistolas accedendum est.

IX. Has invenimus centum et sexaginta tres in codice vaticano, quarum (ut suis locis adnotamus) unam graece et latine non plenam Baronius ediderat ad an. 917. (apud nos ep. 28.) alias vero quatuor tantum latine, et quidem mutilas nec satis bene in latinam linguam conversas (quae sunt apud nos epp. 49. 102. 139. 145.) Nam baronianum fragmentum ad ducem Longobardiae dissidet plane a nostra epistola 82; quare aliunde sumptum videtur. Denique apud eundem Baronium ad an. 912. et 916, indeque in collectione labbeana conciliorum T. IX. p. 1264. seq. duae illae leguntur, item latine tantum, ad Papam, quae sunt apud nos graece epp. 32. et 53. Manebat itaque inedita haec Nicolai epistolarum collectio; siquidem septem tantum, et quidem mutilae, una videlicet graece, sex latine, lucem aspexerant. His dictis, sequitur ut editionis nostrae rationem exponamus. Decursis his celeri lectione epistolis, visum est valde utilem fore laborem, si de pluteorum denique claustris protraherentur, praesertim addita interpretatione latina, non sine scholiis saltem historicis. Verumtamen Spicilegio meo iam praefinitum terminum attingente, meque ipso curis multis distento, id saltem non fuit negligendum, ut minutioribus graecis typis cunctae epistolae imprimerentur; ipsarum vero notitia prohoemio aliquo, ut nunc facimus, lectoribus exhiberetur. Etsi igitur prout eae iacent in codice, ita in nostro volumine sine ulla ordinis restitutione apparent; rem tamen attente consideranti, septem fere classes epistolarum harum videntur. 1. Ad principes saracenos. 2. Ad Bulgariae principem et archiepiscopum. 3. Ad rom. Pontificem et eius ecclesiae homines. 4. Ad imperatorem byzantinum, et ad principes Armeniae, Abasgiae, Longobardiae, et Amalpheos. 5. Ad episcopos. 6. Ad magistratus civiles. 7. Ad sacra officia vel monachos, et ad privatos homines vel anonymos.

Classis prima.

X. Duae sunt ad cretensem Amiram, sive principem, epistolae. Cretam insulam iam inde a Michaëlis balbi temporibus, usque ad Nicolai patriarchae et Constantini porphyrogeniti aetatem, immo usque ad Nicephorum Phocam sub saracenis Amiris fuisse, testantur passim historici byzantini, nominatimque Constantinus de admin. imp. cap. 22, et Scriptores post Theophanem ed. paris. p. 185. Cyprum quoque insulam antiquius adhuc, id est trecentis fere ante se annis, stipendiariam factam Saracenis ait Nicolaus p. 163. Reapse sub Heraclio occupatam a Saracenis, deinde a Basilio imp. receptam, moxque iterum sub tributum Saracenorum redactam, narrat Constantinus in thematibus. Sic tamen tum subditam Saracenis cretensibus ait Cyprum Nicolaus p. 166, ut neque propemodum graeco imperio esset obnoxia. Causam vero cypriae recentis calamitatis dicit Damianum apostatam, qui revera factus Tyri Amira, eo tempore obiit, ut narrat cum Nicolao etiam Cedrenus ed. paris. T. II. p. 612. Iam Himerii praefecti maritimi, cuius item meminit Nicolaus, victoriam navalem de Saracenis memorat Zonaras lib. XVI. 14. Epistolarum Nicolai scopus est, ut cretensem exoret Amiram ne in Cyprios immerentes saeviat; atque ut captivorum libertatem, si fieri possit, impetret: quos inter illi praecipue, ut reor, intelliguntur, qui ob horrendum Thessalonicae excidium in potestatem Saracenorum per id tempus venerant, uti legitur apud coaevos historicos Iohannem lectorem, Ioh. Cameniatam, et Demetrium Cydonium. Calamitatis eius etiam in ep. 75. p. 350. meminit Nicolaus. Tertia Nicolai epistola classis huius (apud nos ep. 102) supremo Saracenorum Califo scribitur, qui falso rumore audito, quod Saracenorum oratorium Constantinopoli fuisset dirutum, nonnullique e suis ad islamismum deserendum coacti, iniuriae ulciscendae cupidus, christiana templa in saracenico imperio, propositis edictis, prosterni iusserat; dum crudeliter interim christianos captivos Saraceni tractarent, ita ut et morte damnatos, non

capite plecterent, sed more pecudum iugularent (o tempora! o mores!) vel ligno suspensos lapidum sagittarumve iactu per ludibrium perimerent. Negat igitur Nicolaus et delubrum ullum mahumeticum apud Graecos fuisse deletum, et ullum hominem vi factum christianum: imperatorum denique christianorum clementiam, et perpetuam erga saracenos captivos mansuetudinem praedicat. His et aliis eius generis dictis mollire Califi animum nititur.

Classis secunda.

XI. Sequuntur prolixae ad Simeonem principem bulgarum epistolae viginti sex, quae est pars collectionis huius nobilior, in qua omnes Nicolaus graecanicae eloquentiae, curae pastoralis, ecclesiasticae auctoritatis, zeli eximii, et caritatis christianae vires effundit. Simeon Bulgarorum princeps, Michaëli patri successit, qui ante baptismum fuerat Bogaris, et ad quem Photius praeclaram illam scripsit epistolam, vel potius regiam et christianam institutionem, quae in libris extat. Simeonis patrem falso dicit Vladimirum Cangius in famil. sclav. turc. ed. paris. p. 311, cui Maurini (art de verif. les dates) dubitanter adsentiuntur. Nunc autem Simeonis patrem fuisse Bogarim, id est Michaëlem primum, epistola 25. Nicolai dubitare non sinit, in qua Simeon dicitur secundus Bulgarorum christianus princeps, fitque insignis prosopopeia parentis eius qui christianae religionis fundator apud Bulgaros dicitur. Porro notissimum est Bogarim seu Michaëlem, primum apud illos principem baptismo fuisse lustratum. Qui ergo apud Cangium et Maurinos interponuntur inter Bogarim et Simeonem principes, videlicet Presiamus et Michaël Vorizes, eorum nulla mentio fit vel ratio a Nicolao habetur: cuius rei causam, quae multiplex esse potest, nunc inquirere nolo, ne a meo proposito longius aberrem. Primis igitur Constantini pueri cum Romano Lecapeno imperantis annis, quum Nicolaus praecipuus regii pueri tutor palatium et res publicas magnam partem administraret, secundum iam bellum Simeon bulgarus adversus imperium ge-

rebat, contra foedus pacificum iam olim cum Leone initum (p. 176. 187.), rapinis, caedibus, sacrilegiis, vastitati indulgens, quae mala late describit lugetque summopere patriarcha, propterea quod Bulgari a Graecis non ita pridem baptismo suscepto (p. 202. 206. 279.) parricidiali veluti bello parentes suos fideique auctores persequebantur, christianusque sanguis invicem fusus daemonibus invidis litabatur. Causae belli variae erant (p. 193. seq. 213. 232.) sed ambitio Simeonis praecipua, qui pueritiam Constantini contemnens, imperium affectabat (p. 178. 234. 244. 247. 263. 271.) Romano insuper Lecapeno Simeon irascebatur, qui de tutore imperatorem se fecerat (p. 281.) Quum ergo moenia ipsa Constantinopoleos Bulgarorum arma pulsarent, Nicolaus et regio pupillo et imperio atque ecclesiae consulens, nullum non lapidem movit scribendis tot epistolis, quibus non semel Simeon respondit (p. 185. 200. 219. 231. 236. 247. 250. 265. 269.) mittendis saepe legatis, offerendis utilibus conditionibus, veluti nuptiis cum familia domini Romani (p. 223.), pecunia, multa vestium vi, parte etiam aliqua territorii (p. 235.), poena ecclesiastica, excommunicatione videlicet, non semel indicta (p. 199. 252.), precibus denique, lacrymis, omnique genere affectuum et argumentorum exprompto, ipse postremo legatus accedens (p. 269. 281.) ut Simeonis animum, principis alioqui magnis dotibus praediti (p. 176. 216. 284. 286.) expugnaret; id quod denique impetravit: etenim scimus, Simeonem omisso ad extremum bello, recessisse ab imperii quae insidebat visceribus, et in Bulgariam suam remeasse. Magna certe libertate dicendi, non sine humilitate christiana, utitur in his epistolis Nicolaus: nam et p. 200. sic aperte Simeoni denuntiat: *pater tuus ego sum, velis nolis, licet minimus episcopus, qui certe religionem Dei non negavi: etsi enim forte peccatores episcopi sint, non idcirco vos iudices habent; sed contra episcopi de vobis iudicabunt, si certe Christi oves estis, neque ab eius grege aberrantes.* Neque aliae desunt in his epistolis notitiae, veluti de tyrannis variis byzantinis, de Chosroë persa, de Boga Chersonis praetore, de Gaina gotho et Chrysostomo, de montis Olympi monacho qui per id tem-

pus Abaris Christum praedicavit, de Abarorum exitio, de Patzinacis, de Leone tripolita, Thessalonicae celebri eversore (p. 257.) et deinde apud Lemnum victo. Peculiari autem mentione digna videtur epistola 28, in qua de romanis legatis sermo est, Theophylacto et Caro, cum litteris romani Pontificis (qui erat Iohannes X.) ad aulam byzantinam atque ad Simeonem proficiscentibus; quibus litteris Pontifex iniiciebat Bulgaro anathematis vinculum sibi reservatum, comminans quoque, ut in hodiernis adhuc constitutionibus fit, indignationem apostolorum Petri et Pauli, nisi ab impiis armis recederet. Quamobrem rursus Simeonem Nicolaus orat, ut si minus se, certe sanctissimum Papam (quem sic per antonomasiam appellat heic et ep. 75) revereatur. Putamus autem nullam desiderari Nicolai ad Bulgarum epistolam, quandoquidem trigesimam primam (apud nos) fatetur ipse p. 282. a se ultimam scribi: praeter quam quod post illam in codice legitur *finis epistolarum ad Bulgarum.* Attamen de re bulgarica non ad Simonem tantummodo, verum etiam ad primarium eius administrum scripsit Nicolaus (ep. 13.) rogans ut domino suo pacem suaderet: itemque duas (ep. 4. et 12.) ad Bulgariae archiepiscopum. Vix autem dubito quin hic sit Simeon debeltensis, qui synodo photianae anno 879. interfuerat. (Videsis Coletum Illyr. sacr. T. VIII. p. 207.) Harum in prima de homine loquitur qui ad sacrum apud Graecos asylum confugerat (confer Photium ep. 4.) et quem repetenti Bulgaro tradit Nicolaus, sed cum districto mandato ut impunis illac susque sit. Altera epistola suasoria est, videlicet ut archiepiscopus omni ope contendat apud Simeonem, quô finem molestissimo bello imponat: digna sane lectu epistola propter graves de ecclesiastico officio sententias, et de sacra eucharistia effatum: deplorat enim ecclesias bello pollutas, in quibus *herili praesentia residet sanctum illud et immaculatum corpus ac sanguis, quae qui manducat et bibit, certam propriae sanctificationis spem adipiscitur.*

Classis tertia.

XII. Prima occurrit luculentissima, atque instar tractatus, epistola (32) quam Nicolaus ad romanam ecclesiam vel sub Landone pontifice ut putat Baronius, vel sub Anastasio tertio ut censet Pagius, sed certe post Sergii tertii obitum scribit, qui tamquam beatus tum in hac tum in ep. 53. nominatur, neque de Sergio quicquam iniuriosum scribit, quamquam ipse dispensationem ad quartas nuptias Leoni concesserat. Propositum epistolae est expostulatio ceteroqui non aequa adversus romanam ecclesiam, quae imperatori in causa nuptiarum missis etiam legatis faverat: ex quo evenerat, ut ipse contrariae disciplinae defensor, sede pulsus, substituto Euthymio, fuisset. Multa pro sua sententia dicit Nicolaus, nititurque nominatim canonibus vulgo apostolicis et, Clementis constitutis, quae scripta ut iam notavit Baronius, apocrypha esse scimus: Graeci autem opinionem illam serius exuerunt; nam et Photius in amphilochianis quaestionibus nondum de illis dubitat. Curiosa haec est insignisque epistola tum ob rei perspicuam narrationem, tum etiam ob ecclesiasticae disciplinae notitiam. Namque universa fere orientalis ecclesia quartis nuptiis interdicit. Ecce enim Armeniorum quoque patriarcha Sion, nedum quartas sed tertias etiam vetat nuptias canone XIII. apud nos Script. vet. T. X. part. 2. p. 308. Et Severus syrus patriarcha antiochenus tertias nuptias improbat in sermone priore de sancta Droside, item apud nos op. cit. T. X. p. 753. Denique Abulpharagius, iacobiticae ecclesiae maphrianus seu primas, in Nomocanone a nobis edito Script. vet. T. X. part. 2. p. 64, Graecorum severa statuta de tertiis quartisque nuptiis retinet. Et Nicolaus quidem primo contendebat, ne per indulgentiam quidem imperatori concedendas fuisse quartas nuptias: deinde vero in aliis ad Papam Latinosque litteris, eo demum devenit, ut Leoni peculiares ob causas indulgendum fuisse dicat, ceteris numquam. Postremo haec controversia in graeca ecclesia sub Leonis filio Constantino finita est in synodo περὶ ἑνώσεως

de unione, quae coacta fuit ob conciliandum schisma inter ipsos Graecos, quorum pars romanae sententiae, pars graecae favebat. Etenim constituto sollemni tam ecclesiastico quam civili quartae nuptiae vetitae fuerunt, uti videre est apud Leunclavium in iure gr. rom. T. I. p. 103. Nihilo tamen minus romana ecclesia Pauli apostoli dicto auscultans I. ad Cor. VII. 39: *mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat;* libertatem hanc ab apostolo manifeste concessam nullo limite constringendam putavit. Porro haec controversia, ut quisque agnoscit, disciplinaris tota est non dogmatica. Iam nec Nicolai querela de appellatione Leonis ad Papam, et de Romanorum in hoc negotio interventu, iusta est; quandoquidem ipse romanae ecclesiae primatum, ut aequum est, confitetur προνόμιον ἐκκλησιαστικῆς ὑπεροχῆς (p. 293.) Quod denique quartas nuptias Nicolaus πορνείαν *fornicationem*, vel peius quiddam, audet cum priscis aliquot appellare p. 295, id non aliter intelligo quam de impedimento ut aiunt dirimente, quod auctoritate ecclesiastica interpositum, nullas reapse reddit nuptias, quamdiu tenet; ideoque ipsarum usus a πορνείας labe non differt. Ad historiam vero dupliciuin Valentiniani imp. nuptiarum, quam Nicolaus p. 301. attingit, Socratis sine dubio lib. IV. cap. 31. narratione fretus, nihil ego dicam post illa quae prudentissime more suo disputavit Tillemontius in adn. 28. ad praedicti Caesaris gesta. In duabus reliquis (53. et 56.) ad Iohannem papam epistolis eamdem quidem rem Nicolaus urget, sed tamen ecclesiarum concordiam optare se dicit: quod idem ait etiam in epp. 54. et 55. ad romanos homines scriptis; et Papae nomen in dissidio revulsum, reponendum in diptychis iudicat: rursusque praeteritae indulgentiae connivet, sed disciplinam suam in posterum firme tuetur. Epistola quoque 77. sine dubio ad Papam scribitur vel Landonem vel potius Iohannem X. In ea agitur de pace cum romana ecclesia, quam Nicolaus, post suum ab exilio reditum, et sui cleri schisma sedatum, prorsus componere optat: *ut sit*, inquit, *sicuti a principio, ita et nunc pacis vinculum, et unio romanae ecclesiae cum con-*

stantinopolitana. Illud quoque utiliter in prima ad rom. ecclesiam epistola (p. 290.) adnotabunt eruditi, quod nempe filia Leonis quaedam franco principi desponsa fuisset. Re quippe vera fuit haec nomine Anna, quam Leo ex coniuge secunda susceperat, quamque adultam declaravit augustam post matris obitum, ut palatinis conviviis praeesset, teste Leone grammatico in Leonis sapientis vita ed. paris. p. 481.

Classis quarta.

XIII. Prima huius classis epistola (nobis 86.) ecclesiae oeconomum commendat imperatori, quem Romanum Lecapenum intelligo, nam Constantinus puer erat. In alia Romano caesari missa (95) monet de Bulgaris Lampsacum usque profectis. Tum quaedam suggerit de scriniariis, de recta officiorum promotione, et de iustitia: quo in loco quid vocabulum ῥῶγαι significet non definio, sed ex Lennepii etymologico gr. coniicere licet supplices fuisse libellos vel ipsorum taxam. Tertia epistola (156) consolatoria est ad eundem Romanum imp. in obitu uxoris augustae Theodorae anno DCCCCXXII. Utitur exemplis Aemilii Pauli et Anaxagorae qui orbitatem fortiter pertulerunt. Pulchrae sunt tres epistolae ad Georgium Abasgiorum principem, quarum in prima condolet ei de parentis egregii obitu. In eadem hac aliisque laudat magnopere Georgii virtutes, gratiasque agit ob impensam Alanorum finitimorum conversioni et baptismati curam, eique Alaniae archiepiscopum impense commendat. Georgii huius Abasgiae principis, nec non eius filii Pancratii, res gestas attingit Cedrenus ed. paris T. II. p. 718. 770. Abasgiorum historiam et conversionem ad Christum videsis apud Zonaram lib. XV. 1: apud quem deinde lib. XVI. 9. seq. Georgii clades sub Basilio secundo, et Pancratii filii vices variae narrantur. Circa epistolam (82) ad Landulphum (in titulo corrig. πρίγκιπι.) haec habeo quae dicam. Primo quidem Constantinus in thematibus perspicue docet, quid tum Longobardiae nomine designaretur, nempe provincia circa Neapolim finitimasque urbes, quam appellationem a Longobardis dominis sortita erat.

Constat praeterea Leonem sapientem misso exercitu Beneventum occupavisse. Landulphus autem Constantinopolim a patre Atanulpho missus olim fuerat, et deinde evasit Beneventi dominus. Legatur Viventius hist. neap. ed. sec. T. I. p. 49, nec non Muratorius annal. Ital. ad an. 891. et 909; denique art de verif. les dates in principibus Beneventi. Docet autem nos Nicolai epistola Ursoleonem patricium quemdam in Longobardia pro imperatore praesidem a Landulpho fuisse interfectum, castris eius occupatis; qua de re loquitur etiam in epistola ad episcopum hydruntinum; immo illuc respicit etiam epistola ad Gaedonem protospatharium. Nicolaus vero, etsi rem gestam valde improbat, veniae tamen Landulpho spem iniicit, immo etiam obtinendi Longobardiae praefecturam, modo fidelis imperatori sit. Epistola quoque (85) ad clerum et optimates Longobardiae in eodem negotio versatur: dederat enim operam Landulphus ut causam ipsius ageret clerus apud aulam byzantinam, et se praesidem regionis postularet. Denique ad epistolam 145. quod attinet, scimus Amalphitanam civitatem temporibus illis extera dominatione liberam, per duces suos regi solitam, et Graecis quoque contra italicos Saracenos opem tulisse. Nunc Nicolaus pro captivis christianis ope ducis amalphitani ex barbarorum servitute vindicandis laborat, ob eamque rem pecuniam quoque submittit. Amalphitanum ducem Nicolaus spiritalem filium suum dicit.

XIV. Nicolai ad supremum Armeniorum principem epistola (139) peculiari declaratione ob ecclesiasticam eius gentis historiam digna videtur. Ea scribitur ad Sembatum Asutii filium Bagratunium, quem cum titulo *principis principum* imperitasse Armeniae inter saeculi noni finem ac decimi initium dicit Samuel aniensis in chronico non ignobili, quod nos interprete v. cl. Iohanne Zohrabo Mediolani anno MDCCCXVIII. subtexuimus famosiori illi Eusebii caesariensis chronico, quod ibidem aeque edidimus ex genuino et authentico haicanae linguae codice, quem ipse laudatus Zohrabus Constantinopoli Venetias deportaverat, atque in suum exemplar fideli prorsus collatione transfuderat. Epistolae triplex veluti partitio est: etenim in prima praedicat Nicolaus recti dogmatis (εὐσεβείας)

necessitatem, a quo nonnulli (Armenios intelligit) quum maiorum suorum culpa descivissent, mordicus tamen avitae traditioni adhaerebant: quam rem alienam esse omni officio et prudentia, merito dicit. In altera sectione epistolae narrat, mortuo nuper apud Armenios patriarcha, sive ut vulgo aiunt catholico (qui fuerat Mastosius) Principem armenium per suos apocrisarios significasse Caesari byzantino (qui erat Leo philosophus) nec non graecae ecclesiae, cogitare se de mittendo Constantinopolim illo homine, quem novum patriarcham designaturus erat, ut ibi consecrationem reciperet, et cum graeco clero religiosa consilia misceret. Hanc Principis voluntatem magnopere probat, atque ut sine mora in rem conferatur, Nicolaus hortatur: idque saluti necessarium ait, propterea quod Armenii eatenus ab orthodoxae doctrinae tramite aberraverant. Quo in loco Photii quoque decessoris sui legationem atque epistolam ad Zachariam Armeniorum patriarcham, quam nos in voluminis fine divulgabimus, memorat pro concordia atque ad orthodoxiam reditu: etsi id tentamen ob temporum vicissitudines cassum evasisse ait. In postrema demum parte rem praedictam perorat Nicolaus, valde optans et urgens, ut eligendus praesul sincera ecclesiae doctrina Constantinopoli imbuatur, quò in patriam reversus armeniacum populum haud religione minus quam civili pace Graecis adiungat. Hactenus Nicolai epistola. Verumtamen res multo aliter accidit: patriarcha enim hoc tempore electus, Iohannes sextus fuit, cognomento historicus, qui sedem illam adiit anno DCCCXCVII. Is autem adeo ad concordiam dogmatum non accessit, ut se immo chalcedonensis synodi hostem in historia sua palam profiteatur: et saepe quidem a Constantino imp., per Theodosium legatum, Constantinopolim fuisse invitatum ait, numquam tamen illuc profectum, ne pacis initae vel ineundae cum chalcedonensis synodi adseclis schismaticae genti suae suspicionem praeberet.

Classis quinta.

XV. Episcoporum totius orbis christiani plenam notitiam quandonam collectam habebimus? Orientalium quidem nomina adgressus est enumerare Lequinius in *oriente christiano;* verumtamen, ut retro dixi, unius hominis vires is labor excedebat. Nihilominus maiore adhuc ausu Cardinalis Garampius, dum vaticano tabulario praeerat, opus moliebatur inscriptum *orbis christianus*, cum infinita episcoporum congerie: verumtamen haec quoque lucubratio in schedarum innumerarum acervo ms. iacet. Sed enim illarum quidem regionum, quae peculiares episcopatuum suorum scriptores nactae sunt, facile episcopos, etsi nondum omnes, nanciscimur. Aliarum vero, quae plurimae sunt, regionum episcopos nusquam melius quam in Labbei ad concilia apparatu cognoscimus, apud quem tam generalis quam geographicus episcoporum, qui in collectis ab eo conciliis nominantur, catalogus legitur. Attamen hic quoque numerus quantopere sit imperfectus, quotidie dignoscitur, primo quia nonnisi conciliis nititur, iterum quia concilia ipsa haud omnia neque tunc neque modo sunt cognita: ecce enim nos ipsi incomperta Labbeo duo nuper vulgavimus, cum episcoporum multorum subscriptionibus. Quorsum haec dicimus? Nempe ut quintam epistolarum Nicolai classem hoc saltem titulo commendemus, quod byzantini patriarchatus episcoporum nomina partim inaudita fortasse recitat, partim novo documento confirmata. Nam de singularum epistolarum argumentis brevitatis gratia vix loqui possumus. Quum de Bulgariae archiepiscopo iam retro diximus, reliquos alphabetico ordine prosequemur, quorum siquam notitiam ex Labbeo vel aliunde hausimus, non reticebimus. Ep. 52. 118. 133. 134. 135. Alaniae archiepiscopatus est in Leonis sapientis schematismo apud Leunclavium T. I. p. 88. Alterius recentioris Alaniae archiepiscopi scripta graeca haud paenitenda mihi cognita sunt, quae postea litterario orbi patefaciam. Ep. 65. Amisi Iohannes. Ep. 113. Athenarum Nicetas interfuit concilio constantinop. an. 870. Memo-

ratur etiam eius successor Sabas qui interfuit pseudo-synodo photianae an. 879. Ep. 115. Antiochiae metropolita Euthymius; intellige Pisidiae Antiochiam, quae revera erat metropolis, Labb. ind. geogr. Ep. 114. 128. Chaldiae Basilius; mendum videtur in concilio constantinop. anni 870, ubi Basilius chalcedonensis, fortasse pro chaldiensis. Porro Chaldia fuit unum ex imperii thematibus in pontica regione. Ep. 106. Chersonis archiepiscopus videtur ille Paulus qui hoc titulo subscripsit pseudo-synodo photianae an. 879. Ep. 157. Cyzici Demetrius. Ep. 50. 107. 130. 137. 138. Cyzici metropolita Ignatius. Ep. 93. 113. Claudiopoleos Theoctistus. Ep. 39. 41. 42. 48. 89, 94. 124. 132. 151. 154. 160. Ephesi metropolita Gregorius scribitur in oriente christiano T. I. p. 685, et apud Labb. Interfuit pseudo-synodo photianae. Ep. 132. Heracleae Photius. Ep. 58. Iconii anonymus. Palladius quidem Iconii nominatur in epistola Leonis imp. apud Labb. T. IV. p. 1836. Styllanus et Theophylactus Iconii in synodo constantinop. an. 870. Theophilus Iconii in pseudo-synodo photiana. Ep. 83. Hydrunti anonymus, videtur Marcus hydruntinus qui fuit in pseudo-synodo photiana. Ep. 104. 158. Laodiceae metropolita Constantinus. Ep. 116. Larissae Philippus. Ep. 49. Metropolitis extra communionem positis, ob schisma videlicet in causa tetragamiae; a quibus queritur se derelictum, a filiis patrem. Ep. 71. 100. Nicaeae Alexander in oriente christ. T. I. p. 648. Ep. 96. 97. Nicomediae Ignatius. Ep. 43. 119. 123. Patrarum metropolita Andreas. Ep. 108. 110. Pissinuntis Eustratius in pseudo-synodo photiana. Ep. 142. Sardium metropolita Antonius. Ep. 57. Synadis anonymus. Petrus synnadensis in concilio constantinop. anni 870. Nicolaus synnadensis in pseudo-synodo photiana anni 879. Ad hunc scribere Nicolaum patriarcham credendum est. Ep. 117. 129. Sylaei Leo. Ep. 122. Ambrosius episcopus. Ep. 98. Anonymus episcopus.

In huius quintae classis epistolis agitur de ecclesiarum regimine, de schismate tetragamiae causa, de variis circa eam aetatem personis vel negotiis, de eiusdem temporis calamitatibus. In ep. 94. attingitur immunitatis ecclesiasticae

ius. Aliquot denique epistolae familiares sunt et officiosae. Anonymarum quidem epistolarum nonnullae absque dubio scribuntur ad episcopos.

Classis sexta.

XVI. Scribuntur huius classis epistolae ad civiles magistratus. Horum notitiam vix ullam aut ne vix quidem scribam, quia de personis longus sermo foret, officiorum autem tituli noti sunt ex libris de dignitatibus aulae byzantinae, praefecturae denique pleraeque describuntur in Constantini imp. libro de thematibus. Ergo epistola 146. scribitur Constantino protasecretis. Ep. 91. Coropo viro illustrissimo. Ep. 69. 70. Davidi Camuliano protospathario. Ep. 84. Gaedoni protospathario imperatoris. Ep. 103. Godino imperatoris protospathario et praesidi. Ep. 121. Leoni patricio et praetori Anatolicorum. Ep. 127. Leoni spathario et iudici Paphlagoniae. Ep. 40. Malacino patricio. Ep. 140. Michaëli patricio et praetori Thessalonicae. Ep. 144. Nicolao praetori Longobardiae. Ep. 150. Philotheo patricio. Ep. 34. Helladis praetori. Ep. 161. Peloponnesi praetori. Ep. 35. Strymonis praetori. Ep. 149. Thracesiorum praetori. Ep. 44. Praetori cuidam. Notabiliora in praedictis epistolis haec fere sunt. In 34. sermo est de gravi discordia et schismate thebani cleri. In 84. memoratur Longobardiae tumultus. In 144. dicitur quies restituta Longobardiae per Nicolaum praetorem. In 140. veritatem patriarcha a praetore exquirit sub anathematis poena. In 146. intentat praetori anathema ob reiectum archiepiscopum Neapoleos a se destinatum, et obtrusum alium. In 150. admittit patriarcha querelam cleri nicaeni adversus praetorem suum, a quo ad militiam adigebatur. Dicit insuper Nicaeam donatam fuisse honore metropolitico ob synodos in ea celebratas. In reliquis epistolis scribuntur sapientia monita, commendationes, et alia modo publica modo privata.

Classis septima.

XVII. Omnium copiosior classis septima est. Ep. 47. Constantino. Ep. 136. Stephano, Michaëli, et Constantino fratribus. Ep. 36. Curatori Strongylizontis. Hunc ecclesiasticum locum fuisse in themate Strymonis, apparet ex praec. ep. 35, qua commendatur eius loci curator praesidi Strymonis. Constantinopoli quidem Στρογγύλιον castellum erat, itemque monasterium, ut videre est apud Bandurium imp. orient. T. II. p. 739. Ep. 37. Styliano diacono. Ep. 60. Oeconomo magnae ecclesiae constantinopolitanae. Monachis autem scribuntur hae. Ep. 33. 64. 120. 131. Tryphoni. Ep. 28. Phileto. Ep. 45. Arsenio. Ep. 62. Petro. Ep. 63. Epiphanio. Ep. 126. 143. Ignatio olim magistro postea monacho. Ep. 141. Hegumeno anonymo ad Aras solis. Ep. 148. Euthymio. Ep. 153. Theodosio (Θεοδ.) monacho et cubuclisio, id est cubiculario. Ep. 163. Antiocho. Ep. 78. monachis communiter. Denique anonymis hominibus epp. 59. 61. 66. 67. 68. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 79. 80. 81. 87. 88. 90. 92. 101. 105. 109. 111. 125. 147. 152. 155. 159. Ἀδήλῳ, id est *incerto*, ego inscripsi, cum nullum aderat in codice nomen: et quandoque quidem pro ἀδήλῳ videbatur ponendum τῷ αὐτῷ *eidem*, relative scilicet ad praecedentis epistolae inscriptionem; quandoque tamen secus. Materiam tot epistolarum singillatim non persequar, veluti quod ep. 66. superstitiosi aliquot actus reprehenduntur, qui a christianis fiebant per incensas pyras, et per animalium prope ethnicam immolationem; qui ritus in Armeniis quoque reprehensus fuit; conf. Spicil. T. VII. p. 171. Denique ep. 68. rerum christianarum in Chazaria non contemnenda notitia traditur etc.

XVIII. Atque hic ego, pro meo veritatis studio, facere non possum, quin capta ab his Nicolai epistolis occasione, nonnullos angli Montacutii errores, in epistolarum Photii ab eo editarum epigraphis coarguam. 1. Ac primum non iurgabor cum editore, quod in voluminis fronte latine *sanctissimi* titulum patriarchae Photio addiderit, est enim id officii po-

tius ac dignitatis, quam virtutis, epithetum, et quidem apud Graecos pervulgatissimum. Quaero tamen cur in eadem libri fronte non legatur graece ἁγιωτάτου? Oblivione ne aliqua, an codicis haud reprehendendo defectu factum est? 2. In quintae photianae epistolae epigraphe, et saepe in aliis, graece ἀσπαθαρίῳ ponit Montacutius, latine autem *aspathario;* atque in eiusdem epistolae scholio iudicat eundem esse *aspatharium* atque *spatharium.* Verum enimvero quis umquam nisi apud Montacutium *aspatharii* vocabulum audiit? En autem erroris causam. In vaticano Nicolai nostri codice ep. 69. scribitur in epigraphe α' σπαθαρίῳ, lineola superposita litterae α', ob significandam, ut fieri solet, notam numeralem primam. Est igitur David Camulianus *protospatharius*, ut nos graece quoque scripsimus: de qua re ne dubitemus, eidem Davidi in subsequentis epistolae epigraphe non per numeralem litteram α', sed explicatis litteris tribuitur in codice titulus πρωτοσπαθαρίῳ. Rursus in Nicolai epp. 84. et 103. aeque scribitur in codice vat. α' σπαθαρίῳ, lineola super α' posita. Nihil ergo evidentius dici potest contra vitiosam Montacutii lectionem, in cuius codice quum pariter scriberetur ν. σπαθαρίῳ, ipse incaute unum vocabulum fecit ἀσπαθαρίῳ: quamquam ab aliis eiusdem codicis locis v. gr. ep. 110. coarguebatur, ubi explicate scriptum erat πρωτοσπαθαρίῳ. Nemo igitur, ne in mixobarbara quidem lexica, ἀσπαθάριος vel *aspatharius* vocabula inferat. 3. Sane apud eumdem Montacutium lectio quoque Φιλοπονήσου et *Philoponesi*, tam graece quam latine soloeca est, pro Πελοποννήσου et *Peloponnesi:* quam ego quidem typothetae culpam existimare maluissem, nisi in scholio quoque editoris sic legeretur. (Peloponnesi praeses aut dux, στρατηγός, occurrit in Nicolai nostri epistolis.) 4. Denique in eadem adnotatione mendose scribitur *Germania* pro *Germanicia* Nestorii patria. 5. Nollem item a Montacutio vocabulum Λέοντι in epigraphis saepe et in scholiis *Leonti* latine dici, sed potius *Leoni*. 6. (Et quoniam de scholiis dixi, nollem item p. 46, scribi ab eo *septimarum synodorum* pro *septem synodorum*. 8. In epigraphe epistolae 12. scribit Montacutius μονάζοντι Ε. πεσόντι, latine autem *monacho E. collapso.* Atqui ego

iudico scribendum esse μονάζοντι ἐκπεσόντι *monacho lapso*. Nempe apud eundem Photium p. 119. ep. 68. legitur παραπεσόντι. 8. Epistolae 82. epigraphem Βασιλείῳ πράκτορι latine scribi video *Basilio Praetori*, pro *exactori* vel *quaestori*. Cur id, inquam, praesertim cum significatum πράκτορος Montacutius in scholio agnoscat? Sane idem homo in epp. 47. et 154. dicitur κοιαίστωρ, quod graecis litteris est latinum *quaestor*. 9. In epigraphis voc. ξενοδόχος modo *hospes* redditur modo *hospitalarius*. Malim hoc alterum, sed certe interpretis constantiam requiro. 10. Item in titulo epistolae 60. mallem ab interprete dictum *Helladis*, quam nimis generatim *Graeciae*. Legatur Constantinus in thematibus. 11. Nolo ego post ducentos annos scribere dicam Montacutio: ceteroquin non probo quod in suis ad Photium adnotationibus p. 46. Diodorum tarsensem ac Theodorum mopsuestenum labe haereseos infectos non iudicet, contra quos passim prisci patres clamarunt, nominatimque sanctus Cyrillus alex. integro opere nunc deperdito, cuius fragmenta nos aliquot dedimus, atque alia posthinc daturi sumus. Concedo, illos nonnisi post obitum damnatos fuisse; verum id minime impedit, quominus ipsorum scripta doctrinis haereticis, ut satis constat, redundaverint. 12. Neque licet Montacutio Iconomachis p. 97. et p. 118. aperte favere, quos non Photius solus oderat, sed oecumenicae synodi decretis sollemnibus condemnarunt. 13. Neque rursus est ferendum quod Montacutius p. 159. latrocinalem appellet octavam synodum oecumenicam, in qua deposito Photio Ignatius restitutus est. 14. Neque prudenter tot laudibus Photium cumulat, a cuius ambitione ac violentia magnum, quod adhuc permanet, schisma sumpsit initium. 15. Contra vero dum plurimis maledictis Baronium onerat, alienum se non aequitate solum sed etiam omni mansuetudine christiana demonstrat. 16. Inconsiderate etiam, vel potius irate, Anastasii bibliothecarii biographias verbis contumeliosis summoque contemptu persequitur p. 244, a quo tamen auctore, fatentibus passim eruditis, pretiosiorem ac certiorem historiae pontificalis partem habemus.

XIX. Aliud mihi in vaticanis codicibus compertum est

Nicolai mystici scriptum ineditum, nempe eius homilia ad populum byzantinum, post auditum de Thessalonicae excidio tristissimum nuncium, quae dira calamitas anno Christi DCCCCIV. contigit (qui erat pontificatûs Nicolai annus nonus) duce apostata Leone tripolita saraceno. Superest haec homilia in cod. vat. 172, una cum Iohannis Cameniatae historia de praedicto Thessalonicae casu, nec non Iohannis lectoris historia item ac monodia de postrema eiusdem urbis a Turcis captura. Utriusque Iohannis scripta a Leone Allatio in symmictis ex hoc eodem codice fuisse edita, exploratum fit ob opusculi secundi lacunas in editione relictas, quarum causa fuit ipse codex in superiore parte lacer, ut conferenti mihi evidenter patuit. Quia tamen Nicolai homilia paene tota in eo versatur ut populum ad peccatorum detestationem permoveat, ob quae et Thessalonica ceciderat, et parem poenam Constantinopolis ipsa pertimescebat; ideoque parum quid habet historicum; et quia codex, ut dixi, lacer orationis seriem abrumpit; tenuem tantummodo particulam heic recitabo quae historiam propius attingit. Titulus homiliae hic: Νικολάου πατριάρχου ὁμιλία εἰς τὴν ἅλωσιν τῆς Θεσσαλονίκης, ῥηθεῖσα ἐν ἄμβωνι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας μετὰ τὴν εἴσοδον. Μικρῷ πρότερον ὑμῖν εἶπον, ἀγαπητοὶ κ. τ. λ. *Nicolai patriarchae homilia de capta Thessalonica, dicta in pulpito magnae ecclesiae post introitum. Paulo ante diximus vobis, carissimi* etc. Circa vero orationem mediam sic. Νῦν ἐφ᾽ ἡμᾶς ἐξεχύθη ἄκρατος ἡ ὀργή, καὶ ὁ παῤῥησιαζόμενος ἢ ἀναστέλλων οὐδείς· ἐκενώθησαν πόλεις οἰκητόρων, ἄνδρες ἴσα βοσκήμασι κατεσφάγησαν, γυναῖκες διασπώμεναι τῶν ὁμοζύγων βιαίως, ἐλεεινὸν θέαμα, τοῖς ἀσελγεστάτοις ἐνασχημονούμεναι πρόκεινται· τίς δώσει τοῖς ἐμοῖς ὀφθαλμοῖς δακρύων πηγάς, καὶ κλαύσομαι ταῦτα καὶ τὰ τούτων ἐλεεινότερα; ἐβεβηλ[ώθησαν παρ]θένοι ἀφιερωμέναι [οὐρανίῳ νυ]μφῶνι πρὸς ὕβριν ἀπήχθ[ησαν], θυσιαστήρια τοῦ θεοῦ τῇ τῶν ἀκαθάρτων ἐχράνθη ἀκαθαρσίᾳ, μονάζοντας καὶ ἱερεῖς ξίφος καὶ δουλεία μερίζεται· οἴμοι τῶν ἐμῶν κακῶν τὸ βαρύτατον, τὰ πολύαθλα τῶν ἁγίων λείψανα παίζεται τοῖς βεβήλοις καὶ καταικίζεται, καὶ μετὰ θάνατον δευτέρους ἄθλους ὑφίστανται· ποῦ

μοι Δημήτριε μάρτυς, ἡ ἀήττητος συμμαχία; πῶς τὴν σὴν πόλιν ὑπερεῖδες πορθουμένην; πῶς ὑπὸ σοὶ πολιούχῳ ἡ ἐχθροῖς ἄβατος ἀφ' οὗ χρόνου ταύτην ἥλιος ἐθεάσατο, τοσούτων κακῶν εἰς πεῖραν ἐγένετο; πῶς τῆς τῶν δυσσεβούντων ὀφρύος ἠνέσχου κατορχουμένου τῆς ἱερᾶς προστασίας; πῶς ὑπέμεινας ταῦτα καὶ διεκαρτέρησας; κ. τ. λ. *Nunc nobis immensa ira incumbit, nemoque est qui resistere audeat. Vacuatae sunt civibus urbes, viri pecudum instar trucidati, feminae a maritis vi abstractae, miserabile visu, impurissimis hostibus violandae prostant. Quis meis oculis lacrymarum fontes suppeditabit, ut haec et peiora his mala deplorem? Sacratae caelesti sponso virgines dehonestatae sunt atque ad ignominiam pertractae: impurorum spurcitiis altaria Dei polluta fuerunt: monachi et sacerdotes partim ense consumpti, partim in servitutem abducti. Heu demum malorum meorum gravissimum! Sanctorum tot cruciatus olim perpessae reliquiae, profanorum ludibrio et iniuriis en vexantur, et secundas poenas post obitum sustinent. Ubinam tuum, Demetri martyr* (1), *invictum auxilium? Cur civitatis tuae excidium permisisti? Quomodo urbs, ex quo eam sol conspicit, per tuum praesidium inexpugnabilis, tam gravi malo correpta est? Cur impiorum superbiam pertulisti tutelae tuae insultantem? Cur haec, inquam, fieri passus es?* etc.

DE POGGII EPISTOLIS.

XX. Inter praecipuos qui latinam eloquentiam sanumque bonorum studiorum genus saeculo XV. in Italia suscitarunt atque aluerunt, Poggius florentinus sine dubio fuit, cuius vitam primus brevi ac ingenuo commentario, a nobis edito (2), Vespasianus scripsit, qui eius familiari consuetudine usus fuerat (3). Deinde Iohannes Bapt. Recanatus venetus accuratam admodum Poggii vitam historiae eiusdem floren-

(1) De Demetrio martyre Thessalonicae patrono recole supra dictos scriptores.

(2) Spicil. T. I. p. 547.

(3) Spicil. T. X. p. 621.

tinae, a se primum latine (namque italice antea prodierat) prout eam scripserat auctor, typis anno 1715. impressae praeposuit, quam postea Muratorius in vigesimum R. I. S. volumen intulit. Eodem prope tempore, nempe anno 1720, Poggiana sua vulgavit Amstelaedami Lenfantius, id est Poggii scriptorumque eius notitiam duobus modicis voluminibus comprehensam, qui tamen eruditorum expectationi non satis fecit. Nuperius demum cl. Shepherdius anglus Poggii denuo vitam ex eius operibus tam impressis quam adhuc manuscriptis gentili idiomate contexuit, quam cl. florentinus Tonellius fecit italicam, et permultis additamentis doctisque scholiis instruxit. Mitto minores biographos aut bibliographos, qui Poggii notitiam pro instituto quisque suo et pro oblata occasione brevius tradiderunt. Nos haec tantummodo in lectorum nostrorum gratiam adnotabimus. Anno 1380. natus est Poggius in pago ditionis florentinae Terra nova. Decurso Florentiae bonarum artium stadio, circa initium saeculi XV. adolescens Romam profectus est, et sub Bonifacio IX. factus scriptor apostolicus, cui muneri addictus fuit decennium, quo elapso ad superiorem in curia gradum ascendit, nempe ad officium apostolici secretarii, quod annis quadraginta sub diversis Pontificibus tenuit. Anno 1414. perrexit ad constantiense concilium, atque in ea civitate aliisque Germanorum finitimis, permultorum veterum auctorum codices reperit, ut est notissimum, et cum immortali sua gloria in lucem protulit. Martino V. creato pontifice, in Angliam abiit Poggius, ibique aliquamdiu in clientela Cardinalis wintoniensis fuit: unde reversus in Italiam ad pontificiam curiam modo Florentiae, modo Bononiae aut Ferrariae hospitantem, et denique ad vaticanas sedes reducem, ibidem perseveravit usque ad Nicolai V. annum sextum, id est 1453, quo anno a sua rep. Florentiam vocatus, oblato splendido munere publici cancellarii, aulam pontificalem iam senex deseruit, in qua partim scriptor, partim secretarius, quinquaginta annis versatus fuerat. Ita tamen Roma discessit Poggius, ut honorarium apostolici secretarii titulum, dimisso exercitio et stipendio, conservaverit. Florentiae demum, vel potius in suburbano

suo, anno 1459, qui erat aetatis eius octavus supra septuagesimum, implicitus in morbum decessit.

XXI. Poggii scripta non enumerabo, id quod alii satis ante me fecerunt: in epistolis eius sistam, quae cum multae sparsim mss. in vaticana bibliotheca sint, tum in uno demum codice collectas reperi; cuius codicis pars prior decem libros epistolarum continet; pars altera repetito ab initio numero, octo; quos tamen continuato potius corpore, duodeviginti libros appellare mihi placet. Epistolarum suarum collectionem a semet fuisse curatam narrat Poggius apud cl. Tonellium in praef. epp. p. x. et xi; denuoque in tribus novis quas in nono Spicilegii volumine p. 641, et decimo p. 312. nos impressimus, secundum illarum tomum a se scribi et quotidie augeri significat. Iam vero epistolarum Poggii tres inchoatae editiones mihi exploratae sunt: prima vetus, quam in volumine basileensi operum Poggii anni 1538. legebam, epistolarum XLIV: secunda parisiaca anni 1723. epistolarum LVII., curantibus italis Georgio et Oliva: tertia est inchoata similiter a cl. Tonellio Florentiae anno 1832, quae multo copiosior meliorque ceteris, nonnisi tamen usque ad poggiani saeculi breviorem partem perducitur, id est ad annum 1431. Mihi universum Poggii litterarum corpus in lucem efferre, numquam consilium fuit; immo ne ineditas quidem omnes, quae plurimae sunt, divulgare libebat. Cernens tamen aliorum editiones, consuetis temporum casibus, imperfectas iacere, meumque identidem ms. exemplar lectitans, quum iis valde delectarer, et re bona plenas viderem, eo demum mens incubuit, ut selectas aliquot ex volumine carperem, et in hos postremos Spicilegii tomos insererem: quod dum currente, ut ita dicam, editionis rota facerem, et modo haec modo illa epistola me veluti ad se invitaret, atque ut codicis claustris emitteretur deposceret; eo res devenit, ut vix finem prope coactus excerpendo imponerem: etenim Poggii epistolas CII, additis insuper Guarini tribus ad Poggium, impressi. Nam de aliis, quas praecedente in tomo edidi, ibidem dixi. Equidem curae mihi fuit, ut praetermissis editis, incognitas tantum mihi vindicarem: etsi haud est incredibile, editam quo-

que aliquam mihi obrepsisse, sive dum propero, sive dum libris aliquot careo, qui erant inspiciendi. Sponte utique et sciens illam recepi magni pretii epistolam de Sigismundi imp. coronatione, quae etsi separato libello Venetiis anno 1478. apud Renner de Hailbrun typis tradita fuit, nusquam tamen iam fere conspicitur; quamquam eam divus Antoninus in chronico suo partim compilavit.

XXII. Iam quid dicam de his Poggii epistolis? Primo quidem ad cognoscendum auctoris ingenium atque naturam, nihil aptius epistolis esse solet, in quibus suos quisque spontaneos ac genuinos sensus exprimere solet. Quamobrem in his perspicue Poggii animum agnoscimus recte ad virtutem atque honestatem compositum, et dogmatum sanitate pollentem, quamquam eius mores a sententia interdum ut scimus aberraverunt. Iam quae fuerit eloquentia Poggii, multis documentis constabat, nihilominus in aliquot ex his epistolis, veluti in illis ad imp. Federicum, ad Alphonsum regem, ad Vaivodam hungarum, ad Angliae Cardinalem, ad Henricum lusitanum, et praesertim ad Marchionem mantuanum, non indigna priscis saeculis eloquentia tonat: ubique autem mira scribendi facilitas, et sententiarum evidentia micat. Verumtamen quia rem utilem magis quam verborum nitorem aut sonitum plerique mortales expetunt, certe temporum illorum historia, praecipueque notitia hominum tunc doctrina praestantium, his epistolis augetur vel confirmatur. Neque est dubitandum quin Vespasianus quoque non ignobilis biographus, et ipsius Poggii familiaris, harum epistolarum lectione (quas nominat apud nos T. I. p. 556.) magnopere adiutus sit. Utique nos utrumque opus, Poggii scilicet et Vespasiani, invicem illuminare saepe cognovimus. Nominatim vero quod Vespasianus p. 261. Iacobum Zenum episcopum patavinum, ab historicis aliis passim laudatum, haud omni labe caruisse dicit, id non aliunde quam ex Poggii irata invectione credulus hausit, inter eius epistolas mss. obvia, verum aspectu publico ob intolerabilem virulentiam prorsus indigna. Sed enim in epistolari hoc argumento dicendarum rerum nimia copia elinguem me facit: praesertim quum ipsi

per se lectores, pro suo quisque ingenio studioque, vel discendarum rerum atque agendarum opportunitate, de his iudicare et fructum capere queant.

XXIII. Liceat mihi in hoc vacuo praefationis meae angulo commentariolum memoriae causa deponere itineris hoc anno mei per Etruriam suscepti, quatenus ad mss. monumenta pertinet. In insigni prope Pisas Cartusia codices priscos vidi, ex antiquissimo Gorgoniae insulae monachorum asceterio huc translatos. Ibidem tria et amplius milia diplomatum sunt, recte dispositorum, quorum unum saltem comitissae Mathildis habet subscriptionem. Lucae in bibliotheca Canonicorum mirae vetustatis conspexi Eusebii latinum chronicon, cum egregiis aliis patrum codicibus. Pistorii pariter in cathedralis templi secretario egregii supersunt codices. Florentiae bibliotheca coenobii S. Marci, quae florentinarum antiquissima fuit et inclyta, paucos iam retinet codices: manet tamen ibi catalogus codd. circiter 800, qui ei olim ornamento fuerunt. Quid memorem celeberrimas laurentianam, magliabecchianam, riccardianam, de quibus silere praestat quam pauca dicere? In domestica illustrium Rinuccinorum bibliotheca, insignis mihi ostensus fuit Dioscoridis codex, et Sixti PP. IV. registrum copiosum epistolarum unius anni, atque alia plurima historiae patriae monumenta. Aretii iudicis quandam sententiam vidi haud recentiorem saeculo XI, in qua schedula non semel citantur digestum, codex, et institutiones Iustiniani. Ibidem diplomata quoque servantur non mediocris vetustatis. Cortonae inter alia vidi praegrandem etrusci operis ex aere lampadem, quae cuncta eius generis opificia facile superat. Prope hanc civitatem hypogeum pervetus nuper defossum est. Perusiae denique apud RR. Canonicos extat divi Lucae evangelium, sive eius partes, litteris aureis in membranis, saeculi VI. Item Iustiniani institutionum nobilis codex a Borussis nuper exscriptus. In publica pariter bibliotheca nonnullos inspexi praestantes codices, quorum alio fortasse tempore mentio fiet. Perusiae adiacent Volumniorum nuper item detecta hypogea, quorum marmorea signa et etruscae inscriptiones praedicatione admirantium celebrantur.

INDEX

EPISTOLARUM POGGII.

ΣΥΝΟΔΟΣ

ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΕΛΛΗΝΙΚΗΣ

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΔΟΓΜΑΤΟΣ « ΣΥ Ο ΠΡΟΣΦΕΡΩΝ ΚΑΙ ΠΡΟΣΦΕΡΟΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΠΡΟΣΔΕΧΟΜΕΝΟΣ » ΑΛΛΗΘΕΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΚΥΡΟΥ ΜΑΝΟΥΗΛ ΚΟΜΝΗΝΟΥ.

Βασιλεύοντος Μανουὴλ, ὃς προπάτορα μὲν τὸν βασιλέα ἔσχεν Ἀλέξιον, τοκέα δὲ Ἰωάννην τὸν ἐν ἄναξι περιώνυμον, ἐκινήθη δόγμα περὶ τοῦ « σὺ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος· » καὶ οἱ μὲν μόνῳ τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ θυσίαν προσηνέχθαι ἔφασκον, οὐ μὴν καὶ αὐτῷ τῷ προσενέγκαντι λόγῳ, φάσκοντες ὡς εἰ τοῦτο δοίη τις, εἰς δύο πρόσωπα πάντως ὁ εἷς τοῦ Θεοῦ

SYNODUS

GRAECAE ECCLESIAE

DE DOGMATE CIRCA ILLA VERBA « TU ES QUI OFFERS, ET QUI OFFERERIS, ET QUI RECIPIS » QUOD VENTILATUM FUIT SUB IMP. DOMINO MANUELE COMNENO CONTRA SOTERICHUM PATRIARCHAM ANTIOCHENUM ELECTUM. PRAEIT SOTERICHI DE SUA FALSA DOCTRINA DIALOGUS CUM PHILONE.

Regnante Manuele, qui avum habuit imperatorem Alexium, patrem vero Iohannem inter reges celeberrimum, commota est quaestio de dogmate « tu es qui offers, et qui offereris, et qui recipis. » Atque alii quidem Patri tantummodo ac Spiritui sacrificium crucis oblatum aiebant, non tamen ipsi quoque oblatori Verbo: dicebant enim, quod si id concederetur, in duas omnino personas unicus Dei filius divisus abiret, quae An 1156.

υἱὸς διαστήσεται, ὁποῖα ὁ λῆρος παρεισῆγε Νεστόριος· οἱ δὲ καὶ αὐτῷ τῷ υἱῷ γενέσθαι τὴν προσφορὰν ἰσχυρίζοντο, ὡς ἑνὶ καὶ ἀχωρίστῳ τῆς ὑπεραρχίου ὄντι τριάδος· οἱ γοῦν τότε λογιότητι χαίροντες τῇ προτέρᾳ προσεφύησαν δόξῃ· ἦσαν δὲ οὗτοι· Σωτήριχος [1] ὁ Παντεύγενος ὑποψήφιος ὢν τῆς κατὰ Συρίαν Ἀντιοχείας, ἣν Ὀῤῥόντης ποτίζει καὶ ζέφυρος καταπνεῖ ἄνεμος· ὁ Δυῤῥαχίου Εὐστάθιος, ὁ Βασιλάκης, καὶ Νικηφόρος, καὶ ὁ Θεσσαλονίκης Μιχαήλ [2]· οἳ καὶ καθῄρηνται πάντες· τούτων δὲ οἱ μὲν ἄλλοι ὑπ' ὀδόντα ἔμυσσον, οὐδὲ παῤῥησίᾳ καὶ διαῤῥήδην τὰς ἑαυτῶν ἐξέφερον γνώμας, καὶ τοῖς τῶν πολλῶν ἐνήχουν ὠσίν· ὁ δὲ Σωτήριχος ὁ Παντεύγενος λογογραφεῖ τὸ δόγμα, καὶ παρίστησι τοῖς βου-

fuit nugacis sententia Nestorii. Alii contra adfirmabant, ipsi quoque Filio factam esse oblationem, utpote uni et indiviso Trinitatis summae consorti. Qui tunc igitur eloquentiae gloria gaudebant, priori sententiae adhaerebant. Erant autem hi: Soterichus Panteugenus, patriarcha designatus Antiochiae syriacae, eius videlicet quam Orontes alluit, et zephyrus ventus perflat; Eustathius Dyrrachii episcopus, Basilaces, atque Nicephorus, et Thessalonicae episcopus Michaël, qui omnes gradu suo moti fuerunt. Atque ex his partim quidem secreto mussabant, partim vero fidenter ac manifeste sententias suas enuntiabant, ac multitudinis auribus occinebant. Demum Soterichus Panteugenus dogma suum scripto tradidit, et cuique

(1) Soterichus dicitur adhuc diaconus in hac ipsa quam vulgamus synodo. Porro in catalogo ms. codicum Sfortianorum (cod. vat. reg. 2099) legi ego notitiam etiam alterius operis huius viri, qua libenter lectores impertior, nempe: *Soterichi diaconi constantinopolitani tractatus de generatione aeterna filii Dei, et pro defensione vocabuli, quo usus est beatus Basilius, qui carnem Domini vocavit* θεοφόρον, *ad Michaëlem patriarcham*. Michaëlem intellige secundum, qui sedem constantinopolitanam abdicavit anno Christi MCXLVI, id est decennio ante hanc synodum quae damnavit Soterichum.

(2) Quatuor hi, cum nonnullis diaconis, favisse Sotericho dicuntur etiam in graeco scholio quod Nicetae choniatae codici appingitur.

λομένοις ὁποίᾳ τῶν δοξῶν προσνένευκε, πλατωνίζων τῇ διαλέξει, καὶ οὕτω τὰ γραφέντα συνθέμενος.

Φίλων. – Ἐπυθόμην ὡς ἐν συνόδῳ διακόνω δή τινε περὶ δόγματος διεφερέσθον, καὶ ὡς ἑκατέροιν τούτοιν συνέστησαν ἄνδρες ἐπ' ἄκρον τῆς καθ' ἡμᾶς παιδείας ἐλάσαντες· προθυμουμένῳ δέ μοι μαθεῖν τοὺς λόγους, οὐκ ἐξεγένετο· παρῆς οὖν αὐτὸς ἱερὰ φιλότης, τότε παρῆς;

Σωτήριχος. – Παρῆν, ὦ μακάριε, καὶ τῶν ἑκάστοις λεγομένων ὡς ἐπιμελέστατα ἤκουον· οὐ σὺν ἡδονῇ μὲν τοὺς λόγους ἀποδεχόμενος φιλονείκως ἔχοντας μᾶλλον ἢ ἐσκεμμένως· ἀχθόμενος δὲ καὶ τοῖς αἰτίοις ταύτης τῆς στάσεως, ὅτι δέον παριέναι σιωπῇ τὰ θεῖα, τοῦτο γὰρ ἥ τε φύσις αὐτῶν ὡς δυσκατάληπτος ἀπαιτεῖ, καὶ ἡ πάτριος παραίνεσις ὑποτίθεται· οἱ δὲ τὰ ἐσκεμμένα τὲ ὑπερβαίνουσι, καὶ τὰ καλῶς σεσιγημένα τοῖς παλαιοῖς διαζαίουσι, μὴ δὲ τῆς

volenti noscendum obtulit, in quam videlicet ipse sententiam flecteret; ac Platonis imitatus dialogos, huiusmodi disputationem instituit.

Philo. - Compertum mihi est, nuper duos in synodo diaconos de quodam dogmate inter se contendisse; atque horum utrique favisse aliquos ex his qui apud nos doctrinae primatum tenent. Verumtamen cupienti mihi sermonum argumenta cognoscere, nondum licuit. Sed num tu, venerande amice, num tu inquam intereras?

SOTERICUS. - Equidem interfui, mi iucundissime, et amborum orationem perquam attente auscultavi: neque tamen his delectatus sum, quia plus contentionis quam considerationis habebant: immo huius seditionis auctoribus subirascebar, quia quum res divinae silentio potius transmittendae sint, prout illarum abstrusa natura postulat, et patrum monita suadent, qui iamdiu definita praetergrediuntur, et silentio a veteribus pressa suscitant; neque praeceptum sapientis cuiusdam viri

ἀνδρός τινος σοφοῦ μεμνημένοι παραγγελίας, ὃς ἡλίῳ παρείκαζε καὶ πυρὶ τὰ θεῖα, παρῄνει δὲ μήτε ἀντωπεῖν ἡλίῳ, σκαρδαμύττειν γὰρ καὶ ἀμαυροῦσθαι τὰ ὄμματα· μήτε ἀπολείπεσθαι τοῦ καλλίστου τούτου θεάματος, ἀλλ' ἀπολαύειν αὐτοῦ παρατηροῦντας, ὡς οἷόν τε· τῷ τε πυρὶ μὴ πάνυ τι προσεγγίζειν· καίεσθαι γάρ· ἀλλὰ μὴ δ' ἀποτάτω ἀφίστασθαι, τῆς θερμότητος βουλομένους μεταλαγχάνειν.

Φίλ. – Ὡς εὖ γε, ὦ φίλη μοι κεφαλή, περὶ τῶν θείων διανοῇ· πάνυ γὰρ ἐπὶ τούτοις εὐλαβεῖσθαι δεῖ, τὴν λεπτολόγον παραιτουμένους ἀκρίβειαν· καὶ τὴν ἐπ' ἐλλεβόρῳ τῶν ἰατρῶν κἀν τούτοις διαφυλάττειν διάταξιν, ᾧ καθαίρεσθαί φασι παρειλημμένῳ παχυμερῶς, εἰς δὲ λεπτότατα τετμημένῳ τὸν χρησάμενον ἀποπνίγεσθαι· ἀλλὰ τὸ μὲν ἐκείνοις τῆς τόλμης ἐγκαλεῖν ἀφείσθω, νεανικῇ προθυμίᾳ τὴν μέσην καὶ κατ' αὐτούς, λακωνικῶς εἰπεῖν, ὑπερβαίνουσι· σὺ δέ μοι τὸν λόγον διέξιθι.

in mentem revocant, qui soli et igni res divinas comparans, monebat, ne rectum contra solem visum intendamus, connivere enim atque hebescere oculos necesse est; non idcirco tamen ab hoc pulcherrimo aspectu abstinendum, sed eo caute fruendum, quantum licet: item igni non esse admodum proximandum, ne comburamur, nihilominus haud nimis procul consistendum, si certe calore frui volumus.

PHIL. - Quam bene, o carum caput, de divinis iudicas! Prorsus enim in his religiose agendum est, et curiosius studium omittendum. Quin adeo medicorum servanda est de hellebori usu praescriptio, quem crasso frusto sumptum purgationem facere aiunt; comminutum autem, utentem suffocare. Sed enim illorum audaciam accusare iam desinamus, qui iuvenili impetu mediam lineam, ut laconice cum ipsis loquar, praetervecti sunt. Tu vero praedictorum orationem mihi narra.

Σωτ. – Ὁ μὲν λόγος ὡς εἰπεῖν συλλήβδην ἀπεφαίνετο τὴν προσληφθεῖσαν τῷ λόγῳ φύσιν, μήτε τῷ πατρὶ προσενηνοχέναι μόνῳ ἀλλὰ καὶ τῇ θεότητι τοῦ μονογενοῦς τὸ οἰκεῖον αἷμα· τοῦτο ῥηθὲν πολλούς τε ἄλλους, καὶ δὴ καὶ ἄνδρας ἀρετῇ καὶ λόγῳ διαπρεπεῖς τεθορύβηκεν, ὡς μὴ μόνον ἂν ταῖς ἡμεδαπαῖς ἀρχαῖς ἀνακόλουθον, ἀλλὰ καὶ τὴν κατὰ Νεστόριον ἰσάγον διαίρεσιν· εἰ γὰρ δὴ τῶν φύσεων ἐστὶ τὸ τὴν μὲν προσάγειν, τὴν δὲ προσίεσθαι, πᾶσα ἀνάγκη καὶ τὴν προσάγουσαν ὡς ἀρχιερέα καὶ θύτην, λέγειν ὑπόστασιν, καὶ τὴν προσιεμένην ὡς θεὸν τὰ περὶ τὴν θυσίαν ὁμοίως ὑπόστασιν· τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Νεστορίου θανατῶδες ἁμάρτημα.

Φίλ. – Ὡς δεινόν τι λέγεις εἶναι τὸ τοῦ εἰπόντος;

Σωτ. – Οὐκ οἶδα εἰπεῖν εἴτ' ἀγνόημα εἴτε παράπτωμα· εἰ γὰρ οὕτως εἶπεν ὡς ὁ θεὸς λόγος γενόμενος ἄνθρωπος αὐτὸς ὡς θύτης κατὰ τὴν πρόσληψιν προσενήνοχεν, αὐτὸς

SOT. - Oratio, ut paucis dicam, erat huiusmodi: quod videlicet adsumpta a Verbo natura, sanguinem suum non soli Patri verum etiam Unigeniti deitati obtulerit. Dictum hoc, cum alios multos tum etiam aliquot virtute et doctrina pollentes viros turbavit, quia non solum religiosis nostratium rudimentis alienum erat, verum etiam quia nestorianam divisionem invehebat. Si enim ex his naturis altera offert, altera vero excipit, prorsus necesse est et illam quae offert, sacerdotis et sacrificuli instar, appellari a nobis personam: rursusque illam naturam, quae uti Deus est, victimam excipit, personam pariter nominari. Hoc autem est mortiferum Nestorii crimen.

PHIL. - Quam periculose hoc existimas ab eo dictum?

SOT. - Utrum inscitiam appellem an errorem, nescio. Si enim dixisset, quod Deus Verbum, factus homo, ipse quidem tamquam sacerdos, ratione humanitatis adsumptae, sa-

ὡς θῦμα κατὰ τὴν σάρκα προσήνεκται, αὐτὸς ὡς θεὸς προσήκατο τὸ τυθὲν, καὶ πανταχοῦ τὴν ὑπόστασιν κατὰ τὰς ἐνεργείας τῶν φύσεων παρελαμβάνου, ἣν μὲν καὶ οὕτως ὁ λόγος, ὀλίγου δέω λέγειν, οὐκ ἀσφαλής· τὸ δὲ τὰς φύσεις διϊστῶντα λέγειν καθ' ἑαυτὰς ἐνεργεῖν μηδαμῇ παρειλημμένης τῆς ὑποστάσεως, βαβαὶ κινδυνῶδες καὶ ἐπιεικῶς ἐστὶ χαλεπόν· ἀλλ' εὐξαίμην ἂν μήτε αὐτὸν τῇ δόξῃ συνεστάναι ταύτῃ, μήτε τοὺς περιϊσταμένους αὐτόν· ὅθεν ὡς αὐτόθεν ἄτοπον καὶ μὴ λόγων πολλῶν δεδεημένον εἰς ἔλεγχον διὰ τὴν ἀτοπίαν αὐτοῦ, χαίρειν ἐάσθω· ὑποκειμένου δὲ τοῦ μὴ τὴν προσληφθεῖσαν φύσιν, ἀλλ' αὐτὸν τὸν θεάνθρωπον σωτῆρα Χριστὸν τὴν σωτήριον θυσίαν προσενεγκεῖν, σκεπτέον εἰ καὶ τῇ αὐτοῦ θεότητι προσήνεκται τὸ τυθέν.

Φίλ. – Ἀλλὰ πρότερον αὐτὸς εἰπέ τι ἢ δ' ὅσον, ὁ ἐγκαλούμενος τίς αὐτῷ, καὶ πόθεν ἡ τοῦ λόγου τούτου κατασκευή;

crificium obtulerit; idemque ipse tamquam victima secundum carnem oblatus fuerit; atque idem denique tamquam Deus rem oblatam exceperit, servata ubique persona actionibus naturarum accommoda; hoc etiam pacto paene dixerim, minime tutum esse sermonem huiusmodi: verum enimvero distinctas naturas dicere unamquamque per se operari, seposita velut persona, id demum periculosum est, et difficultate summa laborans. Utinam vero neque is qui dicebat, neque eius auditores sententiam hanc animo imbibant! Quamobrem utpote absurdam, neque prolixa refutatione egentem, multum eam valere iubeamus. Verum si adfirmetur, haud quidem ab adsumpta natura, sed ab ipso theandrico servatore Christo salutarem hostiam fuisse oblatam, dispiciendum superest, utrum is suae quoque ipsius divinitati sacrificium fecerit.

PHIL. - Tu vero apprime dic mihi, quid ille, et quamdiu dixerit, quis ei sit adversatus, quaenam argumenti huius demonstratio fuerit.

Σωτ. – Πολλὰ ἄττα συνείρων, τὸν ἑαυτοῦ συνίστησι λόγον, ἐγὼ δὲ ὁπόσα μου τὴν μνήμην ἐπέρχεται, ταῦτα ἐρῶ· ἐπεί φησιν ὁ Θεὸς λόγος θυσίαν πᾶσαν ἁγιάζει καὶ τελειοῖ, πῶς οὐχὶ καὶ τὴν τῆς οἰκείας σαρκὸς θυσίαν ἡγίακέ τε αὐτὸς καὶ τετελείωκεν; οὐκ ἂν δὲ ἄλλως ἡγίασεν, εἰ μὴ τῇ ἑαυτοῦ θεότητι προσενήνεκτο.

Φίλ. – Πρὸς οὖν τοῦτο πῶς ποτε ἡμᾶς διατίθεσθαι χρή; πότερον εἰρημένον εὖ ἀποδέχεσθαι τουτονὶ τὸν λόγον;

Σωτ. – Οὐκ ὦ γαθέ· δόξειε γὰρ οὗτος ὁ λόγος οὐκ ἀληθής· καὶ πρὸς τοῦτον ἡμεῖς ἐκεῖνο φαμὲν ἂν ὡς ἐπειδὴ ὁ λόγος τῇ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεὶς ἡγίακέ τε καὶ τετελείωκεν αὐτὴν εὐθύς, τί ποτε ἔδει τῇ πρὸς τὴν αὐτοῦ θεότητα προσαγωγῇ ταύτην αὐτὴν ἁγιάζεσθαι; τί δὲ τελιοῦν τὴν ἀνωτέρω φυλαχθεῖσαν πάσης ἁμαρτίας προαιρετικῆς τὲ καὶ τῆς ἐκ σπέρματος φυσικῆς; μόνης οὖν ἐδεῖτο τῆς πρὸς τὸν πατέρα διὰ θυσίας προσαγωγῆς, ἣν ἁγιασμὸν ὠνόμασεν

SOT. - Multis ille verbis sermonem suum exornavit, quae ego quantum memini referam. Quoniam, aiebat, Deus Verbum sacrificium quodvis sanctificat atque perficit, quid ni propriae quoque carnis sacrificium sanctificasse credendus sit? Haud porro aliter sanctificavit, quam propriae deitati offerendo.

PHIL. - Quid ergo hac super re sentiendum nobis est? Utrum dictis auscultandum, nec ne?

SOT. - Minime gentium, o bone; neque enim vera haec videtur oratio. Etenim nos ita potius disserimus: quandoquidem Verbum carni hypostatice unitum, ipsam sanctificavit perfecitque, cur opus erat ut per oblationem suae ipsius deitati faciendam, illam sanctificaret? Cur eandem perficeret, quae superne omni immunis flebat vel voluntario peccato, vel ex origine naturali contracto? Hoc ei igitur tantummodo deerat, ut Patri ceu sacrificium offerretur; quam rem Servator sanctificationis nomine expressit, cum passioni proximus aie-

ὁ σωτήρ· πρὸς γὰρ τῷ πάθει γενόμενος ἔλεγεν, ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν ὑπὲρ αὐτῶν· ὡς εἶναι δῆλον, διττὸν εἶναι τὸν ἁγιασμόν· τὸν μὲν οὖ τῇ σαρκὶ μετέδωκεν αὐτὸς ἑνωθείς, τὸ δὲ δεύτερον ὃν εἰργάσατο διὰ θυσίαν, εἰς τὸν πατέρα ταύτην ἀνενεγκών.

Φίλ. – Ἀλλ' εἴπερ ἐξ αὐτῆς ἡγίακε ταύτην ἑνώσεως, φαίη τις ἄν, τί δεῖ ποτε καὶ ἑτέρου δευτέρου ἁγιασμοῦ; ποίας δὲ τελειώσεως;

Σωτ. – Μακρότερά με καὶ τοῦ λόγου, ἄριστε Φίλων, ἀναγκάζεις λέγειν· πλὴν καὶ τοῦτο σὴν εἴρηται χάριν· ἔθος τοῖς καταλλαττομένοις ἐστὶ λαμβάνειν τί παρ' ἀλλήλων τῆς ἐμπεδωθησομένης φιλίας ἐχέγγυον· ἐπείπερ οὖν καὶ ἡμᾶς δι' ἔχθρας γεγονότας Θεῷ ἐχρῆν καταλλάττεσθαι, τῆς θείας οὐκ ἀνασχόμενος ἀφεστάναι διαπαντὸς ἀγαθότητος, πρότερον αὐτὸς ὁ καὶ τὴν ἀρχὴν ὑποστήσας λόγος τὴν ἡμεδαπὴν εἰληφὼς οὐσίαν ἀντέδωκεν ἡμῖν ἁμαρτημάτων ἄφεσιν, τὴν ἐκ τῆς πλάνης ἀπαλλαγήν, τὰς πολλὰς ἐκείνας ἐνηργηκὼς

bat: ego sanctifico me ipsum propter eos. Patet ergo, duplicem esse sanctificationem, alteram quam ipse carni contulit cum ei hypostatice unitus est, alteram vero quam per sacrificium operatus est quod Patri obtulit.

PHIL. - Atqui si carnem, dicet aliquis, unione sua iam sanctificaverat, cur altera sanctificatione vel perfectione opus fuit?

SOT. - Longius a proposito meo, optime Philo, aberrare me dicendo cogis; attamen tui causa hunc laborem suscipiam. Iis qui invicem reconciliantur mos est mutui aliquid muneris, quasi conglutinatae amicitiae arrham, impertiri. Quoniam itaque et nos, post Dei offensam, reconciliari eidem oportebat, is quidem morem suae bonitatis minime omittens, primus ipse Deus Verbum, qui ab initio subsistebat, substantia nostra suscepta, peccatorum remissionem nobis largitus est, atque ex antiqua fraude eripuit, multis mirisque collatis beneficiis.

εὐεργεσίας καὶ θαυμαστάς· ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν πατέρα ἐχρῆν λαβόντα τι παρ' ἡμῶν τὴν υἱοθεσίαν ἀντιχαρίσασθαι, προσῆν δὲ ἡμῖν οὐδὲν καθαρὸν, οὐδὲ τῆς αὐτοῦ μεγαλειότητος ἄξιον, τῆς ἁμαρτίας πάντα ἐπιθολούσης, αὐτὸς ὁ θεάνθρωπος λόγος τὸ τῆς ἡμεδαπῆς ἀπορίας ἀναπληρῶν ἅτε μεσίτης, ἐν προσώπῳ τῆς ἀνθρωπότητος, τὸ αὐτοῦ προσενήνοχεν αἷμα, ἄχραντον θῦμα, σωτήριον καλλιέρημα, τῆς πρὸς τὸν πατέρα καταλλαγῆς ἡμῖν αἰτιώτατον· ὃ πολλαχοῦ καὶ θεσπέσιος ἀποφαίνεται Παῦλος· δικαιωθέντες γάρ, φησιν, ἐν τῷ αἵματι τοῦ υἱοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ. Καὶ αὖθις· ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ αἵματος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· πῶς οὖν οὐκ ἐπιεικῶς ἐστὶν ἄτοπον, ταύτην προσενεχθῆναι τὴν θυσίαν λέγειν τῷ θεῷ λόγῳ; τίνος γὰρ ἡμῖν πρὸς τοῦτον ἔδει καταλλαγῆς, ὃς ἐξ αὐτῆς ἡμῖν κατήλλαττεν τῆς ἑνώσεως; πῶς δὲ οὐκ ἀνόητον λέγειν διὰ τῆς θυσίας ταύτης αὐτὸν ἑαυτῷ καταλλάττεσθαι; ἢ τὴν μὲν ἐξ ἡμῶν

Sed quia etiam Patrem, qui adoptione nos dignabatur, aliquid a nobis accipere aequum erat, nobis autem nihil purum aderat, aut Dei maiestate dignum, peccato omnia commaculante, idcirco ipsum theandricum Verbum, paupertatem nostram ceu mediator supplens, humanitatis forma indutus, suum obtulit sanguinem, victimam immaculatam, salutarem hostiam, ad nos cum Patre reconciliandos efficacissimam. Quam rem saepe declarat divus Paulus: iustificati enim, ait, in sanguine filii, per ipsum salvi erimus. Et rursus: qui inimici eramus, reconciliati sumus per sanguinem filii eius. Quid ni ergo valde sit absurdum dicere, sacrificium hoc Deo Verbo fuisse oblatum? Quid enim ipsum necesse erat reconciliari nobis, qui iam inde ab eo tempore, quo se carni coniunxit, nobis erat reconciliatus? Cur rursus non sit insanum, per huiusmodi sacrificium sibimet ipsum esse reconciliatum? Aut naturam quidem eius ex nobis sumptam, pacem habere

προσληφθεῖσαν φύσιν ἔχειν πρὸς ἡμᾶς οἰκείως, τὴν δ' ἑνωθεῖσαν αὐτῇ θεότητα δεῖσθαι τῆς πρὸς ἡμᾶς διὰ θυσίας καταλλαγῆς; ἢ κατὰ Παῦλον εἰπεῖν, μεμέρισται ὁ Χριστός; ὡς εἶναι, τὸ μὲν φίλον αὐτῷ, τὸ δὲ ἀντίθετον.

Φίλ. - Ἀλλ' εἴπερ, φησὶ, τὸ τῷ πατρὶ προσαγόμενον διὰ τοῦ θεοῦ λόγου προσάγεται, οὐδεὶς γὰρ, φησι, πρὸς τὸν πατέρα ἔρχεται εἰ μὴ δι' ἐμοῦ, πῶς ἐνῆν προσενηνέχθαι τὴν θυσίαν ταύτην, μὴ πρότερον τῇ τοῦ μονογενοῦς προσενεχθεῖσαν θεότητι;

Σωτ. - Οὐχ ἡ τοῦ λόγου θεότης, ὦ οὗτος, πρὸς γὰρ ἐκεῖνον στρέφω τὸν λόγον, ἐν ταῖς πρὸς τὸν πατέρα προσαγωγαῖς ἐμεσίτευσεν, ἀλλ' αὐτὸς ὁ θεάνθρωπος λόγος χρηματίσας κατὰ τὴν πληροφορηθεῖσαν φύσιν ἀρχιερεὺς, καὶ τότε τὸ οἰκεῖον αἷμα προσαγαγὼν, καὶ νῦν τοὺς σωζομένους δι' αὐτοῦ προσάγων τῷ πατρὶ, ἵνα θεώσῃ τῇ χάριτι· τοῦτο γὰρ τῆς προσαγωγῆς τὸ τέλος· μάθοις δ' ἂν καὶ ἐκ τῆς κατὰ τύπον θυσίας ὃ λέγομεν· τέσσαρά τινα περὶ τὴν ἐν

nobiscum; eiusdem vero deitatem humanitati unitam, oportere nobis per sacrificium reconciliari? Quasi cum Paulo dicamus: num divisus est Christus? ita ut pars eius, amica; pars vero alia, adversaria sit?

PHIL. - At enim, si quod Patri offertur, per Deum Verbum offertur; nemo enim, uti scriptum est, ad Patrem venit nisi per me; quomodo fieri poterat ut hoc sacrificium offerretur, nisi antea ipsius Unigeniti deitati fuisset oblatum?

SOT. - Non Verbi deitas, o sodes, namque ad ipsum orationem meam converto, sed theandricum ipsummet Verbum, ceu in adsumpta natura pontifex, et tunc proprium sanguinem obtulit, et nunc salvatos Patri offert, ut gratia sua deificet: hic quippe est oblationis finis. Intelliges autem quod dicimus vel ex illo quod in figura fiebat sacrificio. Nam quatuor in figurali illo spectabantur, oblatio, consecratio, ele-

τύπῳ θυσίαν ἐθεωρεῖτο, προσαγωγὴ, καθιέρωσις, ἀναγωγὴ, ἀφοσίωσις· προσήγετο μὲν γὰρ ὁ ἀμνὸς καθιερωθησόμενος· καθιερώμενον δὲ οἱ τὸ αἷμα εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἀνήγετο ἅγια· ἀνηγμένον δὲ καὶ προσενεχθὲν, ἀφωσίωτο· ὥσπερ οὖν οὐκ ἔστι λέγειν προσάγεσθαι τὸν ἀφωσιωμένον ἤδη καὶ ἡνωμένον, οὕτως οὐδὲ τὸ τοῦ σωτῆρος αἷμα τῆς αὐτοῦ θεότητος ἀχώριστον ὂν, ἔνεστι λέγειν τῇ κατ' ἄκρας ἡνωμένῃ φύσει προσάγεσθαι.

Φιλ. - Ἀλλ' εἰ τῇ θεότητι, φησὶ, τοῦ πατρὸς, ἡ θυσία προσήγετο, ἡ αὐτὴ δὲ θεότης κἀν τῷ μονογενεῖ, τί κωλύει καὶ τῇ τοῦ μονογενοῦς θεότητι λέγειν ταύτην τότε προσάγεσθαι;

Σωτ. - Ἡ αὐτὴ μὲν, ὦ τὰν, θεότης ἀμερίστως ἐνθεωρεῖσθαι ταῖς τρισταῖς ὑποστάσεσιν ὡμολόγηται· πλὴν ὃ πολλάκις εἴρηται, καὶ νῦν οὐκ ὀκνοῦμεν λέγειν, ὡς οὐχὶ τῇ φύσει τοῦ πατρὸς, τῇ δὲ τοῦ πατρὸς ὑποστάσει προσήγετο· ὡς καὶ τὸν προσάγοντα προσάγειν ὑποστατικῶς, καὶ τὸν δεχό-

vatio, expiatio. Offerebatur enim agnus consecrandus, consecratus autem eius sanguis ad sancta sanctorum elevabatur, elevatum denique expiabatur. Sicut ergo dici nequit, quod offeratur id quod iam expiatum fuerit et Deo unitum, ita ne Servatoris quidem sanguinem, utpote ab eius deitate indivisum, dici potest quod naturae ipsimet artissime unitae offeratur.

PHIL. - At si Patris deitati sacrificium offertur, eadem autem Unigeniti quoque est deitas, quid quaeso obstat, quominus idem Unigeniti quoque deitati offerri dicatur?

SOT. - Sane eandem, o bone, deitatem indivisam in tribus personis fatemur. Attamen, quod saepe diximus, et nunc quoque repetere nos haud piget, non naturae sed personae Patris facta est oblatio; ita ut et offerens, personaliter obtulerit; pariterque recipiens nonnisi personaliter acceperit. Quamobrem

προσληφθεῖσαν φύσιν ἔχειν πρὸς ἡμᾶς οἰκείως, τὴν δ' ἑνωθεῖσαν αὐτῇ θεότητα δεῖσθαι τῆς πρὸς ἡμᾶς διὰ θυσίας καταλλαγῆς; ἢ κατὰ Παῦλον εἰπεῖν, μεμέρισται ὁ Χριστός; ὡς εἶναι, τὸ μὲν φίλον αὐτῷ, τὸ δὲ ἀντίθετον.

Φίλ. - Ἀλλ' εἴπερ, φησὶ, τὸ τῷ πατρὶ προσαγόμενον διὰ τοῦ Θεοῦ λόγου προσάγεται, οὐδεὶς γάρ, φησι, πρὸς τὸν πατέρα ἔρχεται εἰ μὴ δι' ἐμοῦ, πῶς ἐνῆν προσενηνέχθαι τὴν θυσίαν ταύτην, μὴ πρότερον τῇ τοῦ μονογενοῦς προσενεχθεῖσαν θεότητι;

Σωτ. - Οὐχ ἡ τοῦ λόγου θεότης, ὦ οὗτος, πρὸς γὰρ ἐκεῖνον στρέφω τὸν λόγον, ἐν ταῖς πρὸς τὸν πατέρα προσαγωγαῖς ἐμεσίτευσεν, ἀλλ' αὐτὸς ὁ θεάνθρωπος λόγος χρηματίσας κατὰ τὴν πληροφορηθεῖσαν φύσιν ἀρχιερεύς, καὶ τότε τὸ οἰκεῖον αἷμα προσαγαγὼν, καὶ νῦν τοὺς σωζομένους δι' αὐτοῦ προσάγων τῷ πατρὶ, ἵνα θεώσῃ τῇ χάριτι· τοῦτο γὰρ τῆς προσαγωγῆς τὸ τέλος· μάθοις δ' ἂν καὶ ἐκ τῆς κατὰ τύπον θυσίας ὃ λέγομεν· τέσσαρά τινα περὶ τὴν ἐν

nobiscum; eiusdem vero deitatem humanitati unitam, oportere nobis per sacrificium reconciliari? Quasi cum Paulo dicamus: num divisus est Christus? ita ut pars eius, amica; pars vero alia, adversaria sit?

PHIL. - At enim, si quod Patri offertur, per Deum Verbum offertur; nemo enim, uti scriptum est, ad Patrem venit nisi per me; quomodo fieri poterat ut hoc sacrificium offerretur, nisi antea ipsius Unigeniti deitati fuisset oblatum?

SOT. - Non Verbi deitas, o sodes, namque ad ipsum orationem meam converto, sed theandricum ipsummet Verbum, ceu in adsumpta natura pontifex, et tunc proprium sanguinem obtulit, et nunc salvatos Patri offert, ut gratia sua deificet: hic quippe est oblationis finis. Intelliges autem quod dicimus vel ex illo quod in figura flebat sacrificio. Nam quatuor in figurali illo spectabantur, oblatio, consecratio, ele-

τύπῳ θυσίαν ἐθεωρεῖτο, προσαγωγή, καθιέρωσις, ἀναγωγή, ἀφοσίωσις· προσήγετο μὲν γὰρ ὁ ἀμνὸς καθιερωθησόμενος· καθιερώμενον δὲ οἱ τὸ αἷμα εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἀνήγετο ἅγια· ἀνηγμένον δὲ καὶ προσενεχθὲν, ἀφωσιοῦτο· ὥσπερ οὖν οὐκ ἔστι λέγειν προσάγεσθαι τὸν ἀφωσιωμένον ἤδη καὶ ἡνωμένον, οὕτως οὐδὲ τὸ τοῦ σωτῆρος αἷμα τῆς αὐτοῦ θεότητος ἀχώριστον ὂν, ἔνεστι λέγειν τῇ κατ' ἄκρας ἡνωμένῃ φύσει προσάγεσθαι.

Φιλ. - Ἀλλ' εἰ τῇ θεότητι, φησὶ, τοῦ πατρὸς, ἡ θυσία προσήγετο, ἡ αὐτὴ δὲ θεότης κἀν τῷ μονογενεῖ, τί κωλύει καὶ τῇ τοῦ μονογενοῦς θεότητι λέγειν ταύτην τότε προσάγεσθαι;

Σωτ. - Ἡ αὐτὴ μὲν, ὦ τὰν, θεότης ἀμερίστως ἐνθεωρεῖσθαι ταῖς τριτταῖς ὑποστάσεσιν ὡμολόγηται· πλὴν ὃ πολλάκις εἴρηται, καὶ νῦν οὐκ ὀκνοῦμεν λέγειν, ὡς οὐχὶ τῇ φύσει τοῦ πατρὸς, τῇ δὲ τοῦ πατρὸς ὑποστάσει προσήγετο· ὡς καὶ τὸν προσάγοντα προσάγειν ὑποστατικῶς, καὶ τὸν δεχό-

vatio, expiatio. Offerebatur enim agnus consecrandus, consecratus autem eius sanguis ad sancta sanctorum elevabatur, elevatum denique expiabatur. Sicut ergo dici nequit, quod offeratur id quod iam expiatum fuerit et Deo unitum, ita ne Servatoris quidem sanguinem, utpote ab eius deitate indivisum, dici potest quod naturae ipsimet arctissime unitae offeratur.

PHIL. - At si Patris deitati sacrificium offertur, eadem autem Unigeniti quoque est deitas, quid quaeso obstat, quominus idem Unigeniti quoque deitati offerri dicatur?

SOT. - Sane eandem, o bone, deitatem indivisam in tribus personis fatemur. Attamen, quod saepe diximus, et nunc quoque repetere nos haud piget, non naturae sed personae Patris facta est oblatio; ita ut et offerens, personaliter obtulerit; pariterque recipiens nonnisi personaliter acceperit. Quamobrem

μενον ὑποστατικῶς ὑποδέχεσθαι· διό μοι διττῶς ἐξαμαρτάνειν δοκεῖς, ἀπομερίζων μὲν, τὸ εἰς σέ γε ἧκον, τὴν ἀμέριστον φύσιν, παρέχων δὲ καὶ ταῖς φύσεσι τὰ τῶν ὑποστάσεων ἰδιώματα· πρὸς δὲ τούτοις, εἰ τῷ εἶναι κοινὴν υἱῷ καὶ τῷ πατρὶ τὴν φύσιν, διὰ ταῦτα συμβαίνει κοινὴν εἶναι καὶ τὴν τῆς θυσίας ὑποδοχὴν, ἀνάγκη εἶναι λέγειν κοινὴν καὶ τὴν σάρκωσιν ἀμφοῖν· εἰ γὰρ ἡ τοῦ λόγου θεότης σεσάρκωται, ἡ αὐτὴ δέ ἐστι θεότης καὶ ἐν πατρὶ καὶ ἐν πνεύματι, ἀνάγκη καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα σεσαρκῶσθαι λέγειν· ὁρᾷς οἷα σοι τοῦ λόγου παρ' ἡμῶν ὑποτιθέντος συνάγεται;

Φίλ. – Ἀλλὰ Βασίλειος ὁ θεῖος τοῖς παρ' ἡμῶν, φησὶ, λεγομένοις προσμαρτυρεῖ· κατὰ γὰρ τὴν θείαν μυσταγωγίαν ὑποφωνεῖ τῷ σωτῆρι Χριστῷ μυστικώτερον· σὺ εἶ, λέγων, ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος.

Σωτ. – Εἰ μὲν τὸν σωτῆρα λέγεις, ὦ οὗτος, προσφέρειν μὲν τῷ πατρὶ τοὺς δι' αὐτοῦ σωζομένους, προσφέρεσθαι δὲ

mihi dupliciter peccare videris, dum et indivisam naturam, quantum in te est, dividis; et dum naturis ea quae sunt personarum propria adtribuis. Praeterea, si quia communis est Filio Patrique natura, idcirco communem quoque contingit esse receptionem, necessario sequitur, ut incarnatio quoque ambobus fuerit communis. Nam si Verbi deitas est incarnata, eadem autem deitas in Patre Spirituque est, prorsus oportet ut Patrem quoque et Spiritum incarnatos esse dicamus. Viden ad quam te absurditatem sermo a nobis expositus perducat?

PHIL. - Interim tamen divus Basilius sententiae meae suffragatur. Etenim in sacrosancta liturgia Christo servatori pientissime succlamat: tu es qui offers, et qui offereris, et qui recipis.

SOT. - Siquidem Servatorem dicis offerre Patri homines qui per eum salvi fiunt, ipsummet vero offerri per incruentum

τὸν αὐτὸν διὰ τῆς ἀναιμάκτου θυσίας τῆς εἰς ἀνάμνησιν αὐτοῦ γινομένης, προσδέχεσθαι δὲ αὐτὸν τὰ παρ' ἡμῶν ὡς θεὸν, συνευδοκοῦμεν τῷ λόγῳ καὶ συντιθέμεθα· εἰ δὲ τὰς ἀντικειμένας ταύτας λέξεις συναπομερίζεις ταῖς φύσεσι, παρασιωπῶν τὴν ὑπόστασιν, καὶ λέγεις προσφέρειν μὲν τὴν προσληφθεῖσαν φύσιν τὰ τῆς σαρκὸς, προσφέρεσθαι δὲ τὴν τῆς σαρκὸς θυσίαν, προσδέχεσθαι δὲ τὴν θεότητα, σὺ μὲν τὸ ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκων, σεαυτὸν λανθάνεις.

Φίλ. – Ἡμεῖς δὲ μετὰ τῆς αὐτῆς ἀντιστησόμεθα γνώμης, καὶ ὁμόσαι χωρήσομεν, οὐκ ἐφιέντες τῷ λόγῳ ὡς παρακεχαραγμένῳ, καὶ τῆς τοῦ Νεστορίου φρενοβλαβείας ἐξηρτημένῳ.

Σωτ. – Χωρὶς δὲ τούτων τίς τῶν εὐσεβούντων προσοῖτο ἂν τὸ προσφέρειν ἐπὶ τῆς κατὰ τὸ πάθος γενομένης θυσίας προσδέχεσθαι; τοῦ ἀποστόλου κεκραγότος Παύλου, ἅπαξ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. Καὶ πάλιν· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας. Καὶ ἀλλαχοῦ· μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκε τοὺς ἀγωνιζομένους εἰς τὸ διηνεκές· οὕτω τοῦ ἀπο-

sacrificium, quod in eius commemorationem fit, denique ipsum utpote Deum recipere quae offeruntur a nobis, adsentimur sermoni tuo, et pedibus in sententiam imus. Sin vero hás locutiones de naturis praedicas, omissa persona, aisque adsumptam quidem naturam offerre quae carnis sunt, offerri autem carnis sacrificium, ab ipsa vero divinitate hanc recipi, incaute ignoras te funiculum ex arena contexere.

PHIL. - Nos tamen in eadem sententia manebimus, et tibi adversabimur neque sermoni tuo ceu adulterino cedemus, quia de Nestorii insana sententia manat.

SOT. - Atqui vel his omissis, quis sano dogmate imbutus oblationem intelligat de sacrificio illo in passione peracto? cum Paulus apostolus clamet: semel Christus mortuus est pro nobis. Et rursus: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. Denique alibi: unica enim oblatione consummavit eos, qui

στόλου λέγοντος, ἅπαξ καὶ μίαν εἶναι τὴν ἑαυτοῦ προσφορὰν, σὺ προσφέρειν ἑαυτὸν καθ' ἑκάστην λέγεις;

Φίλ. - Ἀλλὰ προσήνεγκε μὲν ἑαυτὸν ἐφάπαξ, προσφέρει δὲ καὶ νῦν τοὺς δι' αὐτοῦ σωζομένους, ὡς ἔφημεν· προσφέρεται δὲ διὰ τῆς εἰς τὸ αὐτοῦ ζωοποιὸν καὶ σωτήριον σῶμα καὶ αἷμα μεταβαλλομένης ὑπερφυῶς θυσίας· ἀλλὰ τῶν ἱερουργούντων, φησὶν, οὐκ ἐπαΐεις καθ' ἑκάστην ἱερουργίαν λεγόντων, θύεται ὁ ἀμνός;

Σωτ. - Λέγεται μὲν παρ' αὐτοῖς γε τοῦτο καὶ λίαν καλῶς, τὸ τότε γενόμενον σωτήριον πάθος τελοῦσιν ὡς ἐνεστὼς· ὡς ἐνεστῶτα γὰρ τὰ πάλαι γεγενημένα καινίζει φαντασικῶς, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν εἰκονικῶς, ἡ ἀνάμνησις, ἣν ποιεῖν ἡμᾶς ἐπέταξεν ὁ σωτὴρ· καὶ καθάπερ ὁ πανηγυρικὸς ἔχει νόμος τὰ παρῳχημένα λέγειν ὡς ἐνεστῶτα, καθ' ἣν ἄν ποτε τελῆται ἡμέραν· διὸ καὶ, ὁ Χριστὸς γεννᾶται, καὶ βαπτίζεται, πανηγυρικῶς λέγομεν· τοῦτο δὴ καὶ ἐπὶ τοῦ σωτηρίου

certant, in perpetuum. Cum ergo apostolus dicat, semel et unicam fuisse eius oblationem, tu eum semet offerre quotidie adfirmas?

PHIL. - Se ipsum quidem semel obtulit, offert tamen et nunc ut diximus, eos qui per ipsum salvi fiunt. Offertur denique per hostiam mire conversam in eius vivificum et salutare corpus ac sanguinem. Nonne enim sacerdotes audis in singulis missis dicentes, immolatur agnus?

SOT. - Praeclare quidem hoc ab ipsis dicitur, dum veterem illam passionem tamquam praesentem exprimunt. Quasi enim praesentia ac nova peragit imaginando, vel potius repraesentando ea quae olim patrata fuere, ritus ille commemorandi, quem nos observare Servator iussit. More scilicet panegyricarum orationum, quibus praeterita tamquam praesentia habentur, quocumque demum die sollemnitas fiat. Hinc illas locutiones, Christus nascitur, vel baptizatur, oratorie

πάθους τελεῖν εἰωθός ἐστι. Ταῦτα, ὦ χρῆμα ἱερὸν καὶ φίλον ἐμοί, τῷ ἀνδρὶ ἐκείνῳ διάγγελλε, καὶ εἴ τι σοι μέλει τούτου, ὑφεῖναι πεῖθε τοῦ δόγματος.

Φίλ. - Ἀμέλησον, ὦ γενναῖε· κἀκεῖνῳ γὰρ οὐκ οἶμαι μένειν εἰς ἔτι τὰ τῆς ἐνστάσεως, ἀλλὰ παλινῳδίαν ᾄσειν καὶ μεθαρμόσασθαι· διὸ καὶ συγγνῶναι ἁ δεῖν ἡγοῦμαι καὶ σπείσασθαι.

Σωτ. - Συγγνώμων, ὦ φιλότης, καὶ αὐτὸς ἐγώ σοι, καὶ μεταμελομένῳ δίδωμι δεξιάν· καὶ μᾶλλον ἂν ἀμελετήτου γνώμης εἴρηται ταῦτα· πολλὰ δὲ τοιαῦτα συμβαίνειν τοῖς σχεδιάζουσιν εἴωθεν.

usurpamus. Sic de passione quoque dominica loqui solemus. Haec, o reverende mihi ac dulcissime, viro illi refer. Et si tibi salus eius cordi est, ut a suo dogmate recedat, suade.

PHIL. - Omitte hanc, o bone curam; etenim ne illum quidem diutius adversaturum opinor, sed palinodia potius cantata sententiam mutaturum. Quapropter illi ignoscendum a nobis existimo, et in gratiam redeundum.

SOT. - Ego quoque tibi, carissime, indulgeo, et resipiscenti dexteram porrigo: praesertim quia haec nequaquam ex praemeditato dici solent, sed quasi ex abrupto loquentibus excidunt.

ΣΥΝΟΔΟΣ.

Σημείωμα ἐπὶ τῇ ῥηθείσῃ ὑποθέσει γεγονὸς ἐν τῷ πατριαρχείῳ πολλῶν συνεληλυθότων ἀρχιερέων, καὶ ἐκ τῆς συγκλήτου οὐκ ὀλίγων, καὶ πάντων ὀρθοδόξως ὁμοφωνησάντων, ὅτι οὐ μόνον τῷ πατρὶ ἀλλὰ δὴ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, τῇ μιᾷ θεότητι, τὸ μονογενοῦς προσηνέχθη τίμιον αἷμα.

Μηνὶ ἰανουαρίῳ, κϛʹ ἡμέρᾳ, ἰνδικτιῶνι δʹ, προκαθημένου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐν τῷ Θωμαΐτῃ, συνδιαγνωμονοῦντος αὐτῷ Νικολάου τοῦ ἱερωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων, ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ καὶ μεγάλου δρουγγαρίου κυροῦ Στεφάνου, τοῦ μεγαλοδοξοτάτου καὶ μεγάλου λογαριαστοῦ κυροῦ Ἰωάννου, τοῦ μεγαεπιφανεστάτου ἀσηκρήτις κυροῦ Νικολάου τοῦ Ζωναρᾶ, τοῦ μεγαεπιφανεστάτου νομο-

SYNODUS.

Commentarius super quaestione quae proposita fuit in aula patriarchali, congregatis ibi multis episcopis, et ex senatu non paucis, qui omnes in hac orthodoxa sententia uno ore consenserunt, quod non Patri solum, verum etiam Filio ac Spiritui sancto, uni scilicet deitati, pretiosus unigeniti sanguis fuerit oblatus.

Mensis ianuarii, die vigesima sexta, indictione quarta, praesidente sanctissimo domino nostro et oecumenico patriarcha Constantinopoleos in aede divo Thomae sacra, suffragium una ferente Nicolao sacratissimo Hierosolymorum patriarcha, praesentibus pansebasto sebasto et magno drungario domino Stephano, gloriosissimo et magno logotheta domino Iohanne, illustrissimo a secretis domino Nicolao Zonara, illustrissimo

φύλακος καὶ ἐπὶ τῶν οἰκειακῶν κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Παντεχνοῦς· συνεδριαζόντων καὶ ἱερωτάτων ἀρχιερέων τοῦ Ἐφέσου, τοῦ Ἡρακλείας, τοῦ Ἀγκύρας, τοῦ Κυζίκου, τοῦ Σάρδεων, τοῦ Κλαυδιοπόλεως, τοῦ Ἀντιοχείας Πισιδίας, τοῦ Ἀθηνῶν, τοῦ Μωκησοῦ, τοῦ Τραπεζοῦντος, τοῦ Λαρίσσης, τοῦ Ῥόδου, τοῦ Δυῤῥαχίου, τοῦ Εὐχαΐτων, τοῦ Ῥωσίας, τοῦ Αἴνου, τοῦ Ἀπαμείας, τοῦ Μεθύμνης, τοῦ Παροναξίας, τοῦ Μεσημβρίας, τοῦ Βρυσέως, τοῦ Γοτθίας, καὶ τοῦ Ἡρακλέος, παρισταμένων καὶ θεοφιλεστάτων δεσποτῶν, ἀρχόντων, καὶ ἑτέρων οὐκ ὀλίγων.

Τοῦ μακαρίου ἀποστόλου Παύλου μεμνημένοι λέγοντος· ἔχοντες ἀρχιερέα μέγαν διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας· ὀφείλομεν πάντως καὶ ἡμεῖς οἱ τοῦ μεγάλου καὶ πρώτου ἀρχιερέως ἱερουργοὶ κατ' ἴχνος τῆς ἀποστολικῆς ταύτης παραγγελίας συνέπεσθαι, καὶ ἐπὶ πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς τε καὶ θείοις δόγμασιν, οὐχ ἥκιστα καὶ ἐπ' αὐτῇ τῇ τῆς ἱερουργίας φρι-

nomophylace et domesticis praeposito domino Theodoro Pantechne; considentibus etiam sacratissimis episcopis Ephesi, Heracleae, Ancyrae, Cyzici, Sardium, Claudiopoleos, Antiochiae in Pisidia, Athenarum, Mocesi, Trapezuntis, Larissae, Rhodi, Dyrrachii, Euchaitarum, Russiae, Aeni, Apameae, Methymnae, Paronaxiae, Mesembriae, Bryseos, Gothiae, et Heraclidis, adstantibus etiam Deo carissimis despotis, principibus, aliisque non paucis.

Memores beati apostoli Pauli dicentis: habentes pontificem magnum, qui in caelum conscendit, Iesum Dei filium, teneamus fidei confessionem; nos quoque omnino debemus, quum sub magno primoque pontifice sacerdotes simus, apostolicum hoc praeceptum presse sequi, cum in aliis omnibus sacris divinisque dogmatibus, tum haud segnius in ipso tremendo venerandoque missae sacrificio, quod sacerdotum munus constat

κώδει καὶ σεπτῇ τελετῇ, ἣ καὶ πρώτιστον ἔργον τῶν τὰ θεῖα μυσταγωγούντων ἐγνώρισται· ἐπεὶ οὖν οὕτω μὲν ταῦτα προσήκει, λόγος δέ τις παρεμπέπτωκεν, ὃν δὴ καὶ εἰς τὰς ἁπάντων σχεδὸν ἀκοὰς διατεθρυλλῆσθαι ἤδη συμβέβηκεν, ὡς ἄρα ἡ ἐπὶ τοῦ σωτηρίου πάθους ἐκτελεσθεῖσα παρὰ τοῦ ἐνανθρωπήσαντος λόγου θυσία, τοῦ δεσποτικοῦ φαμὲν σώματος καὶ αἵματος, προσεπὶ τούτοις δὲ καὶ ἡ καθ' ἡμέραν παρὰ τῶν ἱερουργούντων ἐνεργουμένη μυστηριώδης ἁγιστεία πρὸς τὴν ἐκείνου ἀνάμνησιν, οὐ καὶ τῷ υἱῷ προσηνέχθη τε καὶ προσάγεται, ἀλλά γε μόνῳ τῷ πατρί.

Μέλλων δὲ ἐπὶ τούτοις καὶ ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης Ῥωσίας μακροτέραν ἀποδημίαν τὴν πρὸς τὴν λαχοῦσαν αὐτὸν στείλασθαι, τὴν μὲν οἰκείαν γνώμην ἀριδηλοτέραν ἡμῖν καὶ ἄλλοτε παρέστησεν, ὡς μικρῷ κατωτέρω περὶ ταύτην ῥηθήσεται, οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς ἀλελφότητος περὶ τούτου δόξαν ὅπως ἔχει μαθεῖν διαφόρως ἐζήτησε, καὶ ἦν ἀναγκαῖον διὰ ταῦτα μὴ ἐν παρέργῳ θέσθαι τοῦτο τὸ σπούδασμα, δεῖν ἔγνωσται τῇ ἡμῶν μετριότητι μὴ μόνον τοὺς

esse praecipuum. Quandoquidem igitur haec ita se habere necesse est, et sermo quidem commotus fuit, quem ad cunctorum prope aures pervenisse iam contigit, quod nempe peractum in salutari passione ab incarnato Verbo sacrificium, dominici inquam corporis sanguinisque; et quod insuper quotidiana sacerdotum mystica res divina, quae in illius commemorationem fit, haudquaquam filio oblata fuerit vel nunc offeratur, sed patri tantummodo;

Quum praeterea deberet sacratissimus Russiae metropolita longum iter ad provinciam propriam suscipere, qui suam utique sententiam aliâs iam aperte nobis exposuerat, nunc autem fratrum quoque suorum hac super re mentem cognoscere magnopere postulabat, sane oportuit non perfunctorio opere studio huic occurrere, visumque est mediocritati nostrae non

ἐνδημοῦντας τὸ τέως ἐνταῦθα συλλειτουργοὺς αὐτῆς συγκαλέσασθαι ἅπαξ πάντας, ἀλλ' ἐν πρώτοις μὲν καὶ αὐτὸν τὸν ἁγιώτατον ἀδελφὸν αὐτῆς καὶ συλλειτουργὸν πατριάρχην Ἱεροσολύμων Νικόλαον, πρὸς δὲ καὶ τοὺς ἐν τῇ βασιλίδι ταύτῃ πόλει παρατυχόντας τό γε νῦν ἔχον μέγα ὑπερόχους ἄνδρας τῷ ὄντι καὶ ἐλλογιμωτέρους τῶν τῆς συγκλητικῆς βουλῆς.

Καὶ δὴ γενομένου καὶ πλήρους καταστάντος τοῦ συνεδρίου τὴν σήμερον ἔκ τε τῆς τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ὡς εἴρηται συνελεύσεως, τῶν τε τῆς συγκλήτου λογάδων καὶ τῆς ἱεραρχικῆς ὁμηγύρεως ὡς διείληπται, ὁ διαληφθεὶς ἱερώτατος μητροπολίτης Ῥωσίας, ταῦτα καὶ πάλιν εἰς κοινὴν ἀκρόασιν ἀπετείνατο, ὡς αὐτὸς μὲν οὕτω πρεσβεύει, εἰ καὶ ἀραρότως ἔχει, περὶ τῆς ζωοποιοῦ θυσίας, μήτ' ἀρχῆθεν ὅτε παρὰ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ δηλονότι τετέλεστο, μήτ' αὖθις τὸ ἀπ' ἐκείνου μέχρι καὶ σήμερον, μόνῳ τῷ ἀνάρχῳ τοῦ μονογενοῦς πατρὶ ταῦτα προσῆχθαι καὶ προσάγεσθαι, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ ἐνανθρωπήσαντι λόγῳ· καὶ μὴν μηδὲ τὸ ἅγιον

huius tantummodo regionis consacerdotes omnes nunc esse convocandos, sed in primis consacerdotem nostrum ac fratrem sanctissimum Hierosolymorum patriarcham Nicolaum: atque insuper quotquot sunt in hac regia urbe sublimiores ex ordine senatorio atque doctiores.

εζομένῳ λέγει· ἡ δὲ θεότης ἵδρυται εἰς τὴν οἰκείαν μακαριότητα τιμήν τε καὶ δόξαν, παρ' ἑτέρου μείζονος μὴ ἐπιτρεπομένη ἢ προτρεπομένη εἰς τοῦτο· ἀλλ' ἡ ἀνθρωπότης τοῦ Χριστοῦ ὑπὸ τῆς ἡνωμένης αὐτῇ ἀχωρίστως θεότητος ἐπιτρέπεται ἀκούουσα, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ὡσανεὶ ἐν τῇ ἐμῇ τιμῇ· οὔτε γὰρ δεξιὰ οὔτε ἀριστερὰ ἔχει ὁ θεὸς ἀπερίγραπτος ὑπάρχων· ἀλλὰ τοῦτο αὐτὸ λέγει, ὅτι κάθου ἐν τῇ ἐμῇ τιμῇ, ὡσανεὶ εἰς πρόσωπον ἐμὸν, ὡς εἰκὼν θεοῦ παντὶ τῷ κόσμῳ δεικνυμένη· οὕτω γὰρ καὶ Δανιὴλ λέγει· καὶ αὐτῷ ἐδόθη ἡ βασιλεία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ ἐξουσία, καὶ τὰ λοιπά· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ κύριος φησίν· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς· παρακατιὼν δὲ λέγει πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ ψαλμῷ περὶ τῆς θεότητος· ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε· ὡσανεὶ τοῦ πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν κατὰ τὴν θεότητα λέγοντος, ὅτι πρὸ πάσης κτίσεως ἀπὸ γαστρὸς· τὸ ὁμοούσιον θέλων σημᾶναι· οὐχ ὕστερον προσλαβὼν, ἀλλ'

humanitati conveniunt: nam vocabulum, sede, de nondum sedente dicitur. Atqui deitas in sua beatitudine honore gloriaque fundata sedet, quin ab aliquo maiore ad id vocetur aut compellatur: sed utique Christi humanitas ab unita sibi inseparabiliter deitate invitatur dum audit, sede a dextris meis, id est veluti in honoris mei paritate. Neque enim vel dexteram vel sinistram Deus habet, utpote non circumscriptus. Dicit ergo: sede in honore meo, tamquam mea persona, utpote imago Dei universo mundo ostentata. Quippe ita Daniel quoque ait: et ipsi datum est regnum, honor, potestas, et reliqua. Quin adeo ipse Dominus dixit: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Mox vero in eiusdem psalmi progressu ait de divinitate: ex utero ante luciferum genui te: tamquam si pater ad filium ratione divinitatis dicat, ante omnem creaturam ex utero, hoc vocabulo consubstantialitatem denotare volens; non postea assumens, sed in me ipso te

ἐν ἐμαυτῷ σε ἔχων ἀνάρχως καὶ ἀπεράντως· ὡς ἀπὸ γαστρὸς ἐκ τῆς ἡμετέρας οὐσίας σε ἐγέννησα συνόντα καὶ συνυπάρχοντα· εἶτα πάλιν εὐθέως καὶ περὶ τῆς ἀνθρωπότητος δηλῶν φησίν· ὤμοσε κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ· οὐ γὰρ ἡ θεότης ἱερατεύει, ἀλλὰ μᾶλλον λατρεύεται, καὶ τὰ ἱερεῖα προσδέχεται· μέμνηται δὲ καὶ τῆς χρήσεως ὁ ἀπόστολος Παῦλος ἐν τῇ πρὸς ἑβραίους ἐπιστολῇ λέγων οὕτως· καθάπερ ὁ Ἀαρὼν, οὕτως καὶ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενέσθαι ἀρχιερεὺς, ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε· καθὰ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει· σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ· πάντα περὶ τῆς ἀνθρωπότητος ἐκλαβών.

Συλλογισμὸς τοῦ μεγάλου δρουγγαρίου κυροῦ Στεφάνου.

Ὅλῃ τῇ θεότητι προσκεκρούκαμεν ἡμεῖς διὰ τῆς παραβάσεως, τῇ ἐν ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι θεωρουμένῃ, πατρὸς υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ἢ μόνῳ τῷ πατρί; εἰ μὲν μόνῳ

habens sine principio vel fine: tamquam ex utero ex nostra substantia te genui coniunctum mihi et coëxistentem. Deinde rursus illicoque de humanitate praedicat: iuravit Dominus, et non paenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec: non enim deitas sacrificat, sed potius colitur et hostias recipit. Meminit huius testimonii Paulus quoque apostolus in epistola ad Hebraeos sic: sicuti Aaron, sic et Christus nequaquam sibi sacerdotii honorem vindicavit, sed qui dixit ei: filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut et alibi ait: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Videlicet omnia de humanitate intelligens.

Syllogismus magni drungarii domini Stephani.

Num universam deitatem, quae deitas scilicet in tribus spectatur personis, Patre, Filio, et Spiritu sancto, offendimus nos praecepti transgressione, an potius solum Patrem? Si Pa-

τῷ πατρὶ, καὶ αὐτῷ μόνῳ κατὰ τοὺς φληναφοῦντας καταλλάγημεν διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἐνανθρωπήσαντος υἱοῦ αὐτοῦ· εἰ δὲ ὅλῃ τῇ τριάδι, ὅλῃ τῇ τριάδι προσηνέχθη καὶ τὸ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ αἷμα· ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ Χριστῷ, ἤτοι τῇ μιᾷ τούτου ὑποστάσει, θεωρεῖται τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον, τὸ θνητὸν καὶ τὸ ἀθάνατον, οὕτω καὶ τὸ προσάγον καὶ τὸ προσδεχόμενον· ὁ αὐτὸς γὰρ ὡς ἄνθρωπος προσήγαγε, καὶ ὡς θεὸς προσεδέξατο.

Εὐστρατίου τοῦ Νικαίας ἐκ τοῦ δευτέρου περὶ τῶν ἀζύμων λόγου. (1)

Ἀλλὰ καὶ ὅτε χαριστήριον τοῦ σωτηρίου πάθους τῷ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντι προσφέρεται, καὶ ὅτε ὑπὲρ ζωῆς ἡμῶν τῆς ἐν σώματι, καὶ ὅτε ἵνα ἀφεθῇ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἃ ζῶντες ἐνταῦθα προσκεκρούκαμεν, καὶ ὅτε ὑπὲρ τῶν ἐντεῦθεν οἰχομένων πιστῶν, ἀναγκαῖον ζυμῷ τὸν ἄρτον εἶναι τὸν προσφερόμενον, τὸν ψυχῆς ἔχοντα σύμβολον (2)· τό τε γὰρ δι' ἡμᾶς

trem tantummodo offendimus, utique huic soli, iuxta hos blaterones, reconciliati sumus per filii eius incarnati sanguinem. Quod si totam Trinitatem offendimus, utique toti Trinitati oblatus fuit unigeniti filii Dei sanguis. Sicut enim in uno eodemque Christo, qui in unica persona subsistit, agnoscitur corruptibilitas et incorruptibilitas, mortalitas et immortalitas, sic etiam oblatio et receptio. Idem enim quatenus homo obtulit, quatenus Deus recepit.

Eustratii nicaeni ex secundo de azymis sermone.

Revera et cum salutaris passionis sacrificium, ei qui pro nobis est passus offertur, sive pro nostra corporali vita, sive pro animabus nostris ut remittantur ea quae in vita peccavimus, sive pro iis qui hinc migraverunt, necesse est panem

(1) Non extant hi de azymis sermones Eustratii.

(2) Levem oppido hanc obiectionem Graecorum iudicat Ciampinius in suo de azymo opusculo cap. I. Tum cap. III. apud eundem dissolvit

πεπονθὸς σῶμα τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ ζῶν τε καὶ ἔμψυχον, τά τε ἡμέτερα ὡσαύτως, καὶ τὰ ὑπὲρ ἀφέσεως σφαλμάτων, εἴτε τὸ ἐν τῇ παρούσῃ ἔτι ἐνδημούντων ζωῇ, εἴτε τῶν ἐκ ταύτης ἤδη ἀπολυθέντων πιστῶν, ὑπὲρ ψυχῶν ἐστὶ προσφερόμενα· οὐδὲν δέ τι πάντως προσίσταται, εἰ χαριστήριόν ποτε τῆς ζωῆς ἡμῶν τῆς ἐν σώματι, τὸν ἄρτον προσφέρομεν· ὡς γὰρ τὸ ἡμέτερον ὁ σωτὴρ ἑαυτῷ διὰ τῆς προσλήψεως ᾠκειώσατο, οὕτως καὶ τὸ ὑπὲρ ἑαυτοῦ προσφερόμενον ἑαυτῷ οἰκειούμενος, ἑαυτοῦ σῶμα ποιεῖται, καὶ ἡμῖν αὐτοῦ μεταδίδωσι.

Φωτίου πατριάρχου ἐκ τοῦ λόγου, οὗ ἡ ἀρχὴ· πῶς θελητός τε καὶ ἀθέλητος τῷ πατρὶ ὁ θάνατος λέγοιτ' ἂν εἶναι τοῦ Χριστοῦ; καὶ πῶς πάλιν ὁ αὐτὸς συνέλθοι τῷ πονηρῷ θελητὸς τὲ ἅμα εἶναι καὶ ἀθέλητος; (1)

Ἐπεὶ τὸ λύτρον πρὸς δύο τινὰ τὴν ἀναφορὰν ὡς ἐπίπαν

illum qui offertur esse fermentatum, quia fermentum animae symbolum est. Nam et Christi in passione corpus vivum erat et animatum; et nostra similiter sacrificia, pro remissione peccatorum, sive adhuc viventium fidelium sive defunctorum, pro animabus offeruntur. Nihil vero prorsus officit, quod aliquando ob gratiarum actionem pro corporali nostra vita, panem offerimus: sicuti enim corpus nostrum Dominus per incarnationem fecit suum, ita panem quem pro se quisque offert, sibi vindicans suum corpus efficit, nobisque retribuit.

Photii patriarchae, ex sermone, cuius initium est: quomodo et voluntaria simul et involuntaria Patri mors Christi dici queat. Et quomodo rursus accidat ut eadem mors diabolo voluntaria simulque involuntaria fuerit.

Redemptionis pretium duplici sub notione generatim consi-

cam graecus Gennadius, qui concludit utrumque ritum sive latinum sive graecum recte se habere.

(1) Est haec Photii quaestio amphilochiana XXIV, quam nos edidimus Script. vet. T. I. Fragmentum hoc legitur ibi p. 79. ed. nov.

ἔχει, ῥύσιόν τε τῶν κατεχομένων εἶναι, καὶ δῶρον ἐρᾶσθαι τῷ κατέχοντι· ὡς μὲν ῥύσιον τῶν κατεχομένων, λύτρον ἂν εἴη τὸ σωτήριον αἷμα· ὡς δὲ δῶρον τοῦ κατέχοντος, οὐδαμῶς· ἐπεὶ καὶ πολλὰ ἄλλα τῷ κυρίως λεγομένῳ προσόντα λύτρῳ, τῇ ἀφράστῳ ταύτῃ καὶ ὑπὲρ λόγον οὐ πρόσεστιν οἰκονομίᾳ· καὶ γὰρ ὁ μὲν τὸ λύτρον διδοὺς, οὐκέτι δυνάμενος κύριος εἶναι ὧν παρέσχε, τὴν ζημίαν ἔχει κατὰ τὸ ἀπαραίτητον ἀκολουθοῦσαν· κερδαίνει δ' ὁ λαβὼν, καὶ καθίσταται δεσπότης ὧν πρότερον τὴν ἐξουσίαν οὐκ εἶχεν· ἐνταῦθα δὲ τοὐναντίον ἅπαν· ὁ μὲν καταθέμενος τὸ λύτρον (καὶ γὰρ πάντα ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ οὐδὲ τὸ τοῦ Ἄβελ αἷμα, οὐδὲ μὲν τῶν μαρτύρων, ἔξω τῆς αὐτοῦ καθέστηκε προνοίας καὶ χειρὸς) οὐδὲν μὲν δηλονότι ἐζημίωται· τίς γὰρ ἂν ὅλως εἰπεῖν ἐννοήσοι ὡς μὲν τῶν θεραπόντων αὐτοῦ, καὶ ὧν ἐκενώθησαν αἱμάτων, ἔστι λόγος αὐτῷ, καὶ μετὰ θάνατον ὡς ἀθανάτων βοώντων ἀκούει; τὸ δὲ σωτήριον καὶ ζωοποιὸν

deratur, nimirum ut captivorum redimiae, atque ut captivorum domino donum oblatum. Christi sanguis, quatenus redimiarum vice fungitur, sane pretium redemptionis dici potest; verumtamen quatenus donum mangoni est, illo nomine uti nequit. Et quidem alia multa redemptionis proprie dicto pretio insunt, quae arcanae huic et inenarrabili oeconomiae non congruunt. Siquidem qui pretium dedit, quia rei eius deinceps dominus esse non potest, detrimentum necessarium patitur: contra qui accipit, lucro augetur, fitque rei dominus quae in eius potestate antea non erat. Nunc omne contra est. Qui pretium obtulit (quandoquidem omnia in Dei potestate sunt, neque ipsius Abelis neque martyrum sanguis ab eius providentia dominioque abfuit) hic inquam nullum cepit detrimentum. Nam quis omnino existimare velit, ab eo qui famulorum suorum, et quorum sanguis exhaustus fuit, curam gerit, quique mortuorum tamquam viventium clamores au-

αἷμα τοῦ κόσμου, οὐκ ἐν τοῖς ἀθανάτοις τῆς αὐτοῦ προνοίας ταμείοις συνέχει ἀνώλεθρον αὐτῷ, καὶ φθορᾶς σωμάτων ἀνέπαφον συντηρούμενον; οὐκ ἐζημίωται τοίνυν οὐ μὲν οὖν ὁ τὸ λύτρον καταθέμενος, ἀλλὰ καὶ τοῦ γένους ἡμῶν παντὸς ὁ φιλάνθρωπος προσεκέρδησε τὴν σωτηρίαν.

Τοῦ Δαμασκηνοῦ.

Ὁ τῶν ὅλων θεὸς καὶ πατὴρ, καθ᾽ ὃ πατὴρ θέλει, ἢ καθ᾽ ὃ θεός; ἀλλ᾽ εἰ μὲν καθ᾽ ὃ πατὴρ, ἄλλο τὸ αὐτοῦ ἔσται παρὰ τὸ τοῦ υἱοῦ θέλημα· οὐ γὰρ πατὴρ ὁ υἱός· εἰ δὲ καθ᾽ ὃ θεὸς, θεὸς δὲ καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἄρα τὸ θέλημα φύσεώς, ἤγουν φυσικόν· καὶ σὺ γοῦν κατὰ τοῦτον συλλογισάμενος ἐρώτησον· ὁ τῶν ὅλων θεὸς καὶ πατὴρ καθ᾽ ὃ πατὴρ προσεδέξατο τὸ τοῦ μονογενοῦς αἷμα, ἢ καθ᾽ ὃ θεός; ἀλλ᾽ εἰ μὲν καθ᾽ ὃ πατὴρ, ἄλλη αὐτοῦ ἔσται παρὰ τὴν τοῦ υἱοῦ δύναμις τὲ καὶ ἐνέργεια· οὐ γὰρ πατὴρ ὁ υἱός· εἰ δὲ καθ᾽ ὃ θεὸς, θεὸς δὲ καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα

dit; quis inquam putet, salutarem et qui orbem vivificat sanguinem, in thesauris providentiae suae ab eo non fuisse incolumem conservatum, atque ab omni corporea corruptione defensum? Non igitur damnum passus est qui pretium contulit, immo universi generis nostri clemens Iesus salutem lucratus est.

Damasceni.

Universorum Deus et pater vultne quatenus pater est, an quatenus Deus? Si quatenus Pater, alia erit voluntas eius quam Filii; neque enim Pater idem est qui Filius. Sin vult quatenus Deus, Deus autem aeque est Filius et sanctus Spiritus, utique voluntas naturae est, id est naturalis. Ergo tu quoque similiter syllogismum instrue. Universorum Deus et Pater, num quatenus Pater est, sanguinem unigeniti excepit, an quatenus Deus? Si quatenus Pater, alia erit eius virtus et operatio quam Filii; non enim idem Pater ac Filius. Sin qua-

τὸ ἅγιον, ἄρα τὸ τοῦ μονογενοῦς αἷμα τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος, ἡ αὐτὴ ἁγία τριὰς καθ' ὃ Θεὸς προσεδέξατο.

'Εκ τοῦ συνοδικοῦ τοῦ ἀναγινωσκομένου ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ. (1)

Τοῖς λέγουσιν ὅτι τὴν ἐν τῷ καιρῷ τοῦ κοσμοσωτηρίου τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προσαχθεῖσαν ὑπὲρ τῆς ἡμῶν σωτηρίας παρ' αὐτοῦ θυσίαν τοῦ τιμίου αὐτοῦ σώματός τε καὶ αἵματος, ὡς ἀρχιερέως κατὰ τὸ ἀνθρώπινον δι' ἡμᾶς χρηματίσαντος, ὅτι περ ὁ αὐτὸς καὶ θύτης καὶ θῦμα, κατὰ τὸν πολὺν ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριον, προσήγαγε μὲν αὐτὸς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, οὐ προσεδέξατο δὲ ὡς Θεὸς μετὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸς τὲ ὁ μονογενὴς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ὡς διὰ τούτων ἀποξενοῦσιν αὐτόν τε τὸν Θεὸν λόγον, καὶ τὸ ὁμοούσιον καὶ ὁμόδοξον τούτου παράκλητον πνεῦμα, τῆς θεοπρεποῦς ὁμοτιμίας τὲ καὶ ἀξίας, ἀνάθεμα.

tenus Deus est excepit, Deus autem aeque est Filius et Spiritus sanctus, sequitur ut unigeniti sanguinem idest unius de sancta Trinitate, eadem sancta Trinitas, quatenus Deus est, exceperit.

Ex libro synodico qui in magna ecclesia legitur.

Iis qui dicunt, quod dominus et servator noster Iesus Christus, tempore salutaris suae passionis, pretiosi sui corporis sanguinisque sacrificium, tamquam pontifex in humana pro nobis assumpta natura, quia et sacrificator est et victima, ut magnus ait theologus Gregorius, obtulerit quidem Deo Patri, non tamen ipse unigenitus exceperit quatenus Deus, itemque Spiritus sanctus; ita ut hac adfirmatione excludant ipsum Dei Verbum, nec non consubstantialem et congloriosum Spiritum paracletum, a divini honoris puritate ac dignitate; anathema.

(1) Libri synodici magnae id est constantinopolitanae ecclesiae bonas particulas nos recitavimus ex cod. vat. Spicileg. T. VII. in praefatione.

Τοῖς τὴν καθ' ἑκάστην προσαγομένην θυσίαν ὑπὲρ τῶν παραλαβόντων ἀπὸ Χριστοῦ τῶν θείων μυστηρίων ἱερουργίαν, μὴ δεχομένοις τῇ ἁγίᾳ τριάδι προσάγεσθαι, ὡς ἀντιφθεγγομένοις ἐντεῦθεν τοῖς ἱεροῖς καὶ θείοις πατράσι Βασιλείῳ τε καὶ τῷ Χρυσοῤῥήμονι, οἷς συμφωνοῦσι καὶ οἱ λοιποὶ θεοφόροι πατέρες ἐν τοῖς οἰκείοις λόγοις τὲ καὶ συγγράμμασιν, ἀνάθεμα.

Τοῖς ἀκούουσι μὲν τοῦ σωτῆρος περὶ τῆς παρ' αὐτοῦ παραδοθείσης τῶν θείων μυστηρίων ἱερουργίας, λέγοντος, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, μὴ ἐκλαμβανομένοις δὲ ὀρθῶς τὴν ἀνάμνησιν, ἀλλὰ τολμῶσι λέγειν, ὅτι καινίζει φανταστικῶς καὶ εἰκονικῶς τὴν ἐπὶ τοῦ τιμίου σταυροῦ παρὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν πραχθεῖσαν θυσίαν τοῦ ἰδίου σώματός τε καὶ αἵματος εἰς κοινὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως λύτρον τὲ καὶ ἐξίλασμα, ἡ καθ' ἑκάστην προσαγομένη θυσία παρὰ τῶν τὰ θεῖα ἱερουργούντων μυστήρια, καθὼς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ δεσπότης τῶν ὅλων παρέδωκε· καὶ διὰ τοῦτο ἄλλην εἶναι

Iis qui peractum quotidie sacrificium a Christi sacerdotibus divina mysteria tractantibus non concedunt sanctae Trinitati offerri, contradicentes sanctis divinisque patribus Basilio et Chrysostomo, quibuscum consentiunt et reliqui pleni Deo Patres in suis sermonibus atque scriptis; anathema.

Iis qui cum audiunt Servatorem in instituto a se divinorum mysteriorum sacrificio dicentem: hoc facite in meam commemorationem, haud recte intelligunt vocabulum « commemorationem » sed dicere audent quod sacerdotes phantastice et imaginarie renovant peractum a Servatore nostro in pretiosa cruce sacrificium sui corporis atque sanguinis ob communem humanae naturae redemptionem ac propitiationem, dum quotidianam hostiam offerunt eo ritu quem Servator dominusque noster tradidit; ideoque diversum esse hoc sacrificium adstruunt ab illo quod Servator noster olim pe-

ταύτην παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῷ σωτῆρι τετελεσμένην εἰσάγουσι, καὶ πρὸς ἐκείνην φανταστικῶς καὶ εἰκονικῶς ἀναφερομένην· ὡς κενοῦσι τὸ τῆς φρικτῆς καὶ θείας ἱερουργίας μυστήριον, δι' οὗ τὸν τῆς μελλούσης ζωῆς ἀῤῥαβῶνα λαμβάνομεν· καὶ ταῦτα τοῦ θείου πατρὸς Ἰωάννου τοῦ πανσόφου καὶ χρυσοῤῥήμονος διατρανοῦντος τῆς θυσίας τὸ απαράλλακτον, καὶ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι φάσκοντος ἐν πολλαῖς τῶν τοῦ μεγάλου Παύλου ῥητῶν ἐξηγήσεσιν, ἀνάθεμα.

Τοῖς χρονικὰς διαστάσεις ἐπὶ τῆς καταλλαγῆς τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως πρὸς τὴν θείαν καὶ μακαρίαν φύσιν τῆς ζωαρχικῆς καὶ παντοκράτου τριάδος ἐπινοοῦσι καὶ παρεισάγουσι· καὶ πρότερον μὲν τῷ μονογενεῖ λόγῳ νομοθετοῦσιν ἐξ αὐτῆς κατηλλάχθαι ἡμᾶς τῆς προσλήψεως, ὕστερον δὲ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ κατὰ τὸ σωτήριον πάθος τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, καὶ διαιροῦσι τὰ ἀδιαίρετα, τῶν θείων καὶ μακαρίων πατέρων διὰ τοῦ τῆς οἰκονομίας μυστηρίου παντὸς, καταλλάξαι ἡμᾶς ἑαυτῷ τὸν μονογενῆ διδασκόντων, καὶ δι' ἑαυτοῦ

regit, ad idemque nonnisi phantastice et imaginarie referri; his, inquam, tamquam evacuantibus tremendi divinique sacrificii mysterium, per quod futurae vitae arrham accipimus; praesertim cum divus pater et sapientissimus Iohannes chrysostomus perspicue docuerit nullam esse utriusque sacrificii differentiam, unumque et idem adfirmaverit in multis magni Pauli interpretationibus; anathema.

Iis qui temporum distantias in conciliatione humanae naturae cum divina beataque vivificae immortalisque Trinitatis excogitant atque invehunt; et primo quidem statuunt nos fuisse conciliatos unigenito Verbo vi adsumptae ab ipso humanitatis, postea vero conciliatos quoque Deo patri tempore salutaris passionis Christi domini; atque ita dividunt indivisibilia; quum contra divi beatique patres per universum simul incarnationis mysterium sibi nos conciliatos ab unige-

τέ καὶ αὐτῷ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, ἀκολούθως δὲ πάντως καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, ὡς καινῶν ζητημάτων καὶ ἐκφύλων ἐφευρεταῖς, ἀνάθεμα.

ΤΟ ΕΠΙ ΤΩ ΑΝΑΦΥΕΝΤΙ ΔΟΓΜΑΤΙ

ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΠΑΝΤΕΥΓΕΝΟΥ ΣΩΤΗΡΙΧΟΥ

ΓΕΓΟΝΟΣ ΣΗΜΕΙΩΜΑ.

Μηνὶ μαΐῳ, ιβ', ἡμέρᾳ, ἰνδ. ε'. Προκαθημένου τοῦ θεοστέπτου ἡμῶν βασιλέως αὐτοκράτορος κυροῦ **Μανουὴλ** τοῦ Κομνηνοῦ ἐν τῷ παλατίῳ τῶν Βλαχερνῶν, παρισταμένων τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ βασιλείᾳ τῶν περιποθήτων ἀνεψιῶν αὐτοῦ καὶ υἱῶν, τοῦ ἀοιδίμου σεβαστοκράτορος κυροῦ Ἀνδρονίκου τοῦ πρωτοσεβαστοῦ.

nito doceant, et per ipsum Deo patri, consequenterque omnino etiam sanctissimo et vivifico Spiritui; his, inquam, tamquam novarum quaestionum et peregrinarum auctoribus, anathema.

ACTA SYNODICA

DE DOGMATE CUIUS AUCTOR FUIT

PANTEUGENUS SOTERICHUS.

Mensis maii die duodecima, indictione quinta. Praesidente a Deo coronato imperatore potentissimo domino Manuele Comneno, in Blachernarum palatio, adsistentibus sanctae maiestati eius valde amabilibus eiusdem consobrinis, filiis illustris sebastocratoris domini Andronici protosebasti.

Καὶ πρωτοβεστιαρίου κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Κομνηνοῦ, καὶ τοῦ αὐταδέλφου αὐτοῦ κυροῦ Ἀλεξίου.

Τοῦ περιποθήτου ἀνεψιοῦ τῆς κραταιᾶς καὶ ἁγίας αὐτοῦ βασιλείας, κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κοντοστεφάνου.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ καὶ γαμβροῦ τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως, κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Καντακουζηνοῦ.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ καὶ γαμβροῦ τῆς μακαριωτάτης πορφυρογεννήτου καὶ περιποθήτου αὐταδέλφης τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως κυρᾶς Θεοδώρας, κυροῦ Ἰωάννου Ἀγγέλου.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Κοντοστεφάνου.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ κυροῦ Κωνσταντίνου τοῦ Παλαιολόγου.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Παλαιολόγου.

Τοῦ πανσεβάστου σεβαστοῦ καὶ ἐπάρχου κυροῦ Ἀνδρονίκου τοῦ Καματηροῦ.

Protovestiario domino Iohanne Comneno, eiusque fratre domino Alexio.

Valde amabili consobrino potentis sanctique imperatoris domino Alexio Contostephano.

Pansebasto sebasto genero potentis sanctique nostri imperatoris domino Iohanne Cantacuzeno.

Pansebasto sebasto genero beatissimae porphyrogenitae valdeque amabilis sororis potentis sanctique nostri imperatoris, dominae Theodorae, domino Iohanne Angelo.

Pansebasto sebasto domino Iohanne Contostephano.

Pansebasto sebasto domino Constantino Palaeologo.

Pansebasto sebasto domino Alexio Palaeologo.

Pansebasto sebasto et eparcho domino Andronico Camatero.

Τοῦ μεγαδοξοτάτου μεγάλου λογαριαστοῦ τοῦ σεβαστοῦ καὶ πρωτονοταρίου κυροῦ Ἰωάννου.

Τοῦ μεγαδοξοτάτου πρωτονοταρίου καὶ ἐπὶ τοῦ Κανικλείου κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Στυπειώτου.

Τοῦ μεγαδοξοτάτου μυστικοῦ κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βερβνοῦ.

Τοῦ μεγαδοξοτάτου μεγάλου δρουγγαρίου κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Μακρεμβολίτου.

Τοῦ μεγάλου ἐπιφανεστάτου πρωτασηκρήτις κυροῦ Νικολάου τοῦ Ζωναρᾶ.

Τοῦ μεγάλου ἐπιφανεστάτου πρωτοκουρατῶρος καὶ ἐπὶ τῶν δεήσεων κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Καματηροῦ.

Τοῦ μεγάλου ἐπιφανεστάτου πρωτοκουρατῶρος νομοφύλακος καὶ ἐπὶ τῶν οἰκειακῶν κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Παντεχνοῦς.

Τοῦ μεγάλου ἐπιφανεστάτου πρωτοκουρατῶρος καὶ φύλακος κυροῦ Ἠλία τοῦ Βουρτεοῦ.

Συμπαρισταμένης καὶ τῆς συγκλήτου, καὶ συνεδριαζόντων αὐτῇ καὶ συνδιαιτώντων τῇ ὑποθέσει

* Sic et p. 16.

Gloriosissimo magno logariasta * sebasto et protonotario domino Iohanne.

Gloriosissimo protonotario, et Caniclei praeposito, domino Theodoro Stypiota.

Gloriosissimo mystico domino Nicephoro Borbno.

Gloriosissimo magno drungario domino Iohanne Macrembolita.

Magno perillustri protoasecretis domino Nicolao Zonara.

Magno perillustri protocuratore et a supplicibus libellis domino Michaële Camatero.

Magno perillustri protocuratore nomophylace, et domesticis rebus praeposito Theodoro Pantechne.

Magno perillustri protocuratore et custode domino Elia Burteo.

Τοῦ Κωνσταντινουπόλεως Κωνσταντίνου.

Τοῦ Ἱεροσολύμων μοναχοῦ Ἰωάννου.

Συνεδριαζόντος ἡμῖν καὶ τοῦ ὑποψηφίου θεοῦ πόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας Σωτηρίχου τοῦ Παντεύγνου.

Συνδιαιτώντων ὡσαύτως τῇ ὑποθέσει καὶ ἡμῶν

Τοῦ ἀρχιεπισκόπου πάσης Βουλγαρίας μοναχοῦ Ἰωάννου.

Καὶ τοῦ Κύπρου μοναχοῦ Ἰωάννου.

Καὶ συνδιαγνωμονούντων καὶ ἡμῶν τῶν ἀρχιερέων, τοῦ Καισαρείας Στεφάνου. Τοῦ Κυζίκου Ἰωάννου. Τοῦ Νικομηδείας Θεοφυλάκτου. Τοῦ Σίδης Ἰωάννου. Τοῦ Θεσσαλονίκης Βασιλείου. Τοῦ Νεοκαισαρείας Κωνσταντίνου. Τοῦ Λαοδικείας Καλοῦ. Τοῦ Κορίνθου Θεοδώρου. Τοῦ Ἀθηνῶν Γεωργίου. Τοῦ Μωκησοῦ Λέοντος. Τοῦ Ναυπάκτου Βασιλείου. Τοῦ Φιλιππουπόλεως Θεοδώρου. Τοῦ Ἀδριανουπόλεως Λέοντος. Τοῦ Ἀπαμείας Γεωργίου. Τοῦ Κερκύρας Κωνςαντίνου. Τοῦ Ἀτταλείας Νικολάου. Τοῦ Παροναξίας Ἰωάννου. Τοῦ

Praesente senatu, et considentibus negotiumque simul agentibus

Constantinopoleos patriarcha Constantino.

Hierosolymorum patriarcha monacho Iohanne.

Considente nobiscum electo quoque magnae Dei urbis Antiochiae Soterícho Panteugeno.

Rem propositam simul urgentibus

Archiepiscopo totius Bulgariae monacho Iohanne.

Archiepiscopo Cypri monacho Iohanne.

Pariter simul censentibus nobis episcopis Caesareae Stephano. Cyzici Iohanne. Nicomediae Theophylacto. Sidae Iohanne. Thessalonicae Basilio. Neocaesareae Constantino. Laodiceae Calo. Corinthi Theodoro. Athenarum Georgio. Mocesi Leone. Naupacti Basilio. Philippopoleos Theodoro. Hadrianopoleos Leone. Apameae Georgio. Corcyrae Constantino. Attaliae Nicolao. Paronaxiae Iohanne. Mesembriae Theodoro.

Μεσημβρίας Θεοδώρου. Τοῦ Βιζύης Θεοδώρου. Τοῦ Ἀρκαδιουπόλεως Κωνσταντίνου. Τοῦ Παρίου Νικήτα. Τοῦ Σηλυβρίας Ἰωάννου. Τοῦ Ἀραβιζύης Γρηγορίου. Τοῦ Λήμνου Μιχαήλ. Τοῦ τῆς Ἡρακλέος μοναχοῦ Ἀκακίου.

Καὶ τῶν παρευρεθέντων ἐν τῇ πόλει θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων

Τοῦ Πατρῶν Γεωργίου. Τοῦ Τραχάλης. . . . Τοῦ Ὑρκανίας Διονυσίου. Τοῦ Δαλισάνδων Κωνσταντίνου. Τοῦ Ἀργοῦς Λέοντος. Τοῦ Δημητριάδος Ἰωάννου. Τοῦ Ἄρτης Βασιλείου. Τοῦ Ἀντάνδρου . . .

Συμπαρισταμένων καὶ τῶν θεοφιλεστάτων ἐκκλησιαστικῶν ἀρχόντων.

Ὅτι καρδία βασιλέως εὐσεβοῦς ἐν χειρὶ θεοῦ, ὡς γέγραπται, καὶ ὅτι μὴ πόῤῥω θείας βουλῆς τὸ κατ' αὐτὸν περαίνεται διαβούλιον, ἀτεχνῶς αὐτοῖς ἔργοις ὁ θεοστεφὴς ἡμῶν αὐτοκράτωρ καὶ ἄρτι παρέδειξεν· ὃν καὶ Χριστοῦ νοῦν εἰπών τις πεπλουτηκέναι φάναι κατὰ τὸν θεῖον καὶ μέγαν ἀπόστο-

Arcadiopoleos Constantino. Parii Niceta. Selybriae Iohanne. Arabizyae Gregorio. Lemni Michaële. Heracliadis monacho Acacio.

Itemque aliis qui versabantur in urbe Deo carissimis episcopis

Patrarum Georgio. Trachalae. . . . Hyrcaniae Dionysio. Dalisandorum Constantino. Argorum Leone. Demetriadis Iohanne. Artae Basilio. Antandri. . . .

Praesentibus etiam Deo carissimis ecclesiasticis praepositis.

Quod pii regis cor in manu Dei sit, ut ait scriptura; et quod non procul a divina voluntate consilia eius recedant, manifeste nobis actibus ipsis coronatus a Deo imperator nunc ostendit; quem mente Christi factum divitem dicere possumus, ut divi magnique apostoli verba usurpemus. Etenim qui animam suam corpusque divinae gubernationi commisit, fieri

λον· ἅτε δὲ καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῇ θείᾳ κυβερνήσει προσαναθέμενον, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ πρέποντος· τἄλλα μὲν οὖν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀπαριθμεῖσθαι τούτου πλεονεκτήματα, ὅσα τὲ τὸν ἐκτὸς καὶ φαινόμενον βασιλέα μεγαλουργὸν παρίστησιν ὑπὲρ ἄνθρωπον· καὶ ὅ γε τὸν ἐντὸς καὶ κρυπτόμενον διαδείκνυσιν ἐμφανέστατα πρὸς τὸ τοῦ θείου κάλλους ἀρχέτυπον ἀκριβῶς ἐξεικονιζόμενον, περιττὸν ἴσως δόξει καὶ ἄκαιρον.

Πλὴν ἀλλὰ ταῦτα μόνα ῥητέον, ἐφ᾽ οἷς ἄρα τὸν παρόντα συγκεκρότηκε σήμερον σύλλογον· ὡς γὰρ ἀπόφημά τινα καὶ τῆς ὀρθοτόμου δόξης ἀλλότρια περί τε τῆς παρὰ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν καιρῷ τοῦ πάθους γενομένης ἱλαστηρίου τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσαγωγῆς τοῦ ἰδίου σώματός τε καὶ αἵματος, καὶ δὴ καὶ τῆς ὁσημέραι παρὰ τῶν θεῖα μεταχειριζομένων ἱεροτελεστῶν γινομένης ἐν ταῖς ἱεραῖς ἁγιστείαις τῶν ζωοποιῶν μυστηρίων, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ κατήρξατο, ὡς ἱστοροῦσι τὰ ἱερὰ καὶ θεόπνευστα εὐαγγέλια, φρονεῖν τε καὶ

nequit ut ab officio discedat. Itaque reliquas nunc quidem enumerare eiusdem virtutes, sive quae exterius regem sistunt supra humanam conditionem magnificum, sive quae interius et reconditae demonstrant eum ad divinae pulchritudinis archetypum egregie conformatum; has, inquam, recensere supervacuum fortasse videretur atque importunum.

Nunc itaque illud solum dicemus, cur praesentem synodum congregandam iudicaverit. Statim ac enim intellexit, sacerdotes quosdam fovere animo ac verbis pronunciare absurda quaedam dogmata et a recta fide abhorrentia circa illud quod dominus Deus ac servator noster Iesus Christus suae passionis tempore pro peccatorum nostrorum propitiatione obtulit sacrificium proprii corporis sanguinisque, nec non circa illud quod fit quotidie in sacra vivificorum mysteriorum liturgia a sacerdotibus, cuius rei initium fecit ipse Iesus in sacra cae-

δογματίζειν τῶν τινας ἱερωμένων ἐπύθετο· ἀλλὰ καὶ εἰς ἑτέρους ἤδη τὴν νόσον ταύτην ὑφέρπουσαν κατεμάνθανεν, ἣν δυσέριδές τινες καὶ φιλόνεικοι ἄνθρωποι, οὐκ ἴσμεν ὅπως φρενοβλαβῶς νενοσήκασιν, ἔνθεον ζῆλον ἀναλαβὼν ὁποῖος οὗτος τὰ πρὸς εὐσέβειαν ζηλωτὴς τῷ ὄντι διάπυρος· καὶ πάσαις ἄλλαις εἰπὼν ἐῤῥῶσθαι τέως κατεπειγούσαις κοσμικαῖς ὑποθέσεσιν, ὁπόσα τούτου τὸ ἔνθεον κράτος ἀλλεπαλλήλως περιστοιχίζουσι· τοῦτο ἐκεῖνο τὸ ἐν εὐαγγελίοις εὖ ποιῶν καὶ αὐτὸς εὐσεβέστατα συνεπράξατο· ἐξαπέστειλε τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ συγκαλέσασθαι τοὺς συλλέξοντας ἐκ τοῦ μέσου ταῦτα δή που τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν· διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν εἴτ' οὖν συλλογισμοῖς· καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, καὶ φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν.

Ἔνθέν τοι καὶ ἐν ἁγίῳ συναθροισθέντες ἅπαντες πνεύματι ὁπόσοι τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων ἐκ τῶν ἔγγιστά τε καὶ

na, ut sancta et a Deo inspirata evangelia narrant; cumque ad alios quoque manare sensim morbum hunc cognovisset, quo morosi quidam contentiosique homines temere laborabant; divino statim zelo correptus, pro suo rectae fidei inflammato amore; sepositis interim quae instabant mundanis curis; his enim sanctus eius thronus sine intermissione pulsatur; evangelicum illud exemplum recte ac religiosissime secutus est, videlicet ut angelos suos mitteret ad tollenda de medio haec scandala, et eos qui operantur iniquitatem: qui agnoscentes quidem Deum, non tamen uti Deum glorificabant, sed in cogitationibus suis syllogismisque evanuerant, quorum insipiens cor obscuratum erat; et dum sapientes se dictitabant, facti sunt stulti.

Quamobrem in sancto congregati Spiritu omnes quotquot in hac regia urbe et in proximis longinquisque provinciis

πόῤῥω ταύτης ἐπαρχιῶν ἐπιδεδημήκαμεν, βουλῇ καὶ γνώμῃ τοῦ θεοκυβερνήτου ἡμῶν αὐτοκράτορος· προκαθημένου μὲν τοῦ ἐνθέου κράτους αὐτοῦ, παριϛαμένης δὲ τῆς συγκλήτου, ἀλλὰ καὶ ἡμῶν τῶν πατριαρχῶν τοῦ Κωνϛαντινουπόλεως, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων τὰ τῆς ὑποθέσεως τῷ κράτει τούτου συνδιαιτώντων, καὶ τοῦ ὑποψηφίου Θεουπόλεως Ἀντιοχείας συνεδριάζοντος, οὐ μὴν οὐδὲ ἡμῶν τῶν ἀρχιεπισκόπων, τοῦ Βουλγαρίας, καὶ τοῦ Κύπρου, τῆς τοιαύτης ἀπολιμπανομένων συνδιαιτήσεως, αὐτὰ ἐκεῖνα καὶ νῦν ὁμοφρονοῦντες ἐπικρατύνομεν ἃ κἀν τῷ γινομένῳ συνοδικῷ σημειώματι κατὰ τὴν κϛ´ τοῦ ἰανουαρίου μηνὸς τῆς ἤδη παρελθούσης τετάρτης ἐπινεμήσεως τοῦ ,ϛχξδ´ ἔτους, οἱ τότε συνελθόντες ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ἱερώτατοι ἀρχιερεῖς καὶ λοιποὶ, οἷς καί τινες ἐξ ἡμῶν τῷ τότε συμπαρελήφθησαν, ὡς πρὸς ἐρώτησιν εἰσαχθεῖσαν τὸ τηνικαῦτα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου συναδέλφου ἡμῶν καὶ μητροπολίτου Ῥωσίας Κωνσταντίνου, εὐσεβῶς ἀπεκρίναντο.

Εἰ γὰρ καὶ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς τὸν ἐν μιᾷ τῇ ὑπο-

versamur, sic volente ac censente a Deo gubernato imperatore nostro; praesidente sancta maiestate eius, adstante senatu nobisque patriarchis Constantinopoleos, et Hierosolymorum, negotium hoc cum maiestate eius gerentibus; nec non nobis Bulgariae et Cypri archiepiscopis cooperantibus, eademque sentientibus et firmantibus quae et in actis synodicis die XXVI. ianuarii, quarta iam praeterita indictione, anno VI.DC.LXIIII. (Christi 1156.) quotquot tunc convenerunt in sanctissima magna ecclesia episcopi reliquique homines (quibuscum et nonnulli ex nobis fuerunt) ad propositam a sanctissimo confratre nostro Russiae metropolitano Constantino quaestionem orthodoxe responderunt.

Etsi enim saepe in scriptura adfirmatur et in confesso est,

στάσει νοούμενον Θεόν τε καὶ ἄνθρωπον, υἱὸν καὶ λόγον τοῦ συναϊδίου τούτου πατρὸς, τὰ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας οἰκονομήσαντα, ὡς μέγαν καὶ πρῶτον ἀρχιερέα προσαγαγεῖν ἑαυτὸν τῷ πατρὶ θυσίαν ζωοποιὸν καὶ κοσμοσωτήριον διείληπται καὶ ὡμολόγηται, ἀλλ' οὐχ, ὥς τινες φασὶν, οὐδὲν ἐπικεκοινώνηκεν εἰς τὸ ταύτην λαβεῖν, οὔτ' αὐτὸς ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν προσαγαγὼν ἄμωμον ἱερεῖον ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὔτε μὴν τὸ ὁμοούσιον ζωαρχικόν τε καὶ θεῖον πνεῦμα· οὔτε δὲ τὴν παρ' ἡμῶν τελουμένην ζωοποιὸν θυσίαν προσαγομένην κατ' αὐτὸν τῷ πατρὶ, ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα οὐ συμπροσδέχονται· εἰ γοῦν καὶ οὕτω τὰ περὶ τῆς εἰρημένης πρώτης προσαγωγῆς πολλαχῶς ὡς δεδήλωται γέγραπται, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ὑποστατικῶς αὐτὸν, ὡς καὶ καθ' ἑαυτὴν τῆς θείας προσαγούσης φύσεως κατὰ τὴν αὐτῶν ληρῳδίαν προσαγαγεῖν τῷ πατρὶ τὴν σωτήριον ἐκείνην τοῦ ἡμετέρου γένους θυσίαν, ὅπου δήποτε τῆς θεοπνεύστου γραφῆς παραδεδομένην ἐφεύρει τις, οὐδ' ὅτι μὴ ταύτην συμπροσεδέξατο καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

aeterni huius Patris Verbum filiumque, quem Deum simul et hominem in una persona intelligimus, quo tempore nostram salutem operabatur, ceu magnum primumque pontificem obtulisse semet patri hostiam vivificam et mundo salutarem; nequaquam tamen, ut certe nonnulli aiunt, hostiae particeps vel ipse unigenitus Dei filius fuit qui pro nobis se victimam immaculatam sistebat, vel etiam consubstantialis eidem vitaeque auctor sanctus Spiritus: neque item oblatam a nobis ex eius instituto hostiam Patri, Filius et Spiritus recipiunt. Quamquam igitur de illa oblatione sic saepe praedicto modo locuta est scriptura, ut constat; nusquam tamen in eadem divina scriptura traditum quis inveniet, quod hypostatice Verbum se obtulerit, id est quod natura divina ipsa per se Patri

Ἵνα δὲ καὶ χρήσεων γραφικῶν φανότατα τὸ τοῦ δόγματος ἀληθὲς παρεστήσαιμεν, ἄγε καὶ μάρτυρες παρ' ἡμῶν παραγέσθωσαν ἀπαράγραπτοι θεοφόροι πατέρες, οἱ καὶ ῥητῶς ἤδη τὰ περὶ τούτου διατρανώσαντες· καὶ πρῶτον ὁ πολὺς τὰ θεῖα καὶ μέγας Βασίλειος, οὗ καὶ τὴν φωνὴν ὡς θεοῦ φωνὴν κατέχομεν ἄντικρυς ἐν ταῖς τῆς παρ' αὐτοῦ ἐκτεθείσης μυσταγωγίας εὐχαῖς, οὕτω γράφων σαφῶς, ἡνίκα πρὸς τὸν σωτῆρα Χριστὸν ἀναφέρει τὸν λόγον· ἀξίωσον ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου προσενεχθῆναι σοὶ τὰ δῶρα ταῦτα· σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων, καὶ προσφερόμενος, καὶ προσδεχόμενος, καὶ διαδιδόμενος, Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν· ὃ δῆτα καὶ ὁ χρυσοῦς τὴν γλῶσσαν ἐν ταῖς εὐχαῖς ταῖς παρ' αὐτοῦ ἐκτεθείσης ἱεροτελεστίας δεξάμενος, οὐκ ἠλλίωσεν. Ἀλλὰ καὶ ὁ ἐν θαύμασι περιβόητος θεῖος Γρηγόριος ἐν τῷ παρ' αὐτοῦ ἐκτεθέντι λόγῳ εἰς τὸ εὐαγγελικὸν ῥητὸν, τὸ, οὗτος ἐστὶν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς,

obtulerit, ut isti nugantur, salvificam illam nostri generis victimam; neque quod illam Filius simul cum sancto Spiritu non receperit.

Ut autem scripta quoque testimonia sistamus, quae dogmatis huius veritatem evidenter demonstrant, age testes procedant irrefutabiles divi patres, qui disertis verbis rem hanc ad liquidum deduxerunt. Atque in primis magnus et in divinis valde versatus Basilius, cuius vocem haud secus quam Dei vocem auscultamus, in compositae ab eo mystagogiae precibus sic manifeste scribit, ubi servatorem Christum alloquitur: dignare, ut a me peccatore et indigno haec tibi dona offerantur. Tu enim es qui offers, et qui offereris, et qui recipis, et qui distribuis, Christe Deus noster. Quae verba Chrysostomus in precibus a se editae liturgiae admittens nullo modo immutavit. Quin etiam miraculis celeberrimus divus Gregorius in edito a se sermone super evangelico dicto: hic

κατὰ ῥῆμα οὕτω διεξιών, οὗτος ἐστὶν ὁ υἱός μου καὶ ἀμνός, ὁ αὐτὸς ἱερεὺς καὶ ἱερεῖον, ὁ αὐτὸς προσφέρων καὶ προσφερόμενος, ὁ αὐτὸς ἱερουργῶν καὶ ἱερουργούμενος, ὁ αὐτὸς θυσία γινόμενος καὶ αὐτὸς τὴν θυσίαν δεχόμενος. (1)

Συνῳδὰ τούτοις καὶ ὁ τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας λαμπτὴρ ἐφθέγξατο Κύριλλος ἐν τῷ εἰς τὴν θείαν ὑπαπάντην πονηθέντι παρ' αὐτοῦ λόγῳ· αὐτὸς ὁ θύτης εἰπών, καὶ αὐτὸς ὁ τὴν θυσίαν δεχόμενος. Ἔτι δὲ καὶ ὁ πάμμεγας καὶ θεσπέσιος Κύριλλος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων φωστὴρ ἐν τῷ εἰς τὸν μυστικὸν δεῖπνον καὶ νιπτῆρα λόγῳ αὐτοῦ, διαῤῥήδην οὕτως ἀποφαινόμενος· πίνωμεν αὐτοῦ τὸ αἷμα etc. usque ad παντίμου τριάδος. Ὃς καὶ ἐν τῷ εἰς τὰς βασιλίσσας λόγῳ αὐτοῦ, πολλαχοῦ τῆς κατὰ Χριστὸν ἱερωσύνης μεμνημένος, οὕτω διέξεισι· ἄθρει δὲ ὅπως etc. usque ad ὁμοῦ θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Ἀλλὰ καὶ ὁ σοφὸς Θεοδώρητος τὸ ἀποστολικὸν ῥητὸν διηγούμενος τὸ λέγον, ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγ-

est filius meus dilectus, ad litteram ita ait: hic est filius meus et agnus, idem sacerdos ac victima, idem offerens et et oblatus, idem immolans et immolatus, idem hostia factus idemque hostiam recipiens.

Consona his ecclesiae quoque hierosolymitanae lampas Cyrillus in eo quem de occursu Domini scripsit sermone: idem, inquit, est sacrificator, idemque victimae receptor. Insuper et maximus ac divus Cyrillus Alexandriae luminare in suo de mystica caena et lotione sermone, diserte sic ait: bibamus *etc. usque ad* de venerabili Trinitate (ut p. 41.) Idem in suo pariter ad reginas sermone, sacerdotio Christi saepe commemorato, sic prosequitur: animadverte quomodo *etc. usque ad* Deus simul et homo (ut p. 44.) Praeterea sapiens Theodoretus

(1) Hic S Gregorii thaumaturgi locus excidisse videtur ex calce sermonis ab eo dicti de Christi baptismo, ubi optime haec verba quidem quadrant, minime tamen nunc leguntur.

κην πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίαν ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ, οὕτως ἐπάγει· καὶ ἐκεῖνοι μὲν ἕτερα προσέφερον θύματα, οὗτος δὲ τὸ ἑαυτοῦ προσενήνοχε σῶμα· αὐτὸς ἱερεὺς καὶ ἱερεῖον γενόμενος· καὶ ὡς θεὸς, μετὰ πατρὸς καὶ πνεύματος τὸ δῶρον δεχόμενος. Ἐξηγούμενος δὲ καὶ τὸ δαυιτικὸν ῥητὸν, τὸ σὺ εἶ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, περὶ τῆς καθ' ἡμέραν γινομένης ἱεροτελεστίας, οὕτως ἡρμήνευσεν· ἱερατεύει δὲ καὶ νῦν ὁ ἐξ Ἰούδα κατὰ σάρκα βλαστήσας Χριστὸς, καίτοι μηδὲν αὐτὸς προσφέρων, ἀλλὰ τῶν προσφερόντων κεφαλὴ χρηματίζων· σῶμα γὰρ ἑαυτοῦ τὴν ἐκκλησίαν καλεῖ· καὶ ἱερατεύει μὲν ὡς ἄνθρωπος, δέχεται δὲ τὰ προσφερόμενα ὡς θεός.

Ταῦτα μὲν οὖν ἐκ πολλῶν ὀλίγα παρὰ τῶν θείων πατέρων ἐρανισάμενοι πρὸς ἐναργῆ τῆς ἀληθείας παράστασιν, τῇ παρούσῃ γραφῇ ἐνετάξαμεν, τὸ μῆκος τοῦ λόγου ἐκφεύγοντες· ἔξεστι δὲ τοῖς βουλομένοις φιλοπονεῖν, καὶ ἐξ ἄλλων μυρίων συνάγειν τοῦ θείου δόγματος τὴν ἀκρίβειαν· τῶν οὖν

apostolicum locum enarrans ubi dicitur: qui non habet necessitatem quotidie prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi, haec addit: hic autem suummet obtulit corpus; idem sacerdos et victima; et quatenus Deus, cum Patre et Spiritu donum recipiens. Enarrans autem davidicum textum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec, sic interpretatur: sacrificat nunc quoque Christus de Iuda secundum carnem natus, etsi nihil is offert, sed offerentium caput est. Corpus enim suum ecclesiam appellat. Et sacrificat quidem ut homo, hostiam vero recipit ut Deus.

Pauca haec de multis ex divis patribus decerpentes ad evidentem veritatis demonstrationem, in hunc commentarium inseruimus, prolixitatem verborum vitantes. Licebit autem lucubrare volentibus, ex aliis quoque permultis locis colligere sacri dogmatis demonstrationes. Quum igitur pleni Deo pa-

θεοφόρων πατέρων οὕτως ὁμοφρόνως εἰρηκότων τὰ περὶ τούτου, εὔδηλον ὡς ὁπηνίκα καὶ ὁ δεσπότης Χριστὸς ἑαυτὸν ἑκουσίως ἱέρευσε, προσήγαγε μὲν ἑαυτὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ὡς δὲ θεὸς καὶ αὐτὸς συνάμα τῷ πατρὶ κα' πνεύματι τὴν θυσίαν ἀνεδέξατο· ἀλλ' ἐν τούτοις μὲν τὰ τῆς ὑποθέσεως ἐφ' ᾗ καὶ πρώτως συνήλθομεν· καὶ οὕτω δεῖ φρονεῖν τοὺς τῆς ἐκκλησίας τροφίμους ὡς τῆς τριάδος προσκυνητάς· καὶ κατ' ἀρχὴν ἐπὶ τοῦ δεσποτικοῦ πάθους τὸν θεάνθρωπον λόγον τὸ σωτήριον θῦμα προσενεγκεῖν τῷ πατρί τε καὶ ἑαυτῷ ὡς θεῷ καὶ τῷ πνεύματι· παρ' ὧν κἀκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήχθη ὁ ἄνθρωπος· οἷς καὶ προσέπταισε τὴν ἐντολὴν παραβάς· οἷς καὶ διὰ τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ καταλλάγημα· ἀλλὰ καὶ νῦν ὡσαύτως τὰς ἀναιμάκτους θυσίας τῇ παντελείῳ καὶ τελειοποιῷ τριάδι προσάγεσθαι, καὶ ταύτην ταύτας προσαποδέχεσθαι.

Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἦν τῆς τοῦ βασιλέως μεγαλονοίας, οὐ μὴν οὐδὲ τῆς καθ' ἡμᾶς ἀδελφικῆς συμπνοῆς καὶ ὁμονοίας, τὸ

tres tam concorditer de hac re loquantur, palam est quod cum Christus dominus se ipsum sponte sacrificio obtulit, quatenus quidem homo erat, se obtulit; quatenus vero Deus, ipse quoque cum Patre et Spiritu hostiam recepit. Atque in hoc proposita quaestio vertitur, cuius causa superiore quoque tempore congregati fuimus. Sic autem omnino credere oportet ecclesiae alumnos et Trinitatis cultores: nempe et olim in passione dominica Verbum theanthropum salutarem hostiam exhibuisse tum Patri, tum ipsi sibi uti Deo nec non Spiritui: a quibus ex nihilo ad existendum productus est homo; quos ipse transgressione sua offendit; quibus denique per Christi passionem reconciliatus fuit. Immo nunc quoque incruentas hostias creatrici rerum omnium et auctrici Trinitati reapse offerri, easque ab eadem recipi.

Quoniam vero fieri non poterat quin magnanimus impera-

μὴ καὶ τοὺς σπορέας τῶν ζιζανίων σπεῦσαι πάντα τρόπον ἐφευρεθῆναι καὶ ἐλεγχθῆναι, τὸ φαῦλον τοῦτο καὶ ἀκανθῶδες σπέρμα τῷ καθαρῷ τῆς εὐσεβείας σίτῳ ἐγκαταμίξαντας, καὶ λόγοις ἀλλοκότοις ἐπιχειροῦντας κατασκευάζειν, ὅτι τῆς Νεστορίου λύσσης ἐστὶ παραπλήρωμα τὸ παρὰ τῆς ἐκκλησίας ὀρθοδόξως δογματιζόμενον, ὡς εἰς δύο Χριστοὺς, βαβαὶ τῆς ἀπονοίας, οἰομένους ἐντεῦθεν διαιρεῖσθαι τὸν θεάνθρωπον κύριον, ἐφ᾽ οἷς ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ παρ᾽ ἡμῶν καταγγέλλεται προσφέρειν μὲν ὡς ἄνθρωπος, ὡς δὲ θεὸς καὶ προσδέχεσθαι· ἐδέησε λοιπὸν διὰ ταῦτα καὶ ὑμῶν τοῦ καθ᾽ ἕνα πυθέσθαι, ὅπως ἕκαστος ἔχει περὶ τούτου φρονήματος· καὶ δὴ καὶ τούτων ὁπόσοι τοῦ συλλόγου μέρος ὄντες, καὶ οὗτοι τὸ τίμιον ἐν διακόνοις συνεξετάζονται. Ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἁπάντων ἐντίμων διακόνων ὅσοι τῷ βασιλείῳ τούτῳ καὶ ἱερῷ παρίστανται βήματι μιᾷ ψυχῇ καὶ γλώττῃ συμφρονούντων καὶ συνομολογούντων τὰ δεδογμένα, ὁ τῶν ἀποστόλων διδάσκαλος Νικηφόρος ὁ Βασιλά-

tor, itemque nostra concors ac fraterna caterva, horum zizaniorum satores omni studio detegere atque arguere curaret, qui nempe malum hoc spinosumque semen orthodoxiae frumento immiscuerunt; absurdisque sermonibus ausi sunt dicere, quod rectum ecclesiae dogma nestorianae vesaniae additamentum sit; quia videlicet putant, quasi in duos Christos (hem vesaniam!) isto modo dividi theanthropum hominem, dum unigenitus filius et Verbum Dei a nobis dicitur offerre quidem ut homo, recipere vero quatenus Deus; quocirca optavit imperator, ut singuli vestrûm rogarentur de hac re sententiam, nec non quicumque huius concilii participes sunt, si modo sint honore diaconatus praediti, interrogentur. Tum quidem cum reliqui omnes honorabiles diaconi, quotquot regali huic sacroque throno adstant, uno animo ac voce dogma id confiterentur eique consentirent, Nicolaus Basilaces aposto-

κης [1], αὐτίκα κατ' ἀρχὰς τῆς ἡμῶν συνελεύσεως εἰς μέσον τήμερον ἑαυτὸν ἐμβαλὼν, πολὺν ἀρχῆθεν ἐποιήσατο τὸν κατάλογον, ἐν ὑπηκόῳ πάντων ὑφηγησάμενος τὸ συμπεσὸν αὐτῷ αἴτιον τῆς περὶ δόγματος τούτου ἀμφιβολίας· καὶ διὰ πάντων ἐξ ὧν εἶπε δεικνὺς ὅτι πρῶτος αὐτὸς ἐπὶ τούτῳ ἠγανάκτησεν ὡς ἔφησε· τῷ τοι καὶ ὡς καινοφανὲς αὐτὸ λογιζόμενος, ὅλως τοῦτο οὐκ ἤθελε παραδέχεσθαι.

Ἐπεὶ δὲ τῶν δύο πατριαρχῶν ἡμῶν ὁμοφώνως γνωμοδοτούντων τὰ περὶ τούτου, ἀλλὰ καὶ ἡμῶν τῶν ἀρχιεπισκόπων τοῦ τε Βουλγαρίας καὶ τοῦ Κύπρου, καὶ τῆς λοιπῆς ἡμῶν τῶν ἀρχιερέων ὁμηγύρεως εἰς μίαν γνώμην συνερχομένων, καὶ κατὰ μηδέν τι περὶ τούτου διαφερομένων πρὸς ἀλλήλους, ἔδει καὶ τὸν ὑποψήφιον πατριάρχην Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας Σωτήριχον ὡς συνεδριάζοντα καὶ τοῦτον ἐρωτηθῆναι· ἐνταῦθα μᾶλλον ἦν ἰδεῖν τὸ ζητούμενον εὑρισκόμενον· νῦν μὲν γὰρ καιρὸν ἐζήτει διασκέψεως πρὸς ἀπό-

licarum lectionum magister, statim initio nostri congressûs, et hodie etiam in medium prosiliens, longum abs rei initio verborum ambitum orsus, cunctis audientibus rationes exposuit quarum causa de hoc dogmate dubitabat; omnino his quae dixit significans, se principem eius discidii fuisse: ideoque id dogma a se novum existimatum, prorsus nolle admittere.

Iam vero cum nos duo patriarchae in hoc dogmate consentiremus, nec non et nos archiepiscopi Bulgariae et Cypri, ceterique omnes in synodo episcopi unanimem sententiam nemine discrepante teneremus, necesse fuit etiam electum civitatis Dei Antiochiae magnae patriarcham Soterichum, qui nobiscum considebat, propriam sententiam rogare. Tum vero, quod quaerebatur, manifeste compertum est. Is enim modo

(1) Basilacis huius ethopoeias seu declamationes aliquot edidit Leo Allatius in suis rhetorum excerptis. Manu scriptas ego vidi in cod. vat. 1409.

κρισιν, ὡς οὐ τοσούτου καιροῦ ἐξ οὗ παρεισεφθάρη τοῦτο τὸ δυσσεβῶς κατὰ Χριστοῦ βλασφημούμενον μὴ ἀρκοῦντος καὶ τούτῳ εἰς διασκέπτησιν τοῦ τῆς ὑγιαινούσης δόξης φρονήματος· νῦν δὲ ἀλλ' ἄττα καὶ οὐ συμβαίνοντα ἑαυτῷ ἀπεκρίνατο· ἐρωτώμενος οὖν καὶ αὐτὸς παρ' ἡμῶν τήμερον, πότερον τῇ μακαρίᾳ τριάδι λέγει τὴν θυσίαν προσῆχθαι τε καὶ προσάγεσθαι, ὡς ὁ λόγος φθάσας διετράνωσεν ἄνωθεν, ἢ τῷ πατρὶ μόνῳ, οὔτε μόνῳ ἔλεγε τούτῳ προσάγεσθαι, οὔτε οὐ μόνῳ· ποτὲ δὲ καὶ εἰς ἀλλοκότους δόξας ἔπιπτε· τὸ μὲν γὰρ προσάγειν, ὑποστατικὴν ἀπένεμε τῷ υἱῷ ἰδιότητα, οὐκ ἴσμεν ταύτην πόθεν εὑρών· τὸ δὲ προσδέχεσθαι, τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἴδιόν τι καὶ τοῦτο ἐτίθετο γνώρισμα, μετὰ τῆς ἀγεννησίας, ἣν ἰδιότητα μόνην τοῦ προανάρχου πατρὸς ἡ ἐκκλησία παρέλαβεν ἐκ πάλαι· εἶτα δὴ καὶ ἐντεῦθεν ἡμᾶς πρὸς τὸ δοκοῦν αὐτῷ κατεσυλλογίζετο· εἰ γὰρ μὴ, καθὼς αὐτός φησιν, ἰδιαίτατον εἴη τῆς πατρικῆς ὑπο-

tempus poscebat considerandi ante responsum, quasi vero tanta temporis intercapedo post huius adversus Christum blasphemiae initium, ipsi haud suffecisset ad sani dogmatis cognitionem; modo autem alia atque alia parum sibi constantia respondebat. Ergo hodie interrogatus a nobis, utrum existimaret beatae Trinitati sacrificium et olim fuisse oblatum et nunc etiam offerri, ut superior nostra explicavit oratio, an potius soli Patri fuisse oblatum; neque soli Patri respondit offerri, neque non soli. Interdum ad absurdas sententias divertebat: nam vocabulum offerre, hypostaticam Filio tribuere proprietatem aiebat, nescio unde hanc doctrinam expiscatus. Recipere autem, paternae personae propriam quandam adfirmabat esse qualitatem, aeque ac ingeniti adtributum, quod unicum peculiare patris esse adtributum ecclesia a vetere traditione accepit. Deinde nitebatur nos quoque in suam sententiam contrariis syllogismis pertrahere. Si enim, ut ipse aie-

στάσεως τὸ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ τῆς θείας ὡς ἡμεῖς φαμὲν φύσεως, ἄτοπόν τι τάχα συμβήσεται· ἔσται καθ' ἡμᾶς ὁ θεὸς ποτὲ μὲν θεὸς, ποτὲ δὲ οὔ· οὐ γὰρ ἀΐδιος φησὶν ἡ προσαγωγὴ, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν καὶ γεγενημένη· διὰ δὲ τοῦτο πάντως ἔν τινι χρόνῳ καὶ τὸ προσδέχεσθαι· ὥσπερ ἂν εἰ τῆς ἀκαταλήπτου καὶ ὑπερουσίου θεότητος ὅρον τινὰ καὶ λόγον ἡμεῖς τὸ προσδέχεσθαι ἐτιθέμεθα, ἀλλὰ μὴ τῷ θεϊκῷ ταύτην ἀφοσιοῦντες ἧμεν τοῦτ' αὐτὸ δὲ ἀξιώματι· ταῦτα μὲν ὁ Ἀντιοχείας, ἵνα μὴ τὸ καθ' ἕκαστον τῶν παρ' αὐτοῦ λεχθέντων ἐπεξιόντες, ἐπὶ πολὺ τὸν λόγον ἐκτείνωμεν.

Ὡς δὲ πρὸ πάντων ἡμῶν ὁ πολὺς τῇ φρονήσει καὶ γεραρὸς τῷ νοεῖν, ὁ θεοδίδακτον ὄντως φέρων κατὰ τὸν Σολομῶντα διάνοιαν, κράτιστος καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς, καὶ ἐς λόγους αὐτῷ συνελθεῖν διαλεκτικῶς οὐκ ἀπώκνησε, καὶ ῥήμασι παραινετηρίοις ὑπαγάγεσθαι σπεύδων αὐτὸν οὐ διέλιπε, καὶ τοῖς ἐλέγχοις βάλλων αὐτοφυῶς ὁ μεγαλοφυὴς καὶ

bat, haud proprium paternae personae esset τὸ recipere, sed divinae potius ut nos dicimus naturae, absurdum quid consequeretur: esset enim Deus modo Deus, modo nequaquam. Non enim est sempiterna oblatio, sed et sumpta humanitate posterior, et res creata est: propterea que receptio quoque in quodam temporis spatio fit. Haec ille aiebat; quasi vero nos statueremus τὸ recipere instar esse cuiusdam definitionis atque rationis (sive pertinere ad essentiam) incomprehensibilis et supersubstantialis deitatis; et non potius hanc proprietatem a divina dignitate arceremus. Haec fuit antiocheni electi summa orationis, ne singula ab eo dicta percurrentes, diutius hunc sermonem protrahamus.

Sed enim ante nos omnes sapientissimus et augusta prudentia plenus, et aeque ac Salomon divinitus doctam mentem gerens, potentissimus et sanctus noster imperator, non detrectavit usque ad dialecticos sermones cum Soterícho descen-

ἐπιστημονάρχης οὐκ ἐνάρκησε, καὶ νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ ἐκεῖνο ποιῶν ἀγχιστρόφοις ἐπιχειρήμασιν οὐκ ἀπέκαμεν· ἐν οἷς ἐκεῖνα παρακαλῶν αὐτὸν ἐφιλανθρωπεύετο, ἅττα δήπου καὶ Κορινθίοις ἐπιστέλλων ὁ μέγας Παῦλος προέγραψεν, ἵνα τὸ αὐτὸ δηλονότι λέγωμεν πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ἡμῖν σχίσματα, ὁ μὲν δὲ κατηρτισμένος ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ, εἴτ' οὖν ὁ ταράσσων τὴν ἐκκλησίαν, αὐτὸς βαστάζει τὸ κρίμα· ὡς οὖν οὕτω ταῦτα, ὁ δὲ καὶ ἔτι τῆς οἰκείας ἐνστάσεως οὐ μεθίστατο, καὶ τοιοῦτόν τι φησὶ πρὸς αὐτὸν ὁ σοφὸς τὰ θεῖα τῷ ὄντι κραταιὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεύς· ποῖος φόβος ἐπήρτηται σκεπτέον τῷ λέγοντι τὴν ὁμοούσιον καὶ ἀδιαίρετον τριάδα τὴν ὑπὲρ ἡμῶν θυσίαν προσδέχεσθαι· καὶ τίνι τῶν τριῶν ὑποστάσεων τὴν κατ' αὐτοῦ ἀγανάκτησιν ἐπενδείξασθαι οἴεται· πότερον ὁ πατὴρ τῷ τοιούτῳ ἀνθρώπῳ ἀγανακτήσει ὅτι τὸν υἱὸν ἰσότιμον τίθησιν; ἄπαγε· ἀλλ' ὁ υἱὸς ἐν τούτῳ δυσχερανεῖ ὅτι τῷ ἰδίῳ πατρὶ παρ' ἡμῶν συνδοξάζεται; καὶ μὴν αὐτὸς τῆς δόξης τῆς πα-

dere, verbisque adhortatoriis eundem diu nitebatur a sua sententia retrahere; argumentis etiam urgens pro sua ingenita regali scientia, et modo huc modo illuc adversarium contortis epichirematibus versans. Inter cetera amanter illi in mentem revocabat Pauli verba ad Corinthios, ut id ipsum videlicet omnes dicamus, et in nobis non sint schismata; qui autem in suo proposito sententiaque perseverat, id est ecclesiam conturbat, ipse iudicium portabit. His auditis, quum ille nihilominus resistendo non desisteret, haec divina doctrina instructus vere potens et sanctus imperator noster addidit: age videamus quisnam timor impendeat dicenti, quod consubstantialis et individua Trinitas hostiam pro nobis oblatam recipiat; et cuiusnam e tribus personis indignationem formidare queat. Num pater indignabitur huic homini, qui filium aeque secum honorandum statuit? apage. Num filius aegre feret se

τρικῆς ὢν ἀπαύγασμα, ἐν εὐαγγελίοις εἶπεν· ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα τιμᾷ· καὶ ὅτι ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· ἀλλὰ τὸ πνεῦμα, ὃ συναΐδιον ἐστὶ τούτοις καὶ σύνθρονον; οὐ μὲν οὖν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲν τῆς τριάδος καθέστηκεν ἄτιμον· ὡς παράλογος ἄρα ὁ περὶ τούτου φόβος, ἵνα μὴ λέγω πάντη καὶ ἀλογώτατος.

Τοῖς γοῦν τοιοῖσδε λόγοις πολὺ μὲν ἔχουσι τὸ σοφὸν, οὐχ ἧττον δὲ τούτου καὶ τὸ ἀναγκαστικὸν πρός πειθώ τε καὶ συγκατάθεσιν, τὸ σκληρὸν τῆς τούτου ἐνστάσεως καὶ ἀνένδοτον καταμαλάξας ὀψέ ποτε μόλις αὐτὸν μεταμέλῳ χρησάμενον μεταβουλεύσασθαι πέπεικεν· ἐφ' οἷς ὁμοφρονεῖν ἡμῖν καὶ αὐτὸς συγκατέθετο τοσοῦτον, ὥς τε τὴν οἰκείαν γνώμην ἐγγράφως ἐκθέμενος, ἀναθέματι καθυποβαλεῖν τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας, μὴ δὲ πιστεύοντας ὡς τῇ ἐκκλησίᾳ δοκεῖ· ἣν δὲ γνώμην ἐν μέσῳ τοῦ βασιλείου τοῦδε καὶ ἱεροῦ συνεδρίου αὐτὸς ἀναστὰς ὑπανέγνωσεν, τάδε πρὸς ἔπος διαλαμβάνουσαν· ὁμοφρονῶ τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐπὶ τῷ τὴν θυσίαν

cum suo patre conglorificatum? Atqui ipse cum sit paternae gloriae splendor, in evangelio ait: qui filium non honorat, ne patrem quidem honorat; et ego ac pater unum sumus. Num denique irascetur sanctus Spiritus, qui cum his sempiternus est et in eodem residens throno? Minime gentium. Nihil enim in Trinitate caret honore. Stultus igitur hac super re timor, ac paene dixerim, stultissimus.

Hisce igitur valde doctis sermonibus persuadentibus aeque et ad adsensum compellentibus, contentionis suae duritiem ac pertinaciam sero vix molliens, persuaderi sibi contrarium tandem est passus; ac per propriam sententiam scripto traditam, aliter sentientes neque ecclesiae doctrinam amplectentes anathemati subiecit: quam suam sententiam in medium progressus huius regii sacrique synedrii stans legit, quae ita ad litteram se habebat: adsentior sacrae sanctaeque synodo in hoc

καὶ τὴν νῦν προσαγομένην, καὶ τότε προσαχθεῖσαν παρὰ τοῦ μονογενοῦς καὶ ἀνθρωπήσαντος λόγου, καὶ τότε προσαχθεῖσαν, καὶ νῦν πάλιν προσάγεσθαι, ὡς τὴν αὐτὴν οὖσαν καὶ μίαν· καὶ τῷ μὲν οὕτω φρονοῦντι ἀνάθεμα· κἄν τι πρὸς ἀνατροπὴν εὑρίσκηται γεγραμμένον, ἀναθέματι καθυποβάλλω· ἡ ὑπογραφή· Σωτήριχος Παντεύγενος.

Τούτων οὖν συνενεχθέντων, ἔδοξεν ἡμῖν δέον εἶναι τὸ κατασκοπῆναι λοιπὸν καὶ τὰ περὶ τῆς αὐτοῦ καταστάσεως, εἰ ἄρα χρὴ τοῦτον ἐν ἱερατικῇ καταστάσει μένειν τὸ ἀπὸ τοῦδε, εἴτε καὶ εἰς ἀρχιερέα προβιβασθῇ· αὐτίκα οὖν ὁ κράτιστος καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν μὴ ἀνήκειν τῷ μεγίστῳ κράτει αὐτοῦ ἐπειπὼν, κατὰ τὸ δοκοῦν ἡμῖν ἐνδεχόμενον κανονικῶς τὰ περὶ τούτου ἐπέτρεψε διαπράξασθαι· ἐν πᾶσι γὰρ τὴν τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων ἀκριβεστάτην συντήρησιν ἀποδεκτέαν λογίζεται· συνδιασκεψαμένοις οὖν ἡμῖν ἐν κοινῷ περὶ τούτου, ἀπεντεῦθεν πάσης ἱερατικῆς ἀξίας ἀνάξιος κέκριται ὁ ὑποψήφιος Ἀντιο-

dogmate, quod sacrificium tam quod nunc offertur, quam illud ab unigenito olim incarnato Verbo oblatum, et tunc oblatum fuerit et nunc offeratur, tamquam unum idemque. Et qui minime sic censet, eum anathematizo; et si quid contrarium reperiatur scriptum, id pariter anathematizo. Soterichus Panteugenus subscripsi.

His ita compositis, visum est nobis dispiciendum quoque fore de huius ordinatione, nempe utrum oporteret hunc deinceps in ecclesiastico statu manere, vel ad ipsum pontificatum promoveri. Statim igitur potentissimus sanctusque noster imperator, hanc quoque quaestionem minime esse differendam sua maxima auctoritate annuens, quicquid nobis canonice facere placuisset concessit. Putat enim sacrorum divinorumque canonum exactam observantiam in cunctis tenendam. Ergo communi consilio deliberantibus, omni in posterum sacerdo-

χείας Θεουπόλεως Σωτήριχος ὁ Παντεύγενος· ἑπτὰ τοίνυν ἐξ ἡμῶν τῶν κατωτέρω ῥηθησομένων αἰτησαμένων κατασκέψασθαι πρότερον περὶ τούτου τὸ τελειότερον, καὶ ἐν ἑτέρᾳ συνελεύσει τὸ δοκοῦν αὐτοῖς ἀποφήνασθαι.

Ἐγὼ μὲν ὁ Κωνσταντινουπόλεως ἀπαράδεκτον εἰς ἱερωσύνην τοῦτον φημὶ εἶναι, ὡς ἐπὶ δύο ἤδη χρόνους οὐ κρύφα οὐδ' ἐν γωνίᾳ ἀλλὰ φανερῶς κατὰ τοῦ ὀρθοῦ παῤῥησιαζόμενον δόγματος, καὶ συνήγορον ὄντα λαμπρὸν τῆς ἀσεβείας καὶ πρόμαχον.

πρὸς βραχὺ πρὸς τὴν ἀπειλὴν τῶν τυράννων ἀντέχοντες, προδόται τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ἐγίνοντο· καὶ τί δεῖ λέγειν τοῦ τότε καιροῦ τὴν σκοτόμαιναν, καὶ τὸ πολυειδὲς ἐκεῖνο τῆς συγχύσεως θέατρον, καὶ τὸν κυκεῶνα τῶν δυσχερῶν πάντων ἑαυτοὺς ἀγνοούντων σχεδὸν καὶ μεριζομένων; παραλόγως ταῖς προαιρέσεσι, καὶ οἷα ἐπί τινος βεβαίας ἐλπίδος ἐρειδομένων; ἀλλὰ τῶν μὲν καὶ παῤῥησίᾳ καὶ κατὰ τῆς ἀληθείας λυττώντων καὶ μεμηνότων, καὶ τέλος ἀνομούντων διὰ κενῆς· τῶν δὲ τῇδε κἀκεῖσε νευόντων τῇ τῶν λογισμῶν διπλόῃ καὶ τῷ ἀπαγεῖ καὶ ἀστηρίκτῳ τῆς περὶ τὰ χρηστὰ διαθέσεως.

η. Ἀλλ' οὐχ οἱ τοῦ ὄντως καλοῦ ἐρασταὶ, καὶ τὴν βασιλικὴν εἰκόνα τηρήσαντες ἀθόλωτόν τε καὶ ἄτρωτον οἱ καλλίνικοι μάρτυρες οἱ τὰς ψυχὰς Θεῷ προκαθιερώσαντες, εἶτα καὶ τὰ σώματα θύσαντες, οἱ κατ' ἀμφότερα κάλλει καὶ ῥώμῃ διαπρεπεῖς, ἢ τῇ πεπλανημένῃ γνώμῃ τῶν δυσμενῶν ἐδουλώθησαν, τῷ καιρῷ καὶ τῷ κράτει συναλλοιούμενοί τε καὶ

que vim passi, sed ne brevi quidem momento tyrannorum minis obsistentes, salutis suae proditores extiterunt. Quid autem referre interest temporis illius profundam noctem, varium illud confusionis theatrum, cinnumque hominum infelicium, qui semet paene ignorabant, et in absurdas sectas divisi, nullius spei fundamento insistebant? Multi etiam proterve veritatem oderant, in eamque insaniebant, et sine causa peccabant. Alii denique modo huc modo illuc cogitationum ambiguitate, infirmoque et inconstante virtutis proposito pendebant.

8. Non ita tamen virtutis vere amatores, qui dominicam imaginem in semet immaculatam inviolatamque servaverant, invicti martyres qui suas animas Deo iampridem consecraverant, deinde et corpora sacrificanda obtulerant, puritate simul et fortitudine illustres, non ita, inquam, hi inimicorum

συμμορφούμενοι, ἢ ὥσπερ τινές, ὡς ἂν εἴποι τίς, ἡμιμόχθηροι καὶ ἡμίφαυλοι τοῦ καθήκοντος ἀπεσφάλησαν χωλάναντες τὴν διάνοιαν· ἀλλὰ μέχρι μὲν αὐτοὺς οὐ πρὸς τὴν ἀποστασίαν οἱ τύραννοι προὔτρεπον καὶ πρὸς τὸ θύειν κατήπειγον, νόμον πληροῦντες ἀθλητικὸν, ἡσυχῇ πως διεκαρτέρουν τὰς ψυχὰς παραθήγοντες, καὶ πρὸς τοὺς ἀγῶνας προϋπαλείφοντες ἔν τε νηστείαις καὶ προσευχαῖς διανυκτερεύοντες καὶ διημερεύοντες, κἀν τῇ λοιπῇ τῶν ἀρετῶν ἀσκήσει παιδοτριβούμενοι, καὶ κατὰ τῶν παθῶν φιλοπονώτερον γυμναζόμενοι, καὶ τὸ σῶμα δουλαγωγοῦντες, καὶ πρὸς τὸν ἔνδοθεν ἄριστα διαγωνιζόμενοι πόλεμον, ῥᾴστην ἑαυτοῖς τὴν ἔξωθεν πάλην προπαρεσκεύαζον· ὁπηνίκα δὲ καιρὸς ἐκάλει πρὸς τὰ παλαίσματα, ἀμελητὶ ἐπεξῄεσαν, ἄοπλοι μὲν τοῖς σώμασιν, πεφραγμένοι δὲ τῇ πίστει καὶ τῷ θάρσει τῆς προαιρέσεως, προθύμως ἐπιδόντες ἐπὶ τὰ σκάμματα· καὶ δὴ φαιδροὶ καὶ γεγηθότες ἀντιπρόσωποι τοῖς ἐναντίοις κατέστησαν, τὸ τῆς ψυχῆς ἀνδρικὸν καὶ πρὸς πᾶν ὁτιοῦν τῶν δυσχερῶν

suorum erroribus se vinci sinebant, tempori ac potentiae se conformantes ac subservientes, quasi ut ita dicam semipravi ac semistulti ab officio recedentes, et mente claudicantes: sed quamdiu eos ad apostasiam non hortabantur atque ad sacrificia non cogebant, more athletarum silentium servabant, animos acuebant, seque ad agones comparabant, atque in ieiuniis et precibus diem noctemque transigentes, et aliis se virtutum exercitiis erudientes, atque apprime cupiditatibus resistentes, corpora in servitutem redigentes, bellum interius optime gerentes, facillimam sibi exteriorem pugnam praeparabant. Mox autem ubi tempus ad certamina vocabat, sine mora prodibant, corporibus quidem inermibus, sed armati fide et propositi pervicacia, prompte admodum ad stadium volabant, laetique et alacres in acie contra adversarios se sistebant, suam animi fortitudinem, et ad quaevis aspera im-

πρὸς βραχὺ πρὸς τὴν ἀπειλὴν τῶν τυράννων ἀντέχοντες, προδόται τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ἐγίνοντο· καὶ τί δεῖ λέγειν τοῦ τότε καιροῦ τὴν σκοτόμαιναν, καὶ τὸ πολυειδὲς ἐκεῖνο τῆς συγχύσεως θέατρον, καὶ τὸν κυκεῶνα τῶν δυσχερῶν πάντων ἑαυτοὺς ἀγνοούντων σχεδὸν καὶ μεμιζομένων; παραλόγως ταῖς προαιρέσεσι, καὶ οὐκ ἐπί τινος βεβαίας ἐλπίδος ἐρειδομένων; ἀλλὰ τῶν μὲν καὶ παῤῥησίᾳ καὶ κατὰ τῆς ἀληθείας λυττώντων καὶ μεμηνότων, καὶ τέλος ἀνομούντων διὰ κενῆς· τῶν δὲ τῇδε κἀκεῖσε νευόντων τῇ τῶν λογισμῶν διπλόῃ καὶ τῷ ἀπαγεῖ καὶ ἀστηρίκτῳ τῆς περὶ τὰ χρηστὰ διαθέσεως.

η. Ἀλλ' οὐχ οἱ τοῦ ὄντως καλοῦ ἐρασταὶ, καὶ τὴν βασιλικὴν εἰκόνα τηρήσαντες ἀθόλωτόν τε καὶ ἄτρωτον οἱ καλλίνικοι μάρτυρες οἱ τὰς ψυχὰς Θεῷ προκαθιερώσαντες, εἶτα καὶ τὰ σώματα θύσαντες, οἱ κατ' ἀμφότερα κάλλει καὶ ῥώμῃ διαπρεπεῖς, ἢ τῇ πεπλανημένῃ γνώμῃ τῶν δυσμενῶν ἐδουλώθησαν, τῷ καιρῷ καὶ τῷ κράτει συναλλοιούμενοί τε καὶ

que vim passi, sed ne brevi quidem momento tyrannorum minis obsistentes, salutis suae proditores extiterunt. Quid autem referre interest temporis illius profundam noctem, varium illud confusionis theatrum, cinnumque hominum infelicium, qui semet paene ignorabant, et in absurdas sectas divisi, nullius spei fundamento insistebant? Multi etiam proterve veritatem oderant, in eamque insaniebant, et sine causa peccabant. Alii denique modo huc modo illuc cogitationum ambiguitate, infirmoque et inconstante virtutis proposito pendebant.

8. Non ita tamen virtutis vere amatores, qui dominicam imaginem in semet immaculatam inviolatamque servaverant, invicti martyres qui suas animas Deo iampridem consecraverant, deinde et corpora sacrificanda obtulerant, puritate simul et fortitudine illustres, non ita, inquam, hi inimicorum

συμμορφούμενοι, ἢ ὥσπερ τινες, ὡς ἂν εἴποι τίς, ἡμιμόχθηροι καὶ ἡμίφαυλοι τοῦ καθήκοντος ἀπεσφάλησαν χωλαναντες τὴν διανοιαν· ἀλλὰ μέχρι μὲν αὐτοὺς οὐ πρὸς τὴν ἀποστασίαν οἱ τύραννοι προὔτρεπον καὶ πρὸς τὸ θύειν κατήπειγον, νόμον πληροῦντες ἀθλητικὸν, ἡσυχῇ πως διεκαρτέρουν τὰς ψυχὰς παραθήγοντες, καὶ πρὸς τοὺς ἀγῶνας προϋπαλείφοντες ἔν τε νηστείαις καὶ προσευχαῖς διανυκτερεύοντες καὶ διημερεύοντες, κἀν τῇ λοιπῇ τῶν ἀρετῶν ἀσκήσει παιδοτριβούμενοι, καὶ κατὰ τῶν παθῶν φιλοπονώτερον γυμναζόμενοι, καὶ τὸ σῶμα δουλαγωγοῦντες, καὶ πρὸς τὸν ἔνδοθεν ἄριστα διαγωνιζόμενοι πόλεμον, ῥᾴστην ἑαυτοῖς τὴν ἔξωθεν πάλην προπαρεσκεύαζον· ὁπηνίκα δὲ καιρὸς ἐκάλει πρὸς τὰ παλαίσματα, ἀμελητὶ ἐπεξῄεσαν, ἄοπλοι μὲν τοῖς σώμασιν, πεφραγμένοι δὲ τῇ πίστει καὶ τῷ θάρσει τῆς προαιρέσεως, προθύμως ἐπιδόντες ἐπὶ τὰ σκάμματα· καὶ δὴ φαιδροὶ καὶ γεγηθότες ἀντιπρόσωποι τοῖς ἐναντίοις κατέστησαν, τὸ τῆς ψυχῆς ἀνδρικὸν καὶ πρὸς πᾶν ὁτιοῦν τῶν δυσχερῶν

suorum erroribus se vinci sinebant, tempori ac potentiae se conformantes ac subservientes, quasi ut ita dicam semipravi ac semistulti ab officio recedentes, et mente claudicantes: sed quamdiu eos ad apostasiam non hortabantur atque ad sacrificia non cogebant, more athletarum silentium servabant, animos acuebant, seque ad agones comparabant, atque in ieiuniis et precibus diem noctemque transigentes, et aliis se virtutum exercitiis erudientes, atque apprime cupiditatibus resistentes, corpora in servitutem redigentes, bellum interius optime gerentes, facillimam sibi exteriorem pugnam praeparabant. Mox autem ubi tempus ad certamina vocabat, sine mora prodibant, corporibus quidem inermibus, sed armati fide et propositi pervicacia, prompte admodum ad stadium volabant, laetique et alacres in acie contra adversarios se sistebant, suam animi fortitudinem, et ad quaevis aspera im-

ἀκατάπληκτον διὰ τῆς ἐπιφαινομένης ὄψεως τοῖς ὁρῶσιν ἐπισημαίνοντες· πρὸς οὓς οἱ προκαθήμενοι τύραννοι δριμύ τε καὶ τιτανῶδες μετ᾽ ὀργῆς ἀποβλέψαντες τοιαύτας, ἵν᾽ ὡς ἐν τύπῳ τὰς ἑκατέρων κοινῇ καὶ καθ᾽ ἕνα διαλέξεις κεφαλαιωδῶς περιλάβοιμεν (1), τὰς πεύσεις τοῖς ἀθλοφόροις προσήνεγκαν· τίνες ὄντες καὶ ὅθεν ὁρμώμενοι, δέον ὑποπτήσσειν τὴν ἐξουσίαν καὶ δεδιέναι τοὺς θρόνους, γαύρῳ μᾶλλον φρονήματι καὶ παῤῥησίᾳ τοῖς δικαστικοῖς παρέστητε βήμασι; προσαπῄτουν δὲ καὶ τύχην φράζειν, καὶ ἐπιτήδευμα, καὶ θρησκείας εἶδος, καὶ ὅπως ἔχοιεν γνώμης περὶ τὴν τῶν εἰδώλων προσκύνησιν· οἱ δὲ πρᾳείᾳ τῇ τῆς ψυχῆς καταστάσει, μειλιχίοις οὕτω πως πρὸς αὐτοὺς διεξῆλθον τοῖς ῥήμασιν, εὔκαιρον τὴν ἀπολογίαν ποιούμενοι.

θ. Ἡμεῖς μὲν, ἄνδρες δικασταὶ, τῆς αὐτῆς ὑμῖν ἐλά-

perterritam mentem vultu ipso intuentibus demonstrantes. Quos e subselliis tyranni torve instar Titanum atque iracunde spectantes, his ferme quaestionibus (ut harum quamdam formam, sive quae communiter sive quae singillatim fiebant summatim comprehendamus) athletas exagitabant. Quinam vos estis, aiebant, aut unde profecti, qui cum potestatem ac regias sedes vereri deberetis, elato potius atque audaci animo, iudicum subselliis adstatis? Insuper exigebant, ut conditionem suam dicerent, et vitae institutum, et religionis genus, et quid de idolorum cultu sentirent. Illi autem tranquillo animi affectu verbisque placidis sic fere iis tempestiva cum apologia respondebant.

9. Nos quidem, o iudices, eandem quam vos naturam sor-

(1) En adamussim panegyricae huius orationis argumentum; proponit sibi videlicet Constantinus uno sermone ea globatim complecti, quae per innumeros SS. martyrum agones evenerunt, sive in eorum disputationibus cum iudicibus ac tyrannis, sive in mutuis cohortationibus, sive in precibus ad Deum, sive denique in variis cruciatuum mortiumque generibus. Neque aliter ab eo fieri poterat, qui generalem omnium martyrum laudationem lucubrabat.

χομεν φύσεως, οὐκ ἐκ θελήματος δὲ σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ᾽ ἐκ Θεοῦ πατρὸς ἐγεννήθημεν, παρ᾽ οὗ καὶ χριστιανοὶ καὶ εἶναι καὶ καλεῖσθαι κατεξιώθημεν· κοινὸν γὰρ ἡμῖν πᾶσιν ὄνομα τοῦτό γε· πατρὶς δὲ ἡμῖν καὶ τροφὸς ἡ δεδοξασμένη τοῦ Θεοῦ πόλις, ἡ νοητὴ μήτηρ Σιὼν, ἣν ὁ ὕψιστος δεσπότης ἐθεμελίωσεν· γένος δὲ καὶ φυλέται καὶ φράτορες οἱ πρῶτοι νόες καὶ Θεῷ πλησιάζοντες, ὁμογενεῖς μὲν ἡμῖν κατὰ τὸ ὑπὸ Θεοῦ κᾳὐτοὺς ἐκτίσθαι καὶ ἐκ μὴ ὄντων, ἶσοι δὲ διὰ τὸ πρὸς τὸ θεῖον σέβας ὁμόζηλον καὶ τὴν φυλακὴν τοῦ καλοῦ· εἰ καὶ διὰ τὴν τῆς ἀξίας ὑπεροχὴν καὶ τὸ τῆς φύσεως καθαρόν τε καὶ ἄκρατον, καὶ τὸ πρώτως ὑπὸ τῆς ἀκτῖνος ἐλλάμπεσθαι, πλείονα τὴν δόξαν περιεβάλοντο· ἀξίωμα δὲ καὶ ἐπιτήδευμα, φρόνησις, ἀνδρεία, δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη, τῆς ἀρετῆς τὰ κεφάλαια δι᾽ ὧν ἀεὶ τὸ ἀγαθὸν ἐργαζόμενοι, τὰ πρὸς τὴν ὄντως ζωὴν φιλοτιμότερον πορίζόμεθα· θρησκεία δὲ ἡμῖν ἡ εὐσέβεια, καὶ τὸ

titi sumus; verumtamen non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo patre nati sumus, qui etiam ut Christiani et simus et appellemur, dignanter nobis concessit. Communis quidem haec nobis appellatio est; patria vero nostra est et nutrix, gloriosa Dei civitas, rationalis mater Sion, quam altissimus dominus fundavit. Gens autem nostra, et contribules, ac populares, primae illae mentes sunt quae Deum circumstant, homogeneae quidem nobis quatenus ipsae quoque a Deo ex nihilo creatae fuerunt, pares autem quod adtinet ad concors religionis studium et iusti observantiam: quamquam ob dignitatis excessum, et naturae puritatem ac simplicitatem, et quia ante omnes ex divino lumine prodierunt, maiore quam nos gloria exornantur. Conditio porro nostra et studium in eo versatur, ut prudentiam, fortitudinem, iustitiam ac temperantiam exerceamus, quae totidem sunt virtutis capita, quibus quod bonum est semper agentes, veram

ἀκατάπληκτον διὰ τῆς ἐπιφαινομένης ὄψεως τοῖς ὁρῶσιν ἐπισημαίνοντες· πρὸς οὓς οἱ προκαθήμενοι τύραννοι δριμύ τε καὶ τιτανῶδες μετ' ὀργῆς ἀποβλέψαντες τοιαύτας, ἵν' ὡς ἐν τύπῳ τὰς ἑκατέρων κοινῇ καὶ καθ' ἕνα διαλέξεις κεφαλαιωδῶς περιλάβοιμεν [1], τὰς πεύσεις τοῖς ἀθλοφόροις προσήνεγκαν· τίνες ὄντες καὶ ὅθεν ὁρμώμενοι, δέον ὑποπτήσσειν τὴν ἐξουσίαν καὶ δεδιέναι τοὺς θρόνους, γαύρῳ μᾶλλον φρονήματι καὶ παῤῥησίᾳ τοῖς δικαστικοῖς παρέστητε βήμασι; προσαπῄτουν δὲ καὶ τύχην φράζειν, καὶ ἐπιτήδευμα, καὶ θρησκείας εἶδος, καὶ ὅπως ἔχοιεν γνώμης περὶ τὴν τῶν εἰδώλων προσκύνησιν· οἱ δὲ πραείᾳ τῇ τῆς ψυχῆς καταστάσει, μειλιχίοις οὕτω πῶς πρὸς αὐτοὺς διεξῆλθον τοῖς ῥήμασιν, εὔκαιρον τὴν ἀπολογίαν ποιούμενοι.

θ. Ἡμεῖς μὲν, ἄνδρες δικασταὶ, τῆς αὐτῆς ὑμῖν ἐλά-

perterritam mentem vultu ipso intuentibus demonstrantes. Quos e subselliis tyranni torve instar Titanum atque iracunde spectantes, his ferme quaestionibus (ut harum quamdam formam, sive quae communiter sive quae singillatim flebant summatim comprehendamus) athletas exagitabant. Quinam vos estis, aiebant, aut unde profecti, qui cum potestatem ac regias sedes vereri deberetis, elato potius atque audaci animo, iudicum subselliis adstatis? Insuper exigebant, ut conditionem suam dicerent, et vitae institutum, et religionis genus, et quid de idolorum cultu sentirent. Illi autem tranquillo animi affectu verbisque placidis sic fere iis tempestiva cum apologia respondebant.

9. Nos quidem, o iudices, eandem quam vos naturam sor-

(1) En adamussim panegyricae huius orationis argumentum; proponit sibi videlicet Constantinus uno sermone ea globatim complecti, quae per innumeros SS. martyrum agones evenerunt, sive in eorum disputationibus cum iudicibus ac tyrannis, sive in mutuis cohortationibus, sive in precibus ad Deum, sive denique in variis cruciatuum mortiumque generibus. Neque aliter ab eo fieri poterat, qui generalem omnium martyrum laudationem lucubrabat.

χομεν φύσεως, οὐκ ἐκ θελήματος δὲ σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ πατρὸς ἐγεννήθημεν, παρ' οὗ καὶ χριστιανοὶ καὶ εἶναι καὶ καλεῖσθαι κατεξιώθημεν· κοινὸν γὰρ ἡμῖν πᾶσιν ὄνομα τοῦτό γε· πατρὶς δὲ ἡμῖν καὶ τροφὸς ἡ δεδοξασμένη τοῦ Θεοῦ πόλις, ἡ νοητὴ μήτηρ Σιὼν, ἣν ὁ ὕψιστος δεσπότης ἐθεμελίωσεν· γένος δὲ καὶ φυλέται καὶ φράτορες οἱ πρῶτοι νόες καὶ Θεῷ πλησιάζοντες, ὁμογενεῖς μὲν ἡμῖν κατὰ τὸ ὑπὸ Θεοῦ καὐτοὺς ἐκτίσθαι καὶ ἐκ μὴ ὄντων, ἴσοι δὲ διὰ τὸ πρὸς τὸ θεῖον σέβας ὁμόζηλον καὶ τὴν φυλακὴν τοῦ καλοῦ· εἰ καὶ διὰ τὴν τῆς ἀξίας ὑπεροχὴν καὶ τὸ τῆς φύσεως καθαρόν τε καὶ ἄκρατον, καὶ τὸ πρώτως ὑπὸ τῆς ἀκτῖνος ἐλλάμπεσθαι, πλείονα τὴν δόξαν περιεβάλοντο· ἀξίωμα δὲ καὶ ἐπιτήδευμα, φρόνησις, ἀνδρεία, δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη, τῆς ἀρετῆς τὰ κεφάλαια δι' ὧν ἀεὶ τὸ ἀγαθὸν ἐργαζόμενοι, τὰ πρὸς τὴν ὄντως ζωὴν φιλοτιμότερον περιζόμεθα· θρησκεία δὲ ἡμῖν ἡ εὐσέβεια, καὶ τὸ

titi sumus; verumtamen non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo patre nati sumus, qui etiam ut Christiani et simus et appellemur, dignanter nobis concessit. Communis quidem haec nobis appellatio est; patria vero nostra est et nutrix, gloriosa Dei civitas, rationalis mater Sion, quam altissimus dominus fundavit. Gens autem nostra, et contribules, ac populares, primae illae mentes sunt quae Deum circumstant, homogeneae quidem nobis quatenus ipsae quoque a Deo ex nihilo creatae fuerunt, pares autem quod adtinet ad concors religionis studium et iusti observantiam: quamquam ob dignitatis excessum, et naturae puritatem ac simplicitatem, et quia ante omnes ex divino lumine prodierunt, maiore quam nos gloria exornantur. Conditio porro nostra et studium in eo versatur, ut prudentiam, fortitudinem, iustitiam ac temperantiam exerceamus, quae totidem sunt virtutis capita, quibus quod bonum est semper agentes, veram

μὴ ἀντανιστᾷν τὴν κτίσιν κατὰ τοῦ κτίσαντος, ἢ τὴν ἀλήθειαν κατέχειν ἐν ἀδικίᾳ, μηδὲ τὴν εἰκόνα τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν μεταλλάττεσθαι, ἀλλ' ἐν ὅροις μένοντας τῆς ἀκλινοῦς ἐπιγνώσεως, διαφορὰν εἰδέναι ποιητοῦ καὶ ποιήματος· καὶ τὸν μὲν ἐν τρισὶν ὁμολογεῖν ὑποστάσεσιν, πατρὶ τῷ ἀνάρχως γεννήσαντι, καὶ υἱῷ τῷ ἀνάρχως γεννηθέντι εἶτα καὶ δι' ἡμᾶς ἐν χρόνῳ ἀνθρωπισθέντι, καὶ πνεύματι ἁγίῳ ζωοποιοῦντι πάντας καὶ ἁγιάζοντι, μιᾷ δὲ τῇ οὐσίᾳ καὶ θεότητι καὶ δυνάμει καὶ κυριότητι· τὸ δὲ δοῦλον γνωρίζειν καὶ ὑποχείριον, ὅσον τὲ ἐν ὁρατοῖς καὶ ὅσον ἐν ἀοράτοις νοεῖται τὲ καὶ πιστεύεται· γνώμης δὲ οὕτως ἔχομεν περὶ τὴν τῶν εἰδώλων σπουδὴν, ὡς εἴ τις ἔχει συντόμως φράσαι τῷ λόγῳ περὶ τὰ βλαβερά τε καὶ φθείροντα φάρμακα, καὶ τῶν ἑρπετῶν τὰ δεινότατα, ὧν ἡ κακία τῶν εἰδωλικῶν δηγμάτων κουφότερον ἐμποιεῖν τὸν ὄλεθρον πέφυκεν,

vitam impensius affectamus. Cultus noster in recta religione versatur, nempe ut ne creatura adversus suum creatorem insurgat, nec veritatem detineat in iniustitia, neque imaginem incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis hominis mortalis, et volucrum, quadrupedum, atque serpentium, commutet; sed contra in immutabilis scientiae finibus consistentes, differentiam novimus creaturae et creatoris: nempe hunc in tribus confitemur personis, Patre qui sine principio genuit; Filio genito item sine principio, deinde vero pro nobis homine facto; et demum Spiritu sancto, qui omnes vivificat et sanctificat; in una tamen substantia ac deitate, virtute ac potestate. Cetera omnia serva existimamus et subdita, quotquot visibilia atque invisibilia mente concipimus atque credimus. Iam quid de idolorum cultu sentiamus, paucis verbis absolvitur, nempe haec instar esse noxiorum atque exitialium pharmacorum, serpentiumque saevissimorum, quorum tamen ma-

εἴπερ ἡ μὲν μέχρι σωμάτων ἵσταται καὶ τῆς ῥεούσης ὕλης, τὰ δὲ πρὸς τοῖς σώμασιν καὶ ψυχὰς αὐτὰς πυρπολεῖ, σπαράττοντά τε καὶ κατεσθίοντα, πικρότερόν τε καὶ βιαιότερον.

ι. Συμβέβηκε δὲ τούτων ἐπακούσαντας τῶν λόγων τοὺς δυσμενεῖς, καὶ προκύπτουσαν ἤδη τὴν ὀργὴν χαλινώσαντας, ὡς ἂν μὴ ταχέως παθοκρατούμενοι φαίνοιντο· ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ὅτῳ, φάναι, τὰ σαρκὸς ἀφέντες γνωρίσματα, καὶ τὴν ἐπὶ γῆς πολιτείαν καὶ δίαιταν, δι᾽ ὧν φανεροὺς ἑαυτοὺς καταστήσειτε, μετεωρολέσχαι γεγόνατε, ξένοις ἡμᾶς καὶ ἀηθέσι λόγοις μορμολυττόμενοι; περὶ γὰρ ὧν θρησκεύειν ὡμολογήσατε, καὶ ὧν ἐξυβρίσατε θρασέως οὕτω καὶ τολμηρῶς, εἰς αὖθις διασκεψόμεθα· μηδὲ γὰρ τοσαύτην ἡμᾶς περιόψεσθαι ῥημάτων ἀδολεσχίαν καὶ τερατείαν οἰηθείητε ἄν. Καὶ ποῖον ἄν, φῆσαι τοὺς ἀθλητάς, ὧν προειρήκαμεν γνώρισμα μεῖζον τὲ καὶ περιφανέστερον πρὸς τὸ δειχθῆναι τοῖς ἀγνοοῦσιν, οἵτινες ὄντες ἡμεῖς ἀφοριστικοῖς χαρακτῆρσι τῶν ἄλλων διενηνόχαμεν; κατὰ μὲν γὰρ τὸν χοῦν καὶ τὴν τῆς ὕλης παχύτητά

ligni morsus levius quam ipsa idola nocent, quandoquidem illi corporum et fragilis materiae tenus, haec autem corpora simul animasque afflant, ac maiore saevitia violentiaque discerpunt.

10. Porro dum haec audirent rabidi hostes, erumpentem nihilominus iram cohibentes, ne tam subito commoti viderentur; et curnam, aiebant, vos humanitatis atque huius vitae conversationis cura omissa, quae vos in praeclaro statu componeret, de rebus caelestibus fabulamini, vana et inaudita verba quasi magice apud nos iactantes? Nam de vestro quidem cultu, et de nostro cui adeo audacter acerbeque convicium facitis, paulo post dispiciemus: neque enim existimetis, nos tantam verborum futilitatem ac paene portentum aequis animis laturos. Ecquaenam vero, responderunt martyres, praeter ea quae diximus nota maior est atque evidentior, ad demonstrandum ignaris, quibus nos singularibus characteribus

τε καὶ σύμπηξιν, κατ' οὐδὲν ὑμῶν διαλλάττομεν, ἔν τε μορφαῖς ταῖς αὐταῖς καὶ σχήμασιν ὁμοίως ὅσον εἰς τὸ κοινὸν εἶδος ἥκει τῆς φύσεως καθορώμενοι, καὶ ὄγκῳ καὶ μεγέθει καὶ πηλικότητι, καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐπισημαινόμενοι· προσέτι καὶ γενέσει καὶ φθορᾷ τὸν βίον ὡς οὕτως ὑμῖν διαμείβοντες· τοῖς δέ γε τῆς ψυχῆς ἰδιώμασι, τῆς πρὸς ὑμᾶς ἐπιμιξίας μεγάλῳ χάσματι διειργόμεθα, μήτε τρόπων καὶ ἠθῶν ὁμοιότητι, μηδ' αὖ κινήσεων καὶ ὁρμῶν ἢ προαιρέσεων ταυτότητι συμφερόμενοι· ὅθεν εἰ γηΐνοις γνωρίσμασιν ἑαυτοὺς ἐμφαίνειν ὑμῖν ἐπειρώμεθα, πρόδηλον ὡς ἐν τῷ κοινῷ τὸ ἰδιάζον παρεκαλύπτομεν· ἐπειδὴ δὲ καθαρὸν καὶ οὐ συγκεχυμένον τὸ τῶν γνωρισμάτων εἶδος ὑμῖν ποιεῖσθαι διενοήθημεν, καὶ τὸ κρυπτὸν καὶ μὴ πρόχειρον τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας διαφωτίσαι, ὡς ἂν τρανὴν καὶ διακεκριμένην τὴν περὶ ἡμῶν διάγνωσιν κατοπτεύσοιτε, οὐκ ἂν ἑτέρως ἐδείχθημεν ἢ οὕτως ἐπαληθεύοντες, τὴν τῶν ἐν οἷς ζῶμεν καὶ

ab aliis mortalibus differamus? Nam quod adtinet ad luteam materiam densamque atque compositam, nihil a vobis differimus, atque ipsa figura habituque similem omnino et communem speciem exhibemus, uti etiam pari mole, magnitudine et qualitate ac nominibus denotamur. Sic denique aeque ac vos nativitatem ac mortem vita nostra sortitur. Sed enim ad animam quod spectat grandi prorsus intervallo a vobis distamus; quippe qui neque vitae aut morum similitudine, neque motuum aut studiorum aut voluntatum ratione pares sumus. Constat ergo quod si terrenis notis nosmet vobis demonstrare vellemus, re communi propriam obnuberemus. Nunc quia puram vobis minimeque fucatam vitae nostrae speciem exhibere voluimus, quodque latet minimeque in propatulo est politiae nostrae in lucem proferre, ut liquidam defaecatamque cognitionem nostri habeatis, haud aliter id agendum erat quam genuinis veritatis coloribus, eorum quae in vita agimus

κινούμεθα καὶ ἐσμέν, γυμνὴν ὑμῖν εἰκόνα διαχαράξαντες· ἄλλως καὶ ὑμεῖς οὐκ ἂν ἀρνηθείητε τὴν ψυχὴν τῷ χείρονι συνδεδεμένην, ἡγεμονεύειν τε καὶ κρατεῖν καὶ φύσεως ὑπεροχῇ φέρειν τὲ καὶ ἄγειν τὸ ὑποχείριον, ἕως ἂν αὐτῆς σώζηται τὸ ἀξίωμα· ὡς εἴ τις μὴ τοῖς τοῦ κυριωτέρου μέρους σημάντροις ἐγκαλλωπίζεται, μικροπρεπῶς δὲ ὡς ἐπί τισι μεγίστοις μεγαλαυχεῖται τοῖς τῆς σαρκὸς προκαλύμμασι, ἔοικεν φαύλῃ τινὶ ψήφῳ τῷ χείρονι προστιθέμενος, καὶ τὴν κτίσιν τοῦ καλοῦ παραιρούμενος· γνῶτε τοίνυν ὡς οὐκ εἰκῇ τε καὶ παραλόγως οὐδὲ σεσοφισμένως καὶ σκολιῶς, καιρίως δὲ μᾶλλον τῶν προσόντων ἡμῖν τοὺς χαρακτῆρας ἐν ταῖς ὑμετέραις διανοίαις ἀπετυπώσαμεν· ἀλλ' εἰ δοκεῖ λοιπὸν περὶ τῆς θρησκείας ὡς ἤδη περ ἠπειλήσατε, ποιήσασθε τὴν ἐξέτασιν, ὡς ἡμεῖς ἕτοιμοι παντὶ τῷ ἐρωτῶντι περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος ἀπολογεῖσθαι.

ια. Τοὺς δὲ πρὸς ταῦτα εἰπεῖν, ὡς εὖ γε ὑμῖν μὴ παρ-

ac molimur, et quinam simus, imaginem vobis depingendo. Iam et vos ipsi nequaquam negabitis animam deteriori corpori illigatam, tamen huic dominari ac moderari, ac suae naturae praestantia subiectam sibi materiam pro suo libito regere, quamdiu certe dignitatem suam conservat. Si quis igitur non tam praecipuae partis ornamentis gloriatur, quam obscuro carnis velo ceu re magna misere delectatur, hic videtur stulto suffragio quod deterius est eligere, et rem creatam honestati anteferre. Quamobrem vobis persuasum volumus, nos neque temere, neque absurde, neque malitiose aut fraudulenter, sed tempestive admodum nostrae vitae rationem mentibus vestris quasi typo impressisse. Reliquum est, ut de religione nostra, prout minati estis, quaestionem adgrediamini; etenim nos parati sumus cuivis interroganti de spe nostra rationem reddere.

11. Ad haec iudices respondebant: recte vos ea in pretio

ἔργοις θεμένοις τὰ περὶ ὧν καὶ ἡμῖν λίαν ἐπιμελῶς διεσπούδασται· ἀλλὰ τίς ὁ λόγος ὑμῖν τῆς περὶ τὴν θρησκείαν νεωτεροποιίας καὶ τῆς τῶν δογμάτων καινότητος; ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρετε εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν τὴν προγονικὴν δόξαν τῶν θεῶν παρωθούμενοι, χρόνῳ καὶ ἔθει καὶ νόμῳ κραταιωθεῖσαν· ὑφ' ὧν καὶ τόδε τὸ πᾶν ἐξ ἀσυμφώνων καὶ ἀντιθέτων μερῶν συνδεῖται, καὶ συγκέκραται νόμῳ φιλίας καὶ τάξεως πρὸς μίαν ἁρμονίαν καὶ σύμπνοιαν, καὶ τῆς ἡμετέρας ζωῆς διαμονὴν καὶ ἀσφάλειαν· ἢ δι' ὅν τινα λόγον τοσαύτην ἀφθονίαν καταλελοιπότες θεῶν, τρισὶ καὶ μόνοις καὶ ταῦτα ἀγνώστοις θεοῖς συνεκλείσθητε, καινῶς ὑφ' ὑμῶν ἀνα-
Iliad. γ 363. πλασθεῖσι καὶ συντεθεῖσιν; εἰ δὲ καὶ τριάδα παρ' Ὁμήρου λέγειν ὑμῖν ἐξεγένετο, κατὰ τὸ, τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἀλλ' οὐ διατέμνειν τὴν ποίησιν χρὴ, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐξανθίζεσθαι, τὸ δὲ τελείως ἀποῤῥίπτειν· εἰ γὰρ καὶ τοῖς ἡγεμονικωτέροις καὶ οἱονεὶ κορυφαίοις ὥς τισι πρώταις αἰ-

habetis, quorum nos quoque magnopere curam gerimus: verumtamen cur recenter fictum religionis genus, atque hanc dogmatum novitatem invehitis! Nam peregrina quaedam nostris auribus obtruditis, avitam de Diis sententiam eiicientes, saeculis, moribus, legibusque iamdiu firmatam. A Diis enim universum hoc ex discordibus oppositisque partibus colligatur, ac lege veluti amicitiae et ordinis ad harmoniam consensumque compingitur, atque ad vitae nostrae conservationem et securitatem. Quanam porro ratione ducti, tanto numero Deorum omisso, tribus tantummodo et quidem ignotis Diis adhaeretis a vobis nuper confictis et fabricatis? Quod si trinitatem Homero auctore nominare vobis licet, iuxta illud, trifariam cuncta distincta sunt, haud idcirco oportet universum hoc secare, et eius quidem partem praelibare, reliquam prorsus abiicere. Etsi enim nonnullis principalibus et quasi coryphaeis, ceu quibusdam primis causis, mundi imperium

τίαις ὁ ποιητὴς τὰς τοῦ παντὸς ἀρχὰς ἀπεκλήρωσεν, οὐ μὴν τοὺς συνεπιμελητὰς ἀποκηρύττει θεούς, ἀλλὰ δι' ὅλης αὐτοῦ τῆς ποιήσεως καὶ κοινῇ διασκεπτομένους περὶ τῶν πρακτέων εἰσάγει, καὶ συνευωχουμένους, καὶ συνδιέποντας, καὶ προπολεμοῦντας καὶ συμμαχοῦντας, καὶ πάντα πράττοντας, δι' ὧν ἄν τις αὐτοὺς θεοὺς μεγίστους ἡγήσαιτο, προνοίᾳ τὴν κτίσιν διακοσμοῦντας καὶ διατάττοντας· οὓς ἅπαντας ὁμοίως προσίεσθαι δεῖ, καὶ ταῖς τιμαῖς ἡμᾶς ἐκμειλίσσεσθαι· τῆς τοίνυν κατεχούσης πλάνης καθάπερ λύμης ἀπαλλαγέντες, μεταμάθετε, τὸ καλὸν φωτιζόμενοι τὴν διάνοιαν, καὶ πείθεσθε συμβουλεύουσιν· ἔτι γὰρ ὑμῶν φειδόμεθα, καὶ τῆς ἀνοίας οἰκτείρομεν· διὸ καὶ ἐπιεικέστερον πως ποιούμεθα τὸν διάλογον, τὸν ὄγκον τῆς ἀρχικῆς ἐξουσίας κατατιθέμενοι, καὶ παιδαγωγοῦ τρόπῳ παιδεύειν ὑμᾶς πρὸς τὸ συμφέρον ἐκβιαζόμενοι.

ιβ. Καὶ πῶς ἂν δειχθείητε, πρὸς ταῦτα τοὺς ἀθλητὰς ὑποκρίνασθαι, φιλότεκνοί τε καὶ ἀρχικοί, μὴ τοιούτοις ἡμᾶς

poëta attribuit, minime tamen reliquos Deos a rerum cura excludit; immo vero toto suo poëmate, et una de rebus agendis deliberantes inducit, et convivantes, simulque gubernantes, et in bello propugnantes, et opem ferentes, cunctaque agentes ob quae maximos esse Deos credere oportet, creatisque rebus providentia sua ac regimine consulentes; quos idcirco ambire necesse est, et oblatis honoribus propitios facere. Quapropter errorem vestrum, tamquam pestem quandam expellentes, dediscite, veri honestique lumine mentes vestras purgantes, nobisque suadentibus auscultate. Adhuc enim vobis parcimus, insaniae vestri misérti; ideoque et humaniter vobiscum confabulamur, deposito imperativae dignitatis tumore, et paedagogi ritu ad ea quae vobis sunt utilia compellimus.

12. Atqui, responderunt martyres, qui fieri potest ut benivolorum parentum ac magistratuum loco habeamini, nisi

λόγοις δαψιλῶς ἐκτρέφοντές τε καὶ ἐκπαιδεύοντες; οἵ γε περὶ τῶν μεγίστων οὕτω διανοεῖσθε λίαν μεγαλοπρεπῶς καὶ ἐνδόξως, ὡς παιδαγωγοῦ τινὸς ἀληθῶς δεῖσθαι μάστιξιν ἡμᾶς ἐπιστρέφοντος· καὶ τοῦτο δὲ ὡς χαρίεν ὑμῶν καὶ φιλάνθρωπον, ὅτι μὴ πρὸς ὀργὴν, πράως δὲ ἡμῖν διαλέγεσθε· ἐπεὶ δὲ τοῦτο οὑτωσὶ μέχρι παντὸς ἀκέραιον φυλάττοιτε τὴν ὑπόσχεσιν, καὶ οὐδέ τι πάθος ἐπιπροσθεῖ, δεῦρο ἅμα συνεξετάσωμεν περὶ τῶν ἄγαν σπουδαιοτάτων τὲ καὶ καιρίων, ὥσπερ ἐν σταθμῷ τινὶ καὶ ζυγῷ, τοὺς λόγους ποιούμενοι· καὶ τὸ ῥέπον νικήσειεν, καὶ μετὰ τοῦ νικῶντος γενώμεθα· καὶ πρῶτον, εἰ δοκεῖ, περὶ τῆς κατὰ τὴν θρησκείαν ἀρχαιότητος διαλάβωμεν.

ιγ. Ὁ μὲν ἡμέτερος λόγος τὸν πρῶτον ἄνθρωπον παραδίδωσι τὴν περὶ τοῦ ὄντος δόξαν ἐκδιδαχθέντα θεόθεν θεολογικώτατον γενέσθαι καὶ γνωστικώτατον· τοῦτον ἐπιβουλῇ καὶ φθόνῳ τοῦ πονηροῦ τῆς ὑψηλῆς θεωρίας ἀπωλισθήσαντα, καὶ πρὸς τὸ γεῶδες ἀπονεύσαντα φρόνημα, πρὸς μὲν

dignis nos hoc nomine doctrinis imbuatis apprime atque erudiatis? Qui interim in re maxima, adeo de vobis magnifice et gloriose sentitis, ut vere tamquam a paedagogo nos oporteat a vobis emendari: benigneque et humaniter agere putatis, quod non iracunde sed mansuete nos alloquimini. Iam vero quoniam huc usque promissum hoc inviolatum servastis, neque ulla animi perturbatione movemini, age nunc simul dispiciamus de re gravissima et momenti maximi, tamquam in statera quadam sermonem librantes, quae ubivis inclinaverit victoriam pariet, nosque ipsi victorem sequemur. In primis igitur, si vobis placet, de religionis antiquitate tractemus.

13. Nostra igitur doctrina tradit, primum hominem, de Entis existentia divinitus edoctum, et summum theologum et sapientia plenum extitisse. Hunc tamen insidiis invidiaque diaboli a suae scientiae sublimitate depulsum, atque ad ter-

τὴν κατὰ νοῦν ἰσχνοτάτην τε καὶ εἰλικρινῆ ἐποψίαν ἀμβλυωπῆσαι, παχεῖαν δέ τινα νεφέλην αὐτοῦ τῆς τῶν καλῶν ἀμνημοσύνης κατασκιάσαι· καὶ οὕτως τὰς φωτοειδεῖς ὄψεις ἀποβαλόντα, τῆς ἐν παραδείσῳ λαμπρᾶς ἐξωσθῆναι διατριβῆς· ἐντεῦθεν τοῖς ἐκγόνοις ἀμυδρότερόν τε καὶ ἀδιάκριτον τὸ φῶς τῆς θεολογικῆς ἀκτῖνος, ὡς διά τινος κλειθρίας ἐπηύγασεν· Ἀβραὰμ δὲ καλούμενον οὕτω τὸν ἡμέτερον πρόγονον σοφίας ἔρωτι διαπρέποντα, καὶ πολλῇ μὲν τῇ ζητήσει, πλείονι δὲ τῇ πίστει κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἐν περιλήψει τῶν τελεωτέρων γενόμενον, καὶ τοὺς περὶ τῆς τριάδος καὶ τῆς σεπτῆς ἡμῶν θρησκείας μυηθῆναι λόγους σαφέστερόν τε καὶ διαυγέστερον· ᾧ τῇ συνέσει πρὸς τὸ μεῖζον προκόπτοντι, καὶ φιλοπονώτερον περὶ τὴν τῶν θείων ἔρευναν ἐγκειμένῳ, καὶ τῆς κατὰ τὸν ἕνα τῆς αὐτῆς τριάδος θεὸν λόγον χρόνοις ὕστερον γενομένης οἰκονομίας τὸ παράδοξον συμβολικῶς προϋπεδείχθη μυστήριον· μεθ' ὃν Μωϋσῆς θεοπτίας ἀξιωθείς,

renas cogitationes deiectum, mentis acumen subtilissimum et purissimum sensisse hebetatum, crassam vero quandam nebulam sibi circumpositam quae honesti oblivionem induceret: atque ita claro lumine amisso, de splendido paradisi habitaculo fuisse eiectum. Ex eo tempore nepotibus quidem nonnisi subobscuram et indistinctam theologici radii lucem, tamquam per transennam, splendescere solitam. Ceteroqui Abrahamum progenitorem nostrum, sapientiae amore praestantem, multa quidem meditatione ac maiore fide, quantum licuit, sublimiorum rerum notitiam comprehendisse, atque ipsis Trinitatis sanctique nostri cultus mysteriis manifestius et clarius fuisse initiatum: cui demum intellectu suo ad maiora tendenti, et res divinas studiosius laboriosiusque scrutanti, mysterium quoque unius de Trinitate personae, Dei scilicet Verbi posterioribus saeculis incarnati, symbolice praeostensum est. Post illum Moyses ad Dei visionem dignanter admissus, a

καὶ νόμους ἐν γράμμασιν εἰληφὼς, τῷ λαῷ τὴν περὶ τοῦ ὄντος γνῶσιν ἐξήστραψεν ἐκτυπώτερον, ἀφ' οὗ καὶ ἡ ἔλλαμψις κατὰ βραχὺ πρὸς τὸ μεῖζον ὁδοποιουμένη προέβαινεν· μέχρις ἂν ἡμῖν ὁ τοῦ πατρὸς υἱὸς ὁμιλήσας διὰ σαρκὸς, τὴν ἐπὶ γῆς σωτηρίαν εἰργάσατο· παρ' οὗ τὸ ἐντελὲς τῆς ἀκριβοῦς κατέχομεν πίστεως, οὐκέτι μὲν ἐν σκιαῖς καὶ ἰνδάλμασιν, ἀνακεκαλυμμένῳ δὲ προσώπῳ τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι· οὕτως οὖν ἡμῖν προκατήγγελτο τῆς ἀληθείας τὸ κήρυγμα χρόνου πρεσβείοις τῶν μυθικῶν ὑμῶν δοξῶν ὑπερκείμενον· εἴπερ Ἀβραὰμ μὲν κατὰ τοὺς Νίνου χρόνους διέλαμπεν· καὶ Μωϋσῆς κατὰ τὴν Σικυωνίων ἀρχὴν ἡγεμονεύοντος Ὀρθοπόλιδος, ὃς τοῦ λεγομένου διφυοῦς προήκμαζε Κέκροπος· ὁ δὲ καθ' ὑμᾶς πάντων πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε Ζεὺς ὑπ' αὐτοῦ Κέκροπος ἐδημιουργήθη θεὸς [1]· ἐξ ἐκείνου τὸ λοιπὸν ἐφ' ἑξῆς αἱ τῶν ἄλλων ὑμῖν θεῶν ἀγέλαι συνέστησαν· καὶ τά τε ἐν Ἰλίῳ κακὰ, καὶ ἡ τῆς ὁμηρικῆς ποιήσεως διέκυψε πήρωσις· λίθοι τὲ καὶ ξύλα θεοὶ πλουσίως διεμορφώ-

quo scriptam legem accepit, Entis notitiam populo expressius impertitus est; exinque id lumen paulatim dimanans crevit, donec Patris filius nobiscum in carne versans salutem in terris patravit; a quo fidei accuratae perfectionem habemus, ita ut haud iam in umbris atque imaginibus, sed revelata facie gloriam Domini speculemur. Sic igitur nobis praenunciata fuit veritatis doctrina, quae temporis vetustate mythicas vestras opiniones superat. Etenim Abrahamus circa Nini tempora inclaruit; Moyses autem regnante apud Sicyonios Orthopolide, qui ante Cecropem dyphyem extitit. Vester autem ille hominum Deorumque pater Iupiter ab ipso Cecrope factus est Deus; ex eoque deinceps reliquus vobis Deorum grex propagatus fuit; atque Ilii calamitates, et homericae poëseos caecitas or-

(1) Haec omnino consonant cum secundo libro chronici eusebiani, cuius vide editionem nostram vel mediolanensem vel romanam.

θησαν πρὸς πᾶσαν ἐξεικασθέντα τῶν δημιουργησάντων ἐπίνοιάν τε καὶ βούλησιν· τί οὖν μὴ τῇ ἀπλανεῖ καὶ χρόνῳ προκεκηρυγμένῃ πίστει προστίθεσθε, τὴν κτηνώδη δόξαν κατατιθέμενοι, καὶ τοῖς ὁμολογουμένοις προσέχοντες;

ιδ. Καὶ πόθεν, ἔφησαν οἱ δικάζοντες, τὰς περὶ τῶν εἰρημένων ἀποδείξεις παρέξετε; τοῦτο μὲν ἐκ τῶν ἱερῶν ἡμῶν βίβλων, εἶπον οἱ ἀθληταί, τοῦτο δὲ καὶ ἐκ πολλῶν τῶν καθ' ὑμᾶς ἱστορικῶν τὲ καὶ συγγραφέων καὶ φιλοσόφων πρὸς τὸ ἀληθὲς συνιστάμεθα· Εὐπόλεμός τε γὰρ καὶ Ἀρταπάνος, πρὸς δὲ καὶ Δημήτριος καὶ Πορφύριος, καὶ ἕτεροι πλεῖστοι, οὓς διὰ τὸ πλῆθος παρήκαμεν, τῇ Μωϋσέως ἐν χρόνοις προσεμαρτύρησαν ἀρχαιότητι (1)· μὴ οὖν κατ' εἰκόνα κτισθέντες θεοῦ, καὶ τῷ τοῦ αὐτεξουσίου δώρῳ φιλοτιμούμενοι πρὸς ἀλογίαν ἐκπίπτωμεν, καὶ δίκην συῶν συςρεφόμενοι, τὴν μὲν τῶν καθαρῶν ναμάτων χάριν ἀποσειώμεθα, βορβόρῳ δὲ καὶ

tum habuerunt; lapidesque et ligna affatim in Deos transformata sunt, et speciem quamlibet pro artificum ingenio et voluntate induerunt. Quid ni igitur constanti et temporum auctoritate subnixae religioni nomina vestra datis, et beluinis sepositis opinionibus, evidentem veritatem amplectimini?

14. Undenam vero, dixerunt iudices, dictorum vestrorum deprometis demonstrationes? Partim quidem, responderunt martyres, ex sacris apud nos libris, partim etiam ex multis de vestro numero historicis, scriptoribus, atque philosophis, rei veritatem possumus confirmare. Eupolemus enim et Artabanus, Demetrius atque Porphyrius, aliique plurimi, quos ob nimiam multitudinem praetermittimus, Moysis antiquitati testimonium dant. Ne igitur, ad imaginem Dei creati, et liberi arbitrii dono exornati, ad irrationalem mentem declinemus, neque more porcorum conversi, purorum fontium gratiam vitemus, in luto autem et materiali errore volutemur,

(1) Apud Eusebium praep. evang. IX. 26. 27. 29. et X. 11.

ἰλῦϊ πλάνης ἐγκαλινδούμεθα, τὸ βέλτιον οὐχ αἱρούμενοι· καὶ γὰρ αἰσχρὸν ἀληθῶς καὶ λίαν ἄτοπον καὶ ἀνόητον, τὴν ἔννουν φύσιν καὶ ἔμψυχον, λόγῳ τὲ τιμηθεῖσαν, καὶ ἀρετῶν τοσούτοις πλεονεκτήμασι, χαλκῷ καὶ λίθοις τὰς ἐλπίδας τῆς ζωῆς ἐπιτρίβειν, καὶ πρὸς τὴν πεπατημένην καὶ δούλην ὕλην ἀποπετροῦσθαι ταῖς ἀναισθήτοις τῆς διανοίας ὁρμαῖς.

ιε. « (1) Εἶτα οἴεσθε γὰρ, ὦ οὗτοι, ἔφησαν οἱ δικάζον-
» τες, ὡς ἐν χαλκῷ καὶ λίθοις τὴν σωτηρίαν ποιούμεθα,
» οὐχὶ δὲ πρός τινα δύναμιν προνοητικήν τε καὶ συνεκτικὴν
» ἀποβλέπωμεν, παρ' ἧς τὰ κάλλιστα ἡμῖν περιγίνεται;
» Καὶ πῶς πλάσται καὶ λιθουργοὶ, οἱ μάρτυρες ἔφησαν,
» ἀγαλμάτων πλῆθος κατασκευάζουσι, ποικίλαις μορφαῖς

deteriora secuti. Turpe enim revera est et valde absurdum atque fatuum, naturam mente et anima praeditam, rationis munere ornatam, totque virtutum privilegiis abundantem, in aere et lignis spem suae vitae fundare, et cum calcata pedibus servaque materia quodammodo lapidem fieri per mentis suae impetus brutos.

15. « Ergone vos, dixerunt iudices, existimatis nos ab aere
» et lignis salutem expectare, et non potius ad providam
» quandam et quae cuncta continet vim spectare, a qua opti-
» ma quaeque nobis proveniunt? Cur itaque, responderunt
» martyres, plastae ac statuarii signorum multitudinem ela-
» borant, variis figuris conformatorum, eaque in fanis con-

(1) Totus subsequens tractus a nobis virgulis distinctus, extat citatus in Concilio II. nicaeno, anno DCC.LXXXVII. celebrato, act. V ed. Labbei T. VII. p. 373. his verbis: Κωνσταντίνου διακόνου καὶ χαρτοφύλακος τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως εἰς πάντας τοὺς ἁγίους μάρτυρας, οὗ ἡ ἀρχὴ· αἱ μὲν Χριστοῦ πανηγύρεις. Εἶτα οἴεσθε, ὦ οὗτοι, ἔφησαν οἱ δικάζοντες, ὡς ἐν χαλκῷ καὶ λίθοις τὴν σωτηρίαν ποιούμεθα etc. Ergo scriptor, cuius saeculo octavo citatur a generali synodo auctoritas, saeculo saltem uno vel fortasse duobus antiquior credendus est. Igitur saeculi sexti vel septimi scriptum edimus, non genuinum tantummodo, sed eximio testimonio munitum.

» διασχηματίζοντες, καὶ τοῖς ναοῖς προσηλοῦσιν; ὑμεῖς δὲ » θυσίαις ταῦτα γεραίρετε, τὴν τῶν ἀπόρων λύσιν παρ' αὐ» τῶν ἐξαιτούμενοι; τί δὲ καὶ παρ' ὑμῖν οἱ τύραννοι διεξῆλ» θον; ὃ φατὲ θεῖον, ἐν εἰκόσιν οὐκ ἐγχαράττεται; πῶς » οὖν ἡμῖν διαλοιδορεῖσθε δεισιδαιμονέστερον, ἐφ' ὁμοίαις » πράξεσιν διακείμενοι; οὐκοῦν ἐπείπερ ἡμῖν, ὦ δικασταὶ, » τοῖς εὐεξελέγκτοις ψόγοις τὴν τῶν εἰκόνων γραφὴν παραρ» τύετε, φέρε τῆς περὶ τοῦτο πλάνης καὶ ἀμφιβολίας ὑμᾶς » ἀπαλλάξωμεν.

» ις. Οὐ γὰρ τὸ θεῖον ἁπλοῦν ὑπάρχον καὶ ἄληπτον » μορφαῖς τισὶ καὶ σχήμασιν ἀπεικάζομεν, οὔτε κηρῷ καὶ » ξύλοις τὴν ὑπερούσιον καὶ προάναρχον οὐσίαν τιμᾶν ἡμεῖς » διεγνώκαμεν· ἀλλ' ἐπὶ τοῦ πρώτου καταπαλαισθέντος ἀν» θρώπου διὰ τῆς παραβάσεως καὶ τῆς καθελούσης ἀποστα» τικῆς θρασυνομένης δυνάμεως, ἡ φύσις ἐδεῖτο τοῦ ἀνα» στήσοντος· οὐ γὰρ οἵα τε ἦν ἐξ ἑαυτῆς κάτω κειμένη τὴν » ἧτταν ἀναπλάσαι τε καὶ ἀνακαλέσασθαι, τοῦ ἐχθροῦ τῷ

» stituunt? Vos autem cur eadem sacrificiis colitis, atque ab » iis dubiorum solutionem postulatis? Quid autem tyranni » vestri persequuntur? Deitas, quam dicitis, nonne imagini» bus exprimitur? Cur ergo nobis tam acerbe conviciamini, » qui in iisdem actibus versamini? Quia igitur nobis, o iu» dices, criminationibus facile refutandis, de imaginibus ac» cusationem infertis, age ab hoc quoque errore et ambigui» tate vos eripiamus.

» 16. Nos deitatem, quae simplex est et incomprehensibi» lis, nequaquam certis formis aut figuris expressam volu» mus, neque cera aut lignis supersubstantialem et sine initio » substantiam honorandam censemus; sed quia primo homini » ab apostatica audacique potentia per suum lapsum devicto, » opus erat adiutore qui erigeret (neque enim iacens natura » per se ipsa reformare semet poterat atque instaurare, ini-

» πτώματι ἐπεμβαίνοντες· οὔτε μὲν εἰκὸς ὑπῆρχεν μὴ ἐπὶ
» δευτέροις παλαίσμασι τῆς νίκης τὸν τύραννον ἐκτεινάξα-
» σθαι· αὐτὸς ὁ δημιουργὸς τοῦ οἰκείου ποιήματος, ὁ τῆς
» τριάδος εἷς, ὁ Θεὸς λόγος, ὥσπερ οὐ τῇ πλάσει πάλαι
» τῆς φύσεως ὑπουργόν τινα παρεστήσατο, οὕτως οὐδὲ νῦν
» τὴν εἰκόνα φθαρεῖσαν ἀνανεούμενος, ἄλλῳ τὴν ἀνάκτησιν
» ἐνεχείρισεν, ἀλλ' αὐτουργῷ δυνάμει χρησάμενος, τοὺς ὑπὲρ
» ἡμῶν ἀγῶνας ἀνθρωπικῶς ἀνεδέξατο· τοῦτο γὰρ ἦν πως
» οἰκεῖον Θεῷ καταλλήλως τῷ ἀγωνίσματι διαπράξασθαι·
» ἐπειδὴ δὲ πᾶς ὁ ἀγωνιζόμενος τρισὶ τρόποις ἢ ἑνί γε τού-
» των ὑπερμάχεται τὸν ἀντίπαλον, ἢ γὰρ ἀπάτῃ, ἢ νόμῳ,
» ἢ τυραννίδι, τοὺς μὲν δύο παντελῶς ἐπαφεὶς ὡς ἀχρή-
» στους καὶ οὐκ οἰκείους, οὔτε μὲν τοῖς δι' οὓς ὁ ἀγὼν λυ-
» σιτελεῖς τὲ καὶ ὠφελίμους ὁ ἡμέτερος πρόμαχος, ἥ τε γὰρ
» ἀπάτη διεψευσμένην ἔχει τὴν νίκην φαύλως τὸν ἀνταγω-
» νιστὴν ἀνατρέπουσα, ἥ τε τυραννὶς παραλόγῳ βίᾳ κρα-
» τεῖ, μὴ ἐξ ἴσου ποιουμένη τὴν συμπλοκήν· τὸν δὲ λοιπὸν

» mico suo sibi incumbente, cuius tyrannidem nonnisi se-
» cundo certamine depelli aequum erat) ipse creator, unus
» de Trinitate Deus Verbum, sicuti olim creaturae plasmati
» conficiendo nullum adiutorem habuerat; ita ne nunc qui-
» dem cum corruptam imaginem instauraturus erat, cuivis
» alii hanc reparationem commisit, sed sua potentia operante
» usus, certamen pro nobis in humana forma suscepit. Hoc
» enim conveniens quodammodo erat Deo, ut certamen ex
» aequo cum hoste patraret. Quoniam vero omnis certator
» tribus modis, aut uno ex his vincere solet adversarium,
» vel fraude scilicet vel lege vel tyrannide; propugnator nos-
» ter primo quidem postremoque prorsus omissis, utpote ine-
» ptis nec sibi idoneis, nec illis ipsis pro quibus agon fiebat
» utilibus aut proficuis (nam et fraus falsam victoriam parit,
» dum improbo modo adversarium superat; tyrannis autem

» ἐγκρίνας τῶν τρόπων, ἐπὶ τὴν κατὰ νόμον πάλην ἐχώρησε·
» καὶ σάρκα λαβὼν ἐκ τοῦ πεσόντος φυράματος, ἐψυχωμέ-
» νην ψυχῇ λογικῇ τὲ καὶ νοερᾷ, μείνας ὅπερ ἦν, καὶ τῶν
» ἑαυτοῦ μὴ ἐκστάς, πάντα γίνεται, πλὴν τῆς ἁμαρτίας,
» ὅσα καὶ ἐξ ὧν περ ὁ ἄνθρωπος· καὶ μήτε δοκήσει τὸ σὰρξ
» φανῆναι σχηματισάμενος » (1), μήτε γυμνῇ τῇ θεότητι συμμίξας τῷ πονηρῷ· τὸ μὲν γὰρ ἀπατηλόν τε καὶ ἄτολμον, τὸ δὲ τυραννικόν τε καὶ βίαιον· οὐκ ἄλλως ἢ τῇ ἡττημένῃ φύσει δικαιοσύνης περιουσίᾳ, τὸν ἀπάτῃ καθελόντα διεχειρίσατο, πρότερον διὰ πασῶν τῶν ἀνθρωπίνων ἐκτὸς ἁμαρτίας παθῶν, ὧν ἡ κακία μήτηρ ἐγένετο, νόμῳ φύσεως ὁδεύσας ὑπερφυῶς, πείνης φαμὲν καὶ δίψης, κόπων τὲ, καὶ δακρύων, καὶ ἱδρώτων, καὶ ἀγωνίας, καὶ μώλωπων, καὶ φθορᾶς, καὶ θανάτου· ὡς ἂν ἐν αὐτῷ προσπίπτοντα ταχέως

» irrationali vi vincit, dum sine aequitate luctam init) reli-
» quum modum praeoptans, certamen legitimo iure patran-
» dum delegit; sumensque de lapsa natura carnem, rationali
» et intelligente anima praeditam, inanens quod erat, et nihil
» proprium amittens, omnia in se recepit, excepto peccato,
» quae hominis naturam constituunt; neque phantastice in
» carne apparuit » neque simplici cum divinitate diabolum expugnavit (illud enim dolosum fuisset et quasi timidum, hoc vero tyrannicum et violentum) haud aliter quam lapsa natura indutus, summo iustitiae iure eum qui dolo vicerat vicit, primo quidem per omnes, absque peccato, humanas passiones, quarum mater malitia est, naturali lege incedens supernaturaliter, per famen dico, et per sitim, per labores, lacrimas, sudores, agoniam, et vulnera, fragilitatem denique corporis atque obitum; nempe ut haec in se incidentia cito destrueret, veluti arte fusoria omne supervacuum et spurium

(1) Abhinc usque ad *ἐπιστώσατο* omittuntur reliqua in synodo, interposita admonitione *καὶ μετ' ὀλίγα*, *et post pauca*. Tum sequitur ut infra p. 124. *τοῦτον τοιγαροῦν* etc.

ἐξαφανίζοιτο, καθάπερ ἐν χωνείᾳ πᾶν τὸ περιττὸν καὶ μὴ δόκιμον, καὶ τὸ γένος ῥύπου παντὸς ἐκκαθαίροιτο, καὶ μένοι ὅπερ ἦν πρὸ τοῦ πτώματος· ἐπὶ πᾶσιν ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστὰς καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀνελθὼν, αὖθις τε κριτὴς ἥξειν ἐπαγγειλάμενος, τὸ ἀσφαλὲς τῆς τῶν σωμάτων ἐγέρσεως, καὶ τῆς κατὰ τὴν φύσιν διηνεκοῦς ἀφθαρσίας ἐντεῦθεν ἡμῖν ἐπιστώσατο. (1) « Τοῦτον τοιγαροῦν ἐν ᾗ παρεδείχθη μορφῇ καὶ » τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, τοῖς πίναξιν ἐπιγράφομεν, » ὑπόμνησιν τῆς δι' αὐτοῦ σωτηρίας τὸν θεῖον τύπον ποιού» μενοι· καὶ οὐ καθ' ὑμᾶς ποικίλας εἰδέας παράγοντες, καὶ » σχήματα κατὰ τὸ δοκοῦν διαγλύφοντες· » ὁ μὲν γὰρ ὑπηνήτης ὑμῖν θεὸς, ὁ δὲ θηλύμορφος, καὶ ἡμίανδρος· καὶ ὁ μὲν παρηβηκὼς καὶ τὴν ὥραν ἀπολιπὼν, ὁ δὲ τὴν ὄψιν φέρων ἀκμάζουσαν· καὶ ὅλως πολυειδεῖς καὶ διάφοροι τῶν θεῶν ὑμῖν εἰκόνες ἐπινενόηνται· πόθεν τοίνυν λαβόντες οὕτω τοιαῦτα γράφειν ἐδοκιμάσατε;

excoquitur, et hominum generi omnem maculam abstergeret, atque in eum, quem ante casum habuit, statum restitueret. Postremo ex mortuis resurgens et in caelum conscendens, denuo se iudicem venturum denuntians, certam corporum resurrectionem, et perpetuam eiusdem naturae imputribilitatem hinc nobis effecit. « Hunc itaque secundum illam in qua ap» paruit formam, et in qua cum hominibus versatus est, nos » imaginibus repraesentamus, memoriam patratae ab eo sa» lutis hoc divino typo refricantes; non autem, ut vos faci» tis, varias formas oculis obtrudentes, figurasve pro libito » confingentes. » Apud vos enim alius est barbatus Deus, alius femineus, alius hermaphroditus, alius iam provectus et iuventutem praetergressus, alius aspectu adhuc florenti: atque ut summatim dicamus, multiformes ac diversae a vobis Deo-

(1) Sequens particula recitata fuit pariter in conc. Nicaeno II. loc. cit. ut diximus

ιζ. Ἀλλ' εἰ καὶ τὰς μορφὰς τῶν Θεῶν, ἔφησαν οἱ δικάζοντες, διαφόρους εἶναι συμβέβηκε, κατὰ τὴν τῶν εἰκόνων παράδειξιν, ἀλλά τις λόγος ἡμῖν θειότερος παραδίδοται πρός τινα θεωρίαν ἀκραιφνῆ τε καὶ ὑψηλὴν ἀναβιβάζων ἡμῶν τὴν διάνοιαν, καὶ συνάγων πρὸς τὸ ἀρχέτυπον, καὶ οὐκ ἐῶν πρὸς τὸ τῆς ὕλης εὐτελές τε καὶ μεριστὸν κατάγεσθαι καὶ διασκεδάννυσθαι, ἢ τοῖς τῶν χρωμάτων ἐναπομένειν ποικίλμασιν· ὧν ἐξηγεῖσθαι ὑμῖν ἀμυήτοις οὖσιν καὶ ἀλλοτρίοις, οὐκ εὐαγὲς οὐδὲ ὅσιον· ἀλλ' εἰ μύσται καὶ θιασῶται τῶν ἡμετέρων γενέσθαι προθυμηθείητε, πᾶν ἐμφανίζομεν ὑμῖν, οὐκ ἀποκρυπτόμενοι τὸ ἀπόῤῥητον· περὶ γὰρ, τοῦτον μὲν πρεσβύτερον, τὸν δὲ νεώτερον ἐμφαίνειν Θεὸν, τοῦτο καὶ ὑμῖν συνδοκεῖ, πατέρα καὶ υἱὸν ὀνομάζουσι· πρόδηλον γὰρ ὡς ὁ γεννῶν τοῦ γεννήματος προεπινοεῖται καὶ προϋπεστιν.

ιη. Ἔστω ταῦτα, ἔφησαν οἱ ἀθληταὶ, καὶ καθ' ὑμᾶς οἱ ἀνθρωποειδεῖς θεοὶ ἐν ὑπονοίαις καὶ τροπαῖς ἀναγέσθω-

rum imagines excogitatae fuerunt. Undenam porro has ita esse pingendas didicistis?

17. Etsi Deorum formae, responderunt iudices, variare in imaginum specie solent, attamen divinior quaedam nobis tradita doctrina est, quae ad veriorem sublimemque mentes nostras theoriam elevat, atque ad archetypum ducit, neque nos sinit ad materiae vilitatem trituramque deiici atque dispergi, aut colorum varietati inhaerere. Sed hanc doctrinam vobis pandere profanis et alienis neque fas neque pium est: verum si initiari et consortes fieri sacrorum nostrorum ausitis, cuncta vobis revelabimus, nihilque arcanum habebimus. Nam quod alium quidem seniorem, alium vero iuniorem effingimus, par vobis sententia est, qui patrem filiumque appellatis: constat enim, parentem et intelligi et esse ante suum natum.

18. Esto haec, dixerunt martyres, et ex vestra quoque sententia Dii per tropum atque phantasiam humana figura

σαν, καὶ συμβολικῶς ἐθεάσθωσαν· πῶς δ' ἂν κυνοπρόσωπος ἀλληγορηθείη θεὸς, ἢ κεράσφορος, καὶ τραγοσκελὴς, καὶ μιξόθηρ, καὶ τὴν φύσιν ἀμφίβολος [1]; δέον μεγαλοπρεπεῖς καὶ τὰς κατ' αἴσθησιν περιλήψεις τῶν θειοτέρων ὑπάρχειν, εἴπερ μὴ μέλλοιμεν περὶ τὸ τῆς ἐλπίδος ἀκρότατον διασφάλλεσθαι· ἀσεβὲς γὰρ ὄντως, καὶ οὐ λογικῶν οἰκεῖον ἀνδρῶν, δι' αἰσχρῶν συμβόλων τὸ θεῖον χαρακτηρίζειν, καὶ κυνώδεις ἐμφάσεις ἐφαρμόζειν τῇ πρώτῃ φύσει καὶ κρείττονι, καὶ τῆς προνοίας καθυλακτεῖν· πρεσβύτερον δὲ θεὸν καὶ νεώτερον λέγειν παραιτητέον ἡμῖν· τῶν γὰρ ποιημάτων ταῦτα τῶν ἐν χρόνῳ· ἀνάρχῳ δὲ φύσει καὶ ἀϊδίῳ τούτων οὐδὲν μέτεστιν ὡς ὁ ἡμέτερος λόγος· ἐπέκεινα γὰρ τὸ θεῖον χρόνου παντὸς καὶ ἀρχῆς καὶ πάσης τῆς νοουμένης ἐν τοῖς κτίσμασιν ἰδιότητος, εἰ καὶ κλήσεσιν ἀνθρωπικαῖς οὐ καιρίως τοῦτο κατονομάζομεν, φύσεως ἀσθενείᾳ καὶ ταπεινότητι· οὔτε οὖν πα-

exhibeantur, et symbolice repraesententur. Verum enimvero cur cynocephalus fingitur Deus, et corniger, et paniscus, et semifer, et hermaphroditus, quum rerum divinarum ideas, etiam sensiles, oporteat esse dignitate plenas, nisi forte volumus in salutis speratae summa periclitari? Vere enim impium, et rationalium hominum minime proprium, turpibus symbolis Deum designare, et caninum aspectum primae meliorique naturae imponere, et adversus providentiam latrare. Tum vero seniorem ac iuniorem Deum dicere, detestabile nobis est; id enim temporalium creaturarum proprium. Naturae autem initio carenti et sempiternae nihil ad nostram rationem inest: quippe Deus supra omne tempus, principium, atque omnem quae intelligitur in creaturis proprietatem est, etiamsi humanis appellationibus hunc haud opportune aliquando nuncupamus, ob nostrae naturae infirmitatem. Neque igitur pater

(1) Similia fere dicuntur de singulis ethnicorum diis a martyre Chrysantho in actis eius a Varino et Armenio conscriptis, apud Surium ad diem 25. octobr. T. V. p. 1049-1050.

τὴρ υἱοῦ δίχα, οὔτε υἱὸς πατρὸς, ἐπινοηθήσεται κατὰ τοὺς πρέποντας λόγους καὶ ἀψευδεῖς, ὥσπερ οὐδὲ πῦρ λαμπηδόνος, οὐθ' ἥλιος ἀκτῖνος· ἵν' ὡς ἐν εἰκόνι βραχείᾳ καὶ πόῤῥω διεστηκυίῃ κατὰ τὸ ἐγχωροῦν τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν κατοπτεύσωμεν.

ιθ. Ἄναρχον τοιγαροῦν τὸν πατέρα δοξάζοντες, σύναρχον ὁμολογοῦμεν καὶ τὸν γεννηθέντα υἱὸν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐ γὰρ ἦν εἰκὸς καθορᾶσθαι λόγου καὶ πνεύματος τὸ θεῖον ἐστερημένον· ταῦτα δὲ μὴ ἄλλως εἶναι δυνάμεις ἐν αὐτῷ διαῤῥεούσας, καὶ καθάπερ ἐφ' ἡμῖν λυομένας, ἀλλ' ἐν ὑπάρξει πιστεύεσθαι, καὶ διακεκριμένως μὲν ἀφορίζεσθαι τοῖς ὑποστατικοῖς ἰδιώμασιν, ἡνωμένως δὲ προσκυνεῖσθαι μιᾷ τῇ φύσει τὲ καὶ θεότητι· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῆς ἁπλῆς οὐσίας καὶ ἀσυνθέτου, καὶ κατὰ μηδένα λόγον δεχομένης τροπὴν, πρὸς τὸ αἴτιον τὸ γεννητὸν ἠλλοιῶσθαι, ἢ τὸ ἐκπορευτὸν εἴποι τίς σωφρονῶν· οὐ γὰρ ἑτεροφυές τι καθ' ὁντιναοῦν τρόπον εἰς ἑαυτὸ

sine filio, neque filius sine patre cogitabitur, si certe decora nec falsa ratione uti volumus; sicuti nec ignis sine splendore, nec sol sine radio est: ut in brevi imagine proculque a veritate distante, quantum licet, incomprehensibilia illa speculemur.

19. Cum itaque sine initio Patrem dicimus, consempiternum confitemur etiam genitum Filium, et procedentem a Patre sanctum Spiritum. Neque enim aequum erat, ut verbo et spiritu carentem Deum contemplaremur. Has haud fluxas in Deo potentias dicimus, neque ut in nobis contingit dissolutas, sed ipsi substantiae inhaerentes credimus; et distincte quidem quod ad personalia idiomata adtinet, coniuncte autem ceu in una natura ac deitate adoramus. Etenim in simplici substantia et incomposita, et quae nullam conversionem patitur, nemo sanus dicet, vel genitum, vel procedentem in primitivam causam commutari. Nam quod est simplex, nihil heteroge-

παντελῶς παραδέξεται τὸ ἁπλοῦν· ἢ γὰρ ἂν σύνθεσίς τις ἐν αὐτῷ θεωροῖτο, καὶ τῆς ἁπλότητος ἀποπέπτωκεν· πῶς οὖν θεῖον κυρίως τὸ ἀλλοιούμενον καὶ μεταποιούμενον; ἢ τελειωτικὸν τῶν ἄλλων, τὸ δεηθὲν ἑτέρου πρὸς συμπλήρωσιν τῆς οἰκείας ὁλότητος; γεννήσεως δὲ τρόπος καὶ ἐκπορεύσεως μηδ' ἐξαιτείσθω ὑμῖν, μηδὲ προσύλως νοείσθω καὶ χαμαιῤῥεπῶς· εἰ γὰρ οὐ περιγραπτὸν τὸ θεῖον οὐδ' ὁρατὸν οὐδὲ νοήσει καταληπτὸν, ὡς ἄπειρον καὶ ἀνείδεον, ἐν τίνι τῶν καθ' αὐτὸ λοιπὸν ἐξερευνηθήσεται, ἢ ἐυρεθήσεται; οὗτος ὁ περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος θεολογικώτατος ὅρος καὶ λόγος ἡμῖν ἐν βραχυλογίᾳ παραδειχθείς.

κ. Ἀλλὰ καὶ παρ' ἡμῖν, ἔφησαν οἱ δικάζοντες, ἐν διαιρέσει προσώπων μία θεότης γνωρίζεται καὶ πιστεύεται. Μέχρι μὲν λόγων, ἔφησαν οἱ ἀθληταὶ, παρυφίστασθαι ταυτηνὶ τὴν δόξαν ὑμῖν οὐκ ἀρνούμεθα· προσωτέρω δὲ μὴ χωρεῖν· πράγματι γὰρ πολλῷ τῷ περιόντι προτεθέντων λόγων διέ-

neum ullo prorsus in se modo unquam recipiet: secus, compositio quaedam in eo cerneretur, atque a sua simplicitate decideret. Quomodo ergo proprie divinum, quod in aliud convertitur ac mutatur? Quomodo rursus alia perficiet, quod alio indiget ad suae universitatis complementum? Postremo tum generationis tum processionis modum, cavete ne scrutemini, vel materialiter humiliterque cogitetis. Si enim incircumscriptus est Deus, invisibilis, mente incomprehensibilis, infinitus, et forma carens, qui fieri potest, ut eum in aliqua proprietate sua rimemur et discernamus? Atque haec est circa Patrem et Filium ac Spiritum sanctum theologica apprime definitio et doctrina, brevi verborum ambitu demonstrata.

20. Atqui apud nos quoque, dixerunt iudices, in personis distinctis una deitas intelligitur et creditur. Verbotenus quidem, responderunt martyres, hanc vos opinionem gerere non negamus, sed ulterius minime progredi: reapse enim longe a

στηκεν· πῶς γὰρ ἓν, τὸ πρὸς ἑαυτὸ φιλονεικοῦν καὶ μαχόμενον καὶ ἀνωμάλως ἔχον καὶ στασιάζον, καὶ τὸ μὲν δυναστεῦον, τὸ δὲ τυραννούμενον; τὰ γὰρ τιτανικὰ πάθη, καὶ αἱ ἐν Ἰλίῳ θεομαχίαι, καὶ κρονικαὶ τεκνοφαγίαι, πατρελασίαι τὲ καὶ δεσμὰ, καὶ τὸ σχιζόμενον κράτος ἔν τε ἀρχαῖς καὶ τόπων ἀποκληρώσεσι, συνειδεῖν οὐκ ἔχομεν ὅπως τὸ ἑνιαῖον καὶ ταὐτὸν τῆς μιᾶς φυλάττει θεότητος· ἐπίγνωτε τοίνυν ὡς διεψεύσθητε· ὁ γὰρ τοιοῦτος τῆς δόξης λόγος ὑμῖν ὑπὸ τῆς ἀληθείας βληθεὶς διεῤῥύη τε καὶ διόλωλεν.

κα. Πρὸς ταῦτα τοὺς τυραννικοὺς δικαστὰς τοὺς ἐλέγχους οὐκ ἐνεγκόντας τῶν ἀηττήτων ἀγωνιστῶν, τὸ μὲν προσωπεῖον ἀποῤῥίψαι τῆς ὑποκρίσεως λέγεται, τοῖς δὲ τῶν σωμάτων σχηματισμοῖς, καὶ ταῖς τῶν προσώπων ἐνστάσεσι, γυμνὸν καὶ οἷον ἀπαρακάλυπτον τὸ τῆς ψυχῆς ἐνδεικνυμένους θυμοειδὲς, γεγωνότερον, ἢ κατὰ τὸ σύνηθες, ἐξεστηκότων δίκην ἐμβοῆσαι τοῖς ἀθληταῖς καὶ φάναι, ὡς οὐχ

praedictorum verborum sensu distatis. Quomodo enim unum illud sit, quod mutuo rixatur et pugnat, et in anomalia ac seditione versatur, et aliud dominatur aliud autem tyrannidi obtemperat? Nam titanica bella, et Deorum apud Ilium pugnae, et liberi a Saturno vorati, et patris expulsio ac vincula, et divisa potentia in dynastias, et regionum sortitio, haud intelligimus quo pacto unum eundemque Deum esse patiantur. Scitote igitur vos errore vagari; haec enim sententiae vestrae oratio, veritatis repulsa viribus, prorsus concidit atque evanescit.

21. His auditis, tyrannici iudices argumenta invictorum martyrum non ferentes, hypocriseos personam abiecisse dicuntur, et corporum habitu, ac vultuum motibus, nudam intectamque animi iracundiam significantes, elatiore ac solebant voce, et dementium instar martyribus inclamarunt dicentes: haud vos profecto absurdae huius orationis, sed nos potius

ὑμεῖς τῶνδε τῶν εἰκαίων λόγων, ἀλλ' ἡμεῖς τῆς εἰς Θεοὺς βλασφημίας κατέστημεν αἴτιοι, φιλανθρωπίᾳ τὴν ἄνοιαν ὑμῶν ἐπιθρέψαντες, καὶ τὸ καλὸν διαφθείραντες· οἵ γε καὶ Θεοῖς ἐχθροῖς καὶ ἀνθρώποις δύσνοις ὑπάρχουσιν, ἔτι καὶ παῤῥησίας μεταδεδώκαμεν· ἐντέτραφθαι γὰρ ἀπονοία καὶ ἀλογία καὶ γλῶσσα πολυρήμων ὑμῖν, παρ' ᾗ πᾶν μὲν ἄχρηστον φίλιον, ἄφθεγκτον δὲ τὸ εὐσεβές· ἐπεὶ καὶ προχείρου φρονήματος οἰνεῖον τὸ ἀπερίσκεπτον, καὶ φιλεῖ τὸ θράσος τὴν ἑτοιμότητα· καὶ θᾶττον πῦρ τοῦ φλέγειν ἐπισχεθήσεται, ἢ στόμα προπετὲς καὶ φιλόκενον· ἀλλ' ὁρῶντες ἄνω που τέως ἐπηρτημένην τὴν δίκην, ὑπὲρ κεφαλῆς δὲ τὸν κίνδυνον καὶ τὴν δικάζουσαν χεῖρα ἔτι ἀνατεταμένην τὲ καὶ μετέωρον, φειδοῖ καὶ οἴκτῳ τῆς φύσεως πρὸς τιμωρίαν ὀκνοῦσαν καὶ ἀναμένουσαν, τὰς δυσελίκτους καὶ λαβυρινθώδεις ἀφέντες τῶν λόγων πολυοδίας *, καὶ τὸν ἐπίκρημνον νοῦν, ἐπὶ τὴν βασιλικωτάτην καὶ τετριμμένην τρίβον τοὺς πόδας ἐῤῥείσατε· ἡ δὲ ἔστιν θῦσαι τοῖς καλλινίκοις Θεοῖς, οἷς κοινῇ παρὰ τοῦ

* al. cod. πολυειδίας.

blasphemiae in Deos auctores sumus, qui benignitate nostra vesaniam vestram aluimus, et quod fas iusque est corrupimus, dum vobis et Deorum et hominum infestis hostibus audendi copiam dedimus. Inest quippe vobis vecordia et insania cum lingua loquace, quae et congenitam habet omnigenam fatuitatem, et nihil pium eloqui potest: praeter quam quod effrenem animum comitari solet inconsiderantia, et audacia in subitos motus erumpit, faciliusque ignem a comburendo cohibeas, quam os temerarium novitatis flabellum. Sed iam intentum vobis iudicium, et impendens periculum, manumque vindicem extentam adhuc et elatam videntes, quae naturali clementia et misericordia ad poenam torpet et differt, omissis tot contortis labyrinthi instar sermonum ambagibus, et opinionibus ad praecipitium ducentibus, in regiam tritamque viam gressus dirigite, idest Diis invictis sacrificate, quibus

γένους τιμὴ καὶ χάρις ὀφείλεται δι' εὐνοίας ἀμειβομένου τὴν πρόνοιαν, καὶ τοῖς τῶν σεβαστῶν βασιλέων ὑποκύψαι προστάγμασιν· ἴστε γὰρ ὡς ἀθάνατον τῆς παρακοῆς ἐπιτίμιον.

κβ. Τούτων εἰρημένων οὐκ ἐκπλαγέντες οἱ ἀθληταὶ, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ἁμίλλαις τὸ τῆς ψυχῆς μεγαλοφυὲς καὶ φιλότιμον ἀντεπιδεικνύμενοι, καὶ τόν τε θυμὸν ἐξοιδοῦντα τῶν ἀσεβῶν καταστέλλοντες, καὶ τὸ τραχὺ τῆς γνώμης ἐπιλεαίνοντες, ἐν ἤθει σεμνῷ, καὶ ἀτρεμοῦντι τῷ σχήματι, καὶ τῷ κοσμίῳ τῆς φωνῆς, ἀπεκρίναντο· τὴν μὲν περιττολογίαν, ἣν ὑμεῖς φατὲ δικασταὶ, σπουδαίαν ἡμῖν καὶ χρειωδεστάτην ὁ περὶ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας πόθος πεποίηκεν· ἄλλως τε καὶ ταῖς παρ' ὑμῶν ἐρωτήσεσιν ἀκολούθους εἶναι τοὺς λόγους, ἐχρῆν· οὐδὲ γὰρ περὶ τῶν ἐλαχίστων ἡμῖν ὁ διάλογος συνέστη, καὶ ἡ πρὸς ἀλλήλους διάσκεψις· ἐπειδὴ δὲ προεκπηδᾷ τοῦ καθήκοντος τὸ παράλογον, καὶ τύφος ὑμῖν ἐξογκοῖ τὴν διάνοιαν, καὶ οὐ δικαίως παρακεκίνησθε, κἂν πρὸς βραχὺ μετριάσαι καταξιώσατε, λύσιν τῷ ἀπορουμένῳ προσάγοντες·

communiter ab universo hominum genere honor et gratia debetur, benivolentiae nomine erga illorum providentiam: denique et augustorum imperatorum iussibus obtemperate. Scitis enim immortalem poenam renuentibus esse propositam.

22. His dictis minime territi martyres, sed ut fit in luctis excelsitatem animi nobilitatemque ostendentes, ut impiorum tumentem iram parumper sedarent, mentisque acerbitatem lenirent, modesto modo, firmo corporis habitu, temperataque voce responderunt: quod vos iudices dicitis multiloquium, id nobis accuratum et valde proficuum indidit vestrae salutis amor. Praeter quam quod et vestris interrogationibus congruos oportuit nostros esse sermones: neque enim de minimis rebus fuit inter nos dialogus, et instituta vobiscum disceptatio. Nunc quia vecordia honesto praevalet, et superbia vobis mentem inflat, nec recte commovemini; dignamini breviter

ποίοις θεοῖς καὶ ὅπως θύειν παρακελεύεσθε; Οἱ δὲ προθύμως ἀντιφθεγξάμενοι ἔφησαν· πρόδηλον ὡς Διῒ καὶ τοῖς ἐκ Διὸς, καὶ Ποσειδῶνι, καὶ Ἥρᾳ, καὶ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, ἡμέρων ζώων σφαγῇ καὶ λιβανωτῷ τούτους ἐκμειλισσομένους, καὶ τὸ σέβας ἀποπληροῦντας.

κγ. Ὢ τοῦ γέλωτος, οἱ μάρτυρες ἔφησαν, ὡς ἀγάμεθα τῆς ἀγχινοίας ὑμᾶς, ὅτι περ κοινῇ καὶ κατ' ἔθνος οὐ περὶ τρόπον μόνον τῶν θυσιῶν διαιρούμενοι καὶ πρὸς μηδὲν ἀλλήλοις συμβαίνοντες, ἀλλὰ καὶ τὴν περὶ τὸ θεῖον δόξαν οὐχ ὁμοίως πρεσβεύοντες, ἔτι καὶ ἡμᾶς συμφώνους ἔχειν βιάζεσθε, ὥσπερ οὐχ ἑτέρως ἐνὸν ἀσεβεῖν, εἰ μὴ καὶ ἄλλους τῇ πλάνῃ συνεπαγάγοισθε· ἄλογον δὲ καὶ λίαν σκαιὸν τῶν οἴκοι κακῶς καὶ ἀῤῥώστως διακειμένων, ἑτέροις ὑγιείαν ἐπινοεῖν, ὅπερ ἐγχειροῦσιν ὑμῖν οὐ προσῆκεν· ὥσπερ οὐδὲ πόλει σφαλερᾷ τε καὶ στασιώδει βραβεύειν εἰρήνην τῷ γείτονι, αὐτόθεν ἀπιστουμένῃ τῷ ὑποδείγματι· εἰ γάρ τισιν ὑμῶν συμ-

adhuc adquiescere, nostrisque quaestionibus respondere. Quibusnam Diis, quave ratione sacrificare iubetis? Illi vero statim respondentes aiebant: sine dubio Iovi, eiusque liberis, et Neptuno, Iunoni, ac matri Deorum, cicurum victimis ac thure illos placantes, et reliquum cultum reddentes.

23. O rem ridiculam, martyres responderunt, quam est mirabile vestri ingenii acumen! qui vulgo in singulis gentibus non solum victimarum ratione discrepatis, et invicem prorsus non conspiratis, verum ne in sententia quidem de natura Deorum congruitis, et tamen nos hac in re concordes esse cogitis: quasi vobis non sufficiat in religionibus errare, nisi et alios in eundem errorem inducatis. Absurdum quippe et valde importunum est, eos qui domi suae male pestifereque se habent, ceteris medelam excogitare, quod vos facere haud decet: sicuti ne civitatem quidem periclitantem et seditiosam conciliare pacem finitimis decet, quam exemplo suo

φρονήσαιμεν, πάντως ἂν ὁ τἀναντία δοξάζων, παρ' αὐτῷ τὸ κάλλιστον εἶναι φήσειεν καὶ ὠφελιμώτατον, καὶ πρὸς ἑαυτὸν λόγοις πιθανοῖς τὸν ἀκροατὴν μεταστήσειεν· αὖθις τε τοῦτο δράσοι ὁ ἕτερος, καὶ πάλιν ἄλλος τὰ ὅμοια διαπράξηται, καὶ οὕτως οὐκ ἐπιλείψει τὸ θεῖον ἡμῖν εἰς ἀλλοκότους πλάνας ὑπὸ τῶν ἀντιδόξων καὶ ἀντιθέτων διασπώμενον καὶ μετατιθέμενον, μέχρις ἂν ἀποκαμὼν ὁ νοῦς εἰς ἀθεΐαν ἐκπέσοι πρὸς τὴν τοσαύτην ἀπαγορεύσας ψευδολογίαν τὲ καὶ ἀπάτην· τί γάρ; οὐχὶ παρ' ἐνίοις μὲν ὑμῶν θεοὶ οὗτοι γε οὕς περ εἰρήκατε, παρὰ δ' ἐνίοις πίθηκοι καὶ τράγοι καὶ ἴβεις κροκόδειλοί τε καὶ αἴλουροι καὶ τὸ νειλῷον ῥεῖθρον καὶ ὁ μεμφίτης Ἆπις ποηφαγὼν θεὸς καὶ μυκώμενος, καὶ πρὸ μὲν τοῦ θανεῖν ἱκετευόμενος, μετὰ δὲ νέκρωσιν θρηνούμενός τε καὶ ἐλεούμενος, ὁ αὐτὸς ἱερὸς ὁμοῦ καὶ ἐξωδωδηκώς, χρόνῳ πρὸς ἑκάτερον νέμων; καὶ παρὰ μὲν τοῖς θεοὶ νομίζονται τῆς ἡμετέρας ἔφοροι φύσεως ὕδωρ καὶ πῦρ καὶ ἵπποι καὶ τιθασσευόμενοι δράκοντες· παρὰ δὲ τοῖς μάχαιρα καὶ δένδρον λά-

dissuadet. Nam si quibusdam vestrûm adsentiremur, prorsus alius qui contrariam sectam foveret, optimam apud se et utilissimam sententiam manere potius clamaret, sibique auditorem persuadentibus verbis conciliare niteretur; idemque mox alius faceret, rursusque alius id conaretur; atque ita semper divinitas in absurdas sectas a contrariarum sententiarum auctoribus discerpta distraherentur, donec mens nostra fessa in atheismum declinaret, tot mendacia erroresque fastidiens. Quid? Nonne Dii vestri apud nonnullos quidem ita se habent ut vos dicitis, apud alios vero simiae sunt, et hirci, et ibes, et crocodili, et feles, et ipsum Nili fluentum, et memphiticus Apis, Deus herba pastus et mugiens, et ante obitum quidem precibus cultus, post autem cum miseratione defletus, idem sacer simul et computrescens, utramque pro tempore conditionem sortitus. Et apud alios quidem Dii existimantur na-

σιόν τε καὶ σύσκιον, καὶ παρ' ἑτέροις μυῖα, τῶν ἐντόμων τὸ κιβδηλότατον καὶ ἀσθενέστατον· ὡς δὲ κἀν ταῖς θυσίαις διακρίνεσθέ τε καὶ διαλλάττετε· οἱ μὲν γὰρ ἀνδροκτονοῦσιν, οἱ δὲ ζωοθυτοῦσιν· ἄλλοι τοῖς ἐκ γῆς φυομένοις τὴν θυσίαν ἀφοσιοῦνται· καὶ ἕτεροι τὰς χεῖρας μόνον ὕδατι νίζονται· καὶ ἄλλοι τὸ σῶμα ξίφεσι διατέμνοντες θεραπεύειν οἴονται τῷ ἀποῤῥέοντι αἵματι· καὶ τί δεῖ λέγειν τὰς ἀμίκτους καὶ διεσπασμένας ἀριθμοῦ πλείονας παρὰ πᾶσιν ἐπί τε θρησκείαις καὶ τοῖς θύμασιν ἰδιότητάς τε καὶ ἑτερότητας;

κδ. Ἵνα δὲ τοὺς μὲν ἄλλους παρῶμεν θεοὺς, τοὺς δὲ παρὰ τοῖς πλείστοις γε ὑμῶν σεμνοτέρους προσθώμεθα, ἆρα καλῶς ἂν γένοιτο θύειν μοιχοῖς θεοῖς καὶ συγγενικαῖς παρὰ τὸ δοκοῦν τῇ φύσει μίξεσι χαίρουσι, θηλυδρίαις τε καὶ ἡμιάνδροις καὶ πρὸς ἀνηκέστους συμφορὰς ἀποπίπτουσιν; καὶ πῶς ἂν ἔχοι λόγον τοῦτό γε παρὰ τοῖς ἀρτίφροσιν; εἰ γὰρ καὶ ἡμεῖς, οὐκ οἴδαμεν ἀνθ' ὅτου, ταῦτα προστάσσουσιν

turae nostrae praesides aqua, ignis, equi, et cicurati dracones: apud alios vero gladius, arborque horrida et umbrosa: apud alios musca insectorum vilissimum et infirmissimum. Item sacrificiorum diversa ratione utimini. Alii enim homines immolant, alii animalia, alii fruticibus terra ortis sacra sua peragunt, alii manus tantummodo aqua abluunt, alii corpora gladiis incidentes fluente sanguine cultum exhibere se putant. Sed quid dicere interest tot abhorrentes invicem et dissidentes atque innumerabiles per orbem religionum et sacrificiorum species et discrepantias?

24. Atque ut alios omittamus Deos, et illos tantum qui apud plerosque vestrum venerabiliores sunt commemoremus, num recte sacrificabimus adulteris Diis, et qui incestis praeter naturae legem copulis gaudent, pathicis, semiviris, et in gravissimas calamitates deciduis? Qui, inquam, hoc sit rationale apud homines mente integra praeditos? Profecto si nos,

ὑμῖν ἐξακολουθήσομεν, ἀλλ' ἐπαναστήσονται ταχέως ἡμῖν οἱ νόμοι, καὶ ἀντιφθέγξονται μεγαλοφώνοις βοαῖς, ὡς οἱ ἐπ' αἰσχροῖς ἐγκλήμασιν ἁλισκόμενοι κολαστέοι ἡμῖν εἰσίν· ἡμεῖς δὲ τὸ θεῖον μιμεῖσθαι βουλόμεθα τὸ πρῶτον αἴτιον τῶν καλῶν, εἴπερ φιλοσοφίας ὅρος κατὰ τὸν ὑμέτερον Πλάτωνα, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ· ὅθεν ἀμήχανον ψῆφον αἱρεῖσθαι τὴν σώζουσαν· ὁποτέρως γὰρ νεύσομεν, πρὸς θάνατον ἀποκλινοῦμεν· εἰ γὰρ τοῖς νόμοις πεισθῶμεν, θεοῖς οὐ καλλιερήσομεν, οὓς οὐδὲ θεοὺς ἡγησόμεθα· εἰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀπονεύσομεν, τοῖς νόμοις δίκην ἐκτίσομεν· πάντοθεν οὖν πολυκύμονι ζάλῃ τῶν ὑμετέρων λόγων πολυκλυζόμενοί τε καὶ καταντλούμενοι, καὶ ταῖς ὑφάλοις τῆς ἀσεβείας πέτραις περιῤῥηγνύμενοι, θᾶττον ἐπὶ τὸν εὔδιον καὶ γαληνὸν λιμένα τὴν ἄγκυραν καταθήσομεν, καὶ τὸν ἀληθῆ θεὸν ποιησόμεθα κυβερνήτην καὶ ἀρωγὸν, ὥσπερ οὖν καὶ ἐποιησάμεθα· δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν καὶ καυχώμεθα

quavis ex causa, talia imperantibus vobis morem gereremus, statim consurgerent ex adverso leges, et magnis clamoribus contradicerent, quia nimirum hi qui in turpibus flagitiis deprehensi fuerunt, poenis coërcendi sint. Nos autem Deum imitari volumus, qui est prima honesti causa; siquidem philosophiae praeceptum est, iuxta vestrum Platonem, ut sit homini, quantum licet, similitudo cum Deo. Porro in hac ambiguitate fieri nequit, ut salutarem ullam sententiam deligamus. Nam si legibus obediverimus, Diis nequaquam sacrificabimus, quos ne Deos quidem iudicabimus. Sin Diis obsequemur, legibus poenas dabimus. Quaquaversus itaque fluctuante sermonum vestrorum pulsati procella ac paene absorpti, et caecis veluti marinis scopulis idololatriae attriti, citius in placido tranquilloque portu ancoram iaciemus, verumque Deum gubernatorem nobis ac praesidium faciemus, quod et reapse

ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ὑφ' ᾧ καὶ τὸν τῶν ἀγωγίμων φόρτον ἐν ἀσφαλείᾳ διασώσομεν· τούτῳ θύσομεν θυσίαν δικαιοσύνης, ἀναφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα· εἰ δὲ καὶ ἱερείων δεῖ πρὸς τὴν ὁλοκάρπωσιν, τὰ ἡμέτερα προσοίσομεν σώματα θυσίαν ζῶσαν εὐάρεστον, τὴν λογικὴν λατρείαν ποιούμενοι, καὶ οὐκ ἀλόγων αἵμασιν τῆς ζωῆς ἐλπίδας καταπιστεύοντες· ἀντὶ δὲ θυμιαμάτων τὴν εὐώδη πίστιν τῆς ψυχῆς ἀνενέγκομεν, κονιορτὸν μυρεψοῦ, σύνθεσιν ἀποπνέουσαν, καὶ πρὸς τὸ νοερὸν ἀκωλύτως ἀνιοῦσαν θυσιαστήριον, πάσης δὲ καπνώδους καὶ φθαρτῆς ἐλευθεριάζουσαν ἐξατμήσεώς τε καὶ διαχύσεως· αὕτη τῶν ἡμετέρων λόγων ἡ κορωνὶς καὶ παντὸς διαλόγου κεφάλαιον.

κε. Ἔχετε τοίνυν ἡμᾶς μήτε πειθομένους κελεύουσι, μήτε ἐξισταμένους ἐπαπειλοῦσι· λόγῳ γὰρ ὑμῖν καὶ θάρσει παρατετάγμεθα, τῷ μὲν τῇ πίστει, τῷ δὲ τῇ ἐλπίδι θωρακιζόμενοι· καὶ τῷ μὲν τῶν προβλημάτων ὑμῶν τὴν ἰσχὺν ανα-

fecimus; quo favente ad hanc etiam fidei gratiam accessimus, in qua consistimus, et spe gloriae Dei laetamur, cuius ope nostram sarcinam ad salutarem stationem vehemus. Huic offeremus sacrificium iustitiae, oblationem et holocausta. Quod si victimis quoque ad sacrificii complementum opus fuerit, nostra offeremus corpora, vivam victimam et placentem, rationalem cultum potius exhibentes, quam irrationalium cruoribus vitae spem nobis firmantes. Pro suffitibus autem odoram animae fidem adferemus, pulverem unguentarii, bene olentem cinnum, cuius suavis anima ad rationale altare nemine impediente adspirat, atque omni fumoso et corrupto halitu effluentiaque liberat. Haec nostrorum sermonum coronis est, et universi dialogi summa.

25. Habetis itaque nos neque obedientes imperantibus, neque territos a minantibus: nam et verbis et vigore animi vobis resistimus, fide simul ac spe armati. Et verbis quidem

τρέπομεν, τῷ δὲ τὸν φόβον ἀποκρουόμεθα· ἔχετε τοιούτους ἡμᾶς· δεσμὰ γὰρ, καὶ στρεβλώσεις, καὶ μάστιγας, καὶ ξίφους ἀκμὴν, καὶ τὴν τύραννον δυναστείαν καὶ τὸν πολλοῖς ἀνανταγώνιστον θάνατον ἐν ἴσῳ τιθέμεθα τοῖς καθ' ὕδατος ἀνισταμένοις πομφόλυξι ταχέως ἀποφυσωμένοις ὑπὸ τοῦ ἐξογκοῦντος καὶ συνέχοντος πνεύματος, ἢ τοῖς ὑπὸ τῶν θαυματοποιῶν ἐπὶ σκηνῇ στελουμένοις, οἳ τῇ τῆς παιδιᾶς ἀπάτῃ πληγαῖς ἀστίκτοις τὰ σώματα διαχρίουσι, καὶ μετὰ γέλωτος ἀλγύνειν καθυποκρίνονται ψευδόμενοι τὴν ἀλήθειαν· μὴ οὖν ἡμῖν ὡς δή τι μέγα φόβους καὶ ἀπειλὰς ἐπισείετε· πρὸς οὐδὲν γὰρ τῶν δεινῶν ἀποδειλιάσομεν· οὐδ' εἴ τι γένηται προησόμεθα τὴν εὐσέβειαν, ἐξ ἧς ἡμῖν τὸ μὴ ἐνδοῦναι πρὸς τὰ φρικτὰ περιγίνεται.

κϛ. Τούτων ὥσπερ ἀπό τινος ὀξυβελοῦς μηχανήματος εὐστόχως τῇ τῶν ἐναντίων πυργοποιΐᾳ διαφεθέντων, ἣν ἐπὶ κακῷ συμφωνήσαντες ἐξ ὕλης ἀτίμου τῆς κακοδοξίας ἀνῳκοδόμησαν, ἀπατηθέντες θεμέλιον, διασεισθείσης τε πάσης

argumenta vestra ac vim reprimimus, animi autem vigore metum excludimus. Cuiusmodi ergo nos simus, probe intellexistis. Vincula, torsiones, lora, gladiorum aciem, potestatem tyrannicam, et prorsus formidabilem plerisque mortem perinde habemus ut emergentes ex aqua bullas, quae repente spiritu interno inflatae tumescunt; vel eos qui a praestigiatoribus in scenam inducti, lusoria fraude plagis fictis corpora inscribunt, et cum risu dolere simulant, veritati fucum facientes. Ne ergo nobis ceu magnum quid timores minasque intendatis; nihil enim asperum formidamus; nec si quid eiusmodi accidat, idcirco pietatem abiiciemus, a qua nobis adversus haec terribilia vires suppeditantur.

26. His tamquam a iaculatoria machina perite telis in adversariorum turrim emissis, quam ipsi concordia pessima ex vili pravae religionis materia construxerant, fundamento sub-

αὐτοῖς ψευδοεπίας καὶ φλυαρίας τοῖς στερεμνίοις καὶ ἀρτιτύποις λίθοις τῆς ἀληθείας, καὶ συγχυθείσης τῆς βλασφήμου γλώσσης ταῖς ἀλωβήτοις τῶν μαρτύρων καὶ θεολήπτοις φωναῖς, ἐν ἀπόρῳ λοιπὸν τοῖς ἀσεβέσιν ἡ κατὰ λόγους συμπλοκὴ διεφαίνετο· καὶ δὴ κατὰ τὴν ἔξωθεν σοφίαν, ἣν χρόνῳ καὶ πόνῳ πολλῷ συνελέξαντο, προχείρως οὕτω καὶ ἀγεννῶς διακινδυνεύσαντες, ἐπ' αὐτοδίδακτον τέχνην τὴν ὠμότητα τρέπονται, ὃ μόνον ὄργανον αὐτοῖς πρὸς ἄμυναν ὑπελείπετο· κἀντεῦθεν ἀντὶ τῆς κατὰ φύσιν αἰδοῦς ἡττημένοις μετὰ κρίσεως ἕπεται, τοὺς τῆς ἀγριότητος χολώδεις σπίλους περὶ πᾶν τὸ πρόσωπον ἐξανθήσαντες πρὸς ἄλογον λογισμῶν μανίαν ἐξεβακχεύθησαν, ὥσπερ οὐκ οἰκεῖον ἀνθρώπων ἡγούμενοι τὸ φιλάνθρωπον, κατάλληλον δὲ μᾶλλον τὴν πρὸς τὸ ὁμογενὲς ἐκθηρίωσιν.

κζ. Καὶ πρῶτον μὲν τῶν ἀθλητῶν χιτῶνας περιαιρεθῆναι προσέταττον, καὶ παντὸς δίχα τούτους παραστῆναι περικαλύμματος· καὶ οἱ μὲν ὡς ὑβρισταὶ τοῦ γένους τοῖς τῶν

verso, atque omni vanitate verborum depulsa firmis atque politis veritatis petris, confusaque blasphema lingua a puris martyrum divinitus inspiratis vocibus; deinceps ethnicorum verbale certamen ad incitas redactum est; ac de sua profana doctrina, quam multo labore congesserant, adeo facile turpiterque periclitantes, ad congenitam sibi artem, id est crudelitatem, convertuntur, quod iam solum vindictae instrumentum ipsis reliquum erat: atque hinc pro naturali pudore qui causa cadentibus accidit, liventibus iracundiae maculis toto vultu conspersi, immanibus animi motibus furebant, iam non existimantes propriam hominum humanitatem, sed consentaneam potius adversus consimiles suos saevitiam.

27. Et primo quidem martyribus vestes detrahi iusserunt, atque omni operimento nudatos in medio consistere; atque ut generis conviciatores, secretorum verendorumque membrorum

κρυφίων καὶ ἀμώμων μελῶν ἀναιδῶς ἐνετρύφων θεάμασι· καὶ ὧν ἡ φύσις ἑαυτῇ τετήρηκε τὸ ἀπόῤῥητον ἀντ' ἄλλου τινὸς σεμνοῦ τὸ αἶσχος ἑαυτοῖς ἡδοποιούμενοι· οἱ δὲ τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαθὲς ὡς ἀληθῶς καὶ φιλόσοφον τῷ ἀπαρακινήτῳ τοῦ σχήματος ὑπεσήμαινον· δοκῶ μοι τηνικαῦτα τὴν ἀρετὴν ἐν μέσῳ συστρεφομένην τῶν ἀθλητῶν περιστέλλειν τὴν γύμνωσιν, ὡς μηδὲ τὸ θῆλυ γένος πρὸς τοὺς ὁρῶντας ἀκατακάλυπτον ὂν παντελῶς ἐπιστρέφεσθαι τῷ τῆς διανοίας καθαρῷ τε καὶ ἀκλινεῖ παραστήματι· κἂν τούτῳ τὴν γραφὴν οἱ εὐσεβεῖς ἐπαληθεύουσαν ἔδειξαν, ὅτι περ τοῖς πρωτοπλάστοις ἐν παραδείσῳ τὸ ἴσον ἦν πρὸ τῆς παραβάσεως· ἦσαν γάρ, φησιν, οἱ δύο γυμνοὶ, ὅ τε Ἀδὰμ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἠσχύνοντο· ὅπου γε καὶ νῦν μετὰ τὴν παρακοὴν καὶ τὸν ὄλισθον ταυτὸ τοῖς ἀπογόνοις πλείονι περιουσίᾳ τῶν καλῶν περιγέγονεν, ἐν φθορᾷ σαρκὸς καὶ π..χύτητι καταπαλαίσασι, τῆς σαρκὸς τὰ κινήματα καὶ τὸ τῆς ψυχῆς εὐγενὲς διασώσασιν· ἔπειτα κατὰ νώτου πληγὰς τοῖς ἀηττήτοις ἐκτεί-

impudenter aspectu gaudebant; et quorum natura arcanum sibi reservavit, prae alia quavis verenda re, eorum ignominiam sibi voluptati ducebant. Porro martyres animi sui tranquillitatem, vere philosopham, quiete membrorum significabant. Ac mihi tunc videtur virtus in martyrum medio versans sic eorum nuditatem texisse, ut ne femineo quidem sexu spectantibus exposito, propter suum mentis purum immotumque habitum, prorsus adficerentur. Atque in hoc pii homines veritatem sacrae scripturae testati sunt narrantis, quod protoplasti perinde fuerint in paradiso ante peccatum. Erant enim, inquit nudi, Adam atque Eva, et non erubescebant: siquidem nunc quoque post inobedientiam et lapsum, idem nepotibus maiore cum honestatis gradu contigit, nempe ut in carne corruptibili et crassa certantes, carnis motum et animae integritatem tenuerint. Deinde invictorum martyrum terga fla-

ναντες, ὄνυξι μέχρις ὀστέων καὶ μυελῶν τούτους ξέειν τοῖς ὑπηρέταις παρεκελεύσαντο· καὶ δὴ πάντα λόγου θᾶττον ἠνύετο· καὶ προθυμίᾳ προέφθανεν ὁ δρῶν τὸν προστάττοντα· καὶ γὰρ ἴσος ἦν ἑκατέροις ἀγὼν ἀντιφιλοτιμουμένοις ταῖς πονηρίαις, καὶ οὗτος ἄριστος αὐτοῖς ὁ πρὸς ἐπίδειξιν τῶν δεινῶν χαλεπώτερος· ψόφος τοιγαροῦν μαστίγων καὶ θροῦς ἄσημος ἐξηκούετο, τῶν μὲν τυράννων ὡς αὐτῶν αἰκιζομένων δῆθεν τραχυνομένων καὶ ἐκβοώντων, τῶν δὲ παρεστώτων συγκλύδων ὄχλων ἐν ἀλλοφώνοις γλώσσαις καὶ πολυφθόγγοις περιβομβούντων τὸ δικαστήριον· ἀντεπήχουν δὲ καὶ τὰ παρὰ τῶν μαρτύρων ἐπισημότερόν τε καὶ εὐφωνότερον, ἀντὶ μὲν θρήνων καὶ οἰμωγῶν ψαλμῳδίαι τὲ καὶ εὐχαὶ ἡ πρὸς θεὸν ἐπὶ πᾶσιν εὐχαριστία· ἀντὶ δὲ τῶν πρὸς τοὺς τυράννους ἱκεσιῶν τὲ καὶ δεξιώσεων, ἡ δι' ἀλλήλων καὶ πρὸς ἀλλήλους προτροπὴ καὶ παραίνεσις, ἐν τοιούτοις δῆτα τοῖς ῥήμασιν.

κη. Ἄνδρες ὁμοῦ καὶ γυναῖκες, νέοι τὲ καὶ πρεσβῦται, οἱ πρὸς τόνδε κλήσει θείᾳ τὸν διπλοῦν παραταττόμενοι πό-

gellis caedebant, atque ut ungulis usque ad ossa et medullas scalperent, ministris mandabant: quae quidem dicto citius fiebant, lictoris celeritate iussum praevertente: erat enim inter eos aemulatio et certamen improbitatis, eumque iudices putabant meliorem, qui plus saevitiae exsereret. Sonitur igitur verberum, et inconditum murmur exaudiebatur, tyrannis simul et carnificibus cum clamore saevientibus, circumstante autem turba diversis linguis ac dissonis tribunal personante. Sed et martyres vicissim dignioribus ac suavioribus vocibus adsonabant: pro luctibus gemitibusve psalmodiae erant et preces, et in primis actiones gratiarum Deo: et nedum tyrannis preces supplicationesve facerent, inter se potius hortabantur et acuebant his verbis.

28. Viri simul ac mulieres, iuvenes atque senes, qui divina vocatione duplex hoc certamen inimus (est enim spiri-

λεμον, ὁ αὐτὸς γὰρ καὶ νοητός ἐστι καὶ ὁρώμενος, καὶ τῶν ὑπὲρ Χριστοῦ κινδύνων γευσάμενοι, προθύμως τὸν βρίθοντα τῶν σωμάτων φόρτον ἐκτιναξώμεθα, τοῦ κατὰ τὴν νίκην εὐσταλοῦς προμηθούμενοι, κἀκ τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπηρείας γυμνιτεύοντες συνσκευασώμεθα, ἀντὶ περιβολαίων καὶ θυρεῶν ἡμῖν γενέσθαι σκέπη τὰ τραύματα· ὅσον πλείω καὶ σφοδρότερον τρώσουσι, τοσοῦτον ἡμᾶς περιφράξουσιν ἀσφαλέστερον· περιλιμνήσει τὰ αἵματα καθάπερ ἕρκος ἡμῖν· ἀντιπρόσωπος δὲ τοῖς ἐναντίοις βυθὸς τῷ πλήθει τῆς ἐπικλύσεως συμπνίγει αὐτῶν τὴν διάνοιαν· ὑπομονῇ τὴν ἀντίπαλον ἔνστασιν διαῤῥήξωμεν· μὴ προδῶμεν τὸν ἡγεμόνα Θεὸν μέσον ἡμῶν ταττόμενόν τε καὶ προμαχόμενον· φάλαγξ ἐσμὲν καρτερὰ καθάπερ τεῖχος ἀνάλωτον· μὴ δειλίᾳ τὸν συνασπισμὸν διαλύσωμεν· μηδεὶς λειποταξίου γραφὴν ἀπενέγκηται· ὑπὸ θεαταῖς ἀγγέλοις καὶ ἀθλοθέτῃ Χριστῷ τῷ πρώτῳ μάρτυρι τὸν τηλικοῦτον ἀγῶνα ποιούμεθα· μὴ ἐκλυθῶμεν πρὸς τὰ

tale simul et materiale) et pro Christo periculis nos obiicimus, alacriter grave hoc corporum pondus excutiamus, ut victoria facilius potiamur, atque ex hostium impetu nudi nosmet expediamus: pro thoracibus atque scutis, ipsa nobis vulnera tutelae sint, quae quanto magis ac vehementius ferient, tanto nos tutius munient: fluenta sanguinis nos vallabunt, ac fossae instar adversariis opposita, inundationis copia illorum mentes obruent: patientia contrarium impetum frangamus. Ne ducem Deum deseramus, qui in medio nostri versatur, immo in acie pugnat. Phalanx valida sumus tamquam murus inexpugnabilis; ne metu aliquo confertum scutorum globum dissolvamus. Nemo crimen desertae militiae incurrat. Spectatoribus angelis, Christo autem agonis praeside primoque martyre luctam hanc decertamus. Ne quovis incidente infortunio despondeamus animum, scit enim Christus, ob ea quae ipse passus est, vim patientibus auxiliari. Una veluti anima nobis

πράγματα προσπίπτοντα, καὶ γὰρ οἶδεν οἷς πέπονθεν τοῖς πειραζομένοις ἐπικουρεῖν· μία ψυχὴ μορφωθείη πᾶσιν ἡμῖν, εἰ καὶ τοῖς ἔξωθεν χρώμασι διαιρούμεθα· καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν· ἀμείψωμεν ἀλλήλοις τὴν φύσιν, ἐν τοῖς οἰκείοις μένοντες ἰδιώμασιν, ἵν' ὁμοτίμως ἡμῖν ὑπάρξῃ τυχεῖν τῆς τῶν ἀγαθῶν ἀντιδόσεως· ἔστω τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ τῇ ἀπανουργεύτῳ πρὸς τὸ θεῖον σέβας ἁπλότητι, καὶ τὸ θῆλυ ἀνδρωθείη τῇ πρὸς τὰ δεινὰ καρτερίᾳ καὶ γενναιότητι· ὁ νέος, φρόνημα πρεσβυτικὸν περιζωσάσθω, καὶ ὁ γηραιὸς ἀκμαζέτω τῇ προαιρέσει· καὶ μηδεὶς ἕτερος θατέρου σμικροπρεπέστερον ἐπιδείξηται· εἰ γὰρ τοῖς τοῦ πηλοῦ ῥεύμασιν ἄλλος ἄλλου διενηνόχαμεν, πλούτῳ καὶ γένει καὶ τοῖς τῶν ἀρχῶν ἀξιώμασιν, ὥσπερ χρυσὸς καὶ ἄργυρος καὶ δέῤῥεις καὶ τρίχες καὶ ὕφασμα, ἀλλ' οὖν πάντες ἡμεῖς εἰς ἱερὸν ἀνάθημα συνηρμόσθημεν, καὶ πάντες ὡς ἐκλογῆς μία σκηνὴ καὶ κιβωτὸς ἄσυλος ἐφιλοτεχνήθημεν, τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα βαστάζειν ἀξιωθέντες ἐνώπιον ἐθνῶν τὲ καὶ βασιλέων.

omnibus conformetur, etsi externis coloribus discrepamus; nam et in uno spiritu omnes nos quasi unum corpus baptizati fuimus: commutemus invicem naturam, proprietates licet quisque suas retinentes, ut parem praemii retributionem consequamur: mas quidem sit instar feminae, quod adtinet ad sinceram divinae religionis culturam; femina autem ceu virum se gerat constantia ac strenuitate adversum res asperas: iuvenis senioris maturo sensu se muniat, senior vigore propositi iuvenescat. Alius alio vilior nemo videatur. Etsi enim luti fluentis alius ab alio differimus, opibus nimirum, nobilitate generis, et dignitatis ornamentis, sicuti inter se differunt aurum, argentum, pelles, cilicia, et tapetes, attamen omnes nos in unum sacrum donarium coaluimus, omnesque tamquam unum electionis tabernaculum, vel arca securitatis,

κθ. Στεναγμοὶ καὶ λῦπαι τὴν ἐν παραδείσῳ τῶν προγόνων ἡδονὴν διεδέξαντο· τὴν τάξιν μεταποιήσωμεν, τρυφὴν τοῖς πόνοις κτησόμεθα, τοῖς ὀλλυμένοις τὴν μένουσαν· μηδεὶς φίλτρον συγγενῶν τοῦ θείου προκρίνειεν ἔρωτος· μὴ μαλακισθῶμεν περὶ τὰς κάτω σχέσεις καὶ ταπεινάς· τὰ τῆς ἀγχιστείας ἀλλήλοις ἀντιπαράσχωμεν, καὶ υἱὸς πατὴρ γενέσθω τοῦ φύσαντος, καὶ ὁ τεκὼν τῷ παιδὶ τεκνωθείη· ὁ μὲν τῇ διαθέσει, ὁ δὲ τῇ πρὸς τὸ λυσιτελὲς εὐπειθείᾳ· καὶ ὁ τῆς ὑποταγῆς νόμος ἔστω κοινός· ἕκαστος ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν· καὶ ὁ μὲν νουθετείτω λόγῳ καὶ ὁδηγείτω, ὁ δὲ τῷ ἔργῳ καλὸν προκείσθω ὑπόδειγμα· καὶ πάντες ἀμοιβαδὸν τῇ πνευματικῇ καταστάσει τὴν σωματικὴν ὀφειλὴν τοῖς πέλας ἀνταποδῶμεν· Χριστοῦ δικτύοις ἐσαγηνεύθημεν ἐν τῇ πικρᾷ τοῦ βίου θαλάσσῃ, μὴ ἐκβληθῶμεν ὡς ἄχρηστοί τε καὶ εὐτελεῖς ἐκ τῆς ἄγρας ἀπο-

fabricati fuimus, nomen quod est super omne nomen coram gentibus atque regibus portare dignanter sortiti.

29. Gemitus ac maerores voluptatem progenitorum in paradiso subsecuti sunt: ordinem immutemus, delicias laboribus adquiramus, rem mansuram re peritura. Nemo cognatorum amorem Dei amori anteferat: ne animos demittamus circa humiles terrenasque species: consanguineorum officia invicem impertiamur; filius sit loco parentis genitori suo, pater autem gerat se tamquam filius erga natum suum; ille quidem animi affectu, hic autem in eo quod prodest obedientia: communis sit lex subiectionis, et unusquisque nostrum proximo suo placeat in bono ad aedificationem: et alius quidem verbis moneat viamque demonstret, alius autem opere bonum praebeat exemplum: cunctique invicem spiritali morum habitu corporalem utilitatem proximis suppeditemus. Christi retibus in amaro vitae huius pelago capti fuimus; ne eiiciamur ut inutiles et viles e laqueis palpitantes ac dilabentes, atque ad

σκαίροντες καὶ διολισθαίνοντες, καὶ πρὸς τὴν ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον πάλιν τῆς παλαιᾶς τε καὶ κεχυμένης ἀγωγῆς ζωὴν καταπέσωμεν· ἀλλ' ὑπὸ τὴν σαγήνην τὴν ἀγρεύσασαν ἀποθάνωμεν, ἵν' ἐν τοῖς θεοίοις ἀγγείοις εὐαγγελικῶς ἀποτεθῶμεν εἰς τήρησιν· τὰ τῶν τυράννων βασανιστήρια μὴ ἄλλό τι οἰηθῶμεν ἢ ὄργανα τῶν ἡμετέρων ἀῤῥωστιῶν ἀμυντήρια· αἱ μάστιγες τὴν φλεγμονὴν τῆς παρακοῆς ἐκλεπτύνουσιν, καὶ τοὺς ἰχῶρας τῆς φθορᾶς ἀποψήχουσιν· τὸ πῦρ τὴν φρυγανώδη τῆς κακίας ὕλην ἐκδαπανᾷ, καὶ τὸ σῶμα χοῦν ἀπεργάζεται πρὸς θεοειδεστέραν ἀναστοιχείωσιν καὶ δόξαν εὐτρεπιζόμενον· τὸ ξίφος τμητικὸν ἔστω τοῦ τῶν παθῶν περιττώματος, καὶ τὴν ἐκ τοῦ κόρου πληθώραν ἀποκενούτω· αἱ τῶν ὀνύχων ἀκμαὶ καθάπερ ἀνδριάντος χαλκοῦ τὸν προστεθέντα διὰ τῆς ἁμαρτίας ῥύπον ἡμῖν ἀποξέουσαι, διαυγεστέραν καὶ χρυσοφανῆ τὴν εἰκόνα κατασκευάσουσιν.

λ. Καὶ τί δεῖ πάντα λέγειν; πόνῳ πόνον ἀνέλωμεν, τῷ παρόντι τὸν μέλλοντα· καὶ ζωὴν ζωῆς προτιμήσωμεν· τῆς προσκαίρου τὴν ἀτελεύτητον, ἣν οὐκ ἄν τις ἑτέρως ἀλλάξη-

turbulentam et salsam prioris lascivae conversationis vitam denuo revolvamur; verum in ea qua capti sumus sagena moriamur, ut in divinis vasis prout dicitur in evangelio conservandi reponamur. Iam tyrannorum tormenta nihil aliud esse putemus quam instrumenta ad morborum nostrorum curationem: verbera tumorem inobedientiae deprimunt, et putredinis cruores abstergunt: ignis arentem malitiae materiem absumit, corpusque in pulverem redigit diviniori mox instaurationi gloriaeque aptandum: gladius cupiditatum luxuriam amputet, et superbiae redundantiam evacuet: ungularum acumina, tamquam in aeneo signo adspersas a peccato sordes nobis abradentia, splendidiorem et aurosam iconem efficient.

30. Cur vero opus est singula persequi? Labore praesenti vitemus futurum: temporalem vitam immortali anteferamus,

ται, μὴ τὴν μὲν προϊέμενος, τῆς δὲ ἐφιέμενος· τί μὴ πάντων ὧν ἔχομεν τὸν πολύτιμον μαργαρίτην ὠνούμεθα; τί δὲ ὧν ἔχομεν τοῦ σώματος κάλλιόν τε καὶ τιμαλφέστερον; τοῦτο πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐπὶ τὴν τιμὴν καταθώμεθα· καὶ γὰρ οὐδ' οὕτως τῷ κτήματι τὸ κατ' ἀξίαν συνεισενέγκοιμεν· διττὸς ὁ ἀγὼν, ἀδελφοὶ, διττοὶ δὲ καὶ ἡμεῖς, καὶ πρὸς συζυγίαν ἐχθίστην παρατταττόμεθα· ἥ τε γὰρ μάχη κατὰ νοῦν τε καὶ αἴσθησιν· καὶ ἡμεῖς ἐκ πνεύματος καὶ σαρκός· καὶ οἱ πολεμοῦντες οἱ μὲν ἐξ ὕψους ἀοράτως ἐν σκοτομήνη κατατοξεύουσιν· οἱ δὲ συνίστανται κατ' ὀφθαλμοὺς συμπλεκόμενοί τε καὶ βάλλοντες, τὴν φύσιν ἡμῖν ὁμόκληροι καὶ ὁμότιμοι· πάντοθεν οὖν περισκοπῶμεν, μή που περί τι τῶν μερῶν εἰς θάνατον ἀφυπνώσωμεν ἐπὶ πολυπροσώπῳ καὶ ἀγχιστρόφῳ τῇ πάλῃ, καὶ τοῖς ἑκατέρωθεν βέλεσί τε καὶ μηχανήμασι, μή ποτέ τις εἴπῃ τῶν πολεμίων, ἴσχυσα πρὸς αὐτούς· καὶ γὰρ οἱ θλίβοντες ἡμᾶς ἐὰν σαλευθῶμεν, ἀγαλλιάσονται· ὥστε

quam certe nemo aliter mercabitur, nisi illam quidem omittendo, hanc appetendo. Cur his omnibus quae possidemus pretiosum margaritum non emimus? Quid autem ex his, quae possidemus, corpore pulchrius et pretiosius habemus? Et hoc, inquam, reliquo pretio superaddamus. Etenim ne sic quidem iustam mercis aestimationem faciemus. Duplex nobis certamen, fratres; duplices nos quoque sumus; et contra par iniquissimum in aciem prodimus: est enim pugna et mentis simul et sensûs; nos autem ex spiritu et carne: et hostes quidem partim ex alto invisibiliter in tenebris iaculantur, partim vero palam nos adgredientes ac ferientes, natura scilicet nobis similes et consortes. Undique igitur circumspiciamus, ne in parte aliqua letaliter obdormiamus, quum tam varia et insidiosa lucta sit, totque utrimque tela et machinae; ne quis hostium dicat, praevalui adversus eos. Etenim qui nos vexant, si forte nutemus, laetabuntur; namque et leviter in-

καὶ τὸ μικρὸν παρεγκλῖναι, τοῦ παντός ἐστιν ἐκπεσεῖν, καὶ προδοσία τοῦτο τῆς νίκης· ἐπειδὴ οὖν φυλάττειν φυλακὰς ἐπιστεύθημεν, ἔτι μικρὸν ἀγρυπνήσωμεν· ἐπιστήσεται γὰρ ὁ νυμφίος ἡμῖν, καὶ τὴν εὔνοιαν καθορῶν, καὶ τὸν κόπον ἐπιμετρῶν, τοὺς μισθοὺς καταβάληται δαψιλῶς τὲ καὶ φιλοτίμως· ὡς ἀπαρχὰς ἡμᾶς ἅλωνος ὁ κόσμος προσοίσει τῷ λυτρωτῇ· γνωστὸν γὰρ ἔστω τοῦτο ἡμῖν, ὡς διὰ τῆς τῶν σωμάτων ἡμῶν καὶ τῶν αἱμάτων ἀποκαθάρσεως ζύμη νέα καὶ ἅλας ἐσόμεθα τοῦ ὅλου κατὰ τὸ γένος φυράματος· καὶ τῇ μὲν ζυμωθήσεται, τῷ δὲ ἁλισθήσεται· καὶ οὕτως τῷ θείῳ πυρὶ τῷ πνεύματι πρὸς ἐντελῆ ζωὴν ἀρτοποιηθήσεται, τῆς κατὰ τὴν κακίαν καὶ πονηρίαν παλαιᾶς καὶ ἀπέπτου ζύμης ἀλλοτριούμενον· δοξάσωμεν οὖν τὸν θεὸν ἐν τῷ σώματι ἡμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ἡμῶν, ἃ τινά ἐςιν τοῦ θεοῦ.

λα. Τούτοις τοῖς παρορμητικοῖς τὲ καὶ ὑπαλείφουσι λόγοις ἀλλήλους στομώσαντες, ὡς μετὰ πῦρ τῷ ὕδατι σίδηρος, οἱ γενναιότατοι καὶ στομωθέντες, ὡς τὸ εἰκὸς, ἔμενον

clinari, omnimoda subversio est, et victoriae iactura. Quoniam ergo custodiae nobis concreditae sunt, parumper adhuc vigilemus; superveniet enim nobis sponsus, qui amorem contemplans, et labores iusta lance ponderans, largam abundantemque mercedem retribuet. Utique mundus nos veluti areae primitias redemptori offeret. Namque exploratum nobis est, quod per corporum nostrorum et sanguinis purgationem, fermentum novum salque efficiemur universae generis massae, quae una fermentabitur ac salietur; atque ita divino igne, id est spiritu, panis fiet perfectae vitae idoneus, omni malitiae et improbitatis vetere et crudo fermento carens. Deum itaque tam corpore quam spiritu nostro honoremus, quorum utrumque a Deo habemus.

31. His adhortatoriis roburque adiicientibus verbis invicem confirmantes, ut post ignem ferrum aqua temperando dura-

οὐδὲν ἧττον ἄσειστοί τε καὶ ἀῤῥαγεῖς πρὸς τὰς πληγὰς, τῷ ἀντιτύπῳ τῆς ψυχῆς οὐχ ὑπείκοντες· οὓς οἱ τύραννοι θεασάμενοι διαλυομένους μὲν ταῖς σαρξὶν, καταῤῥεομένους δέ γε τῷ αἵματι, διαχλευάζοντες ἔλεγον· πῶς ὑμῖν ἡ πρώτη πεῖρα κατέστη, μακαριώτατοι; οἱ δὲ πρὸς αὐτούς· ὡς καταλλήλως ἡμῖν, ἔφησαν, τὰ κατ' ἐλπίδα συμβέβηκε; καὶ πάντων ὑπεράνω τῶν φοβερῶν ὑμῖν νομιζομένων γενόμενοι, πρὸς ἓν ἀποδειλιῶμεν, ὦ δικασταὶ, μή ποτε τὴν γνώμην παρὰ τὸ σύνηθες, ἐπὶ τὸ ἡμερώτερον μεταβάλλοισθε, καὶ πρὸς τὰς βασάνους φειδοῖ τῶν ἡμετέρων σωμάτων ἀπονακρήσοιτε. Δείξομεν ὑμῖν αὖθις, οἱ τύραννοι ἔφησαν, ὅπως μεταποιούμεθα· τότε τοίνυν τὴν ὅλην ἑαυτῶν κινήσαντες δύναμιν, στρατηγοῦντος αὐτοῖς τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ἀνοίας ὑπασπιζούσης, ὥρμησαν ἐπὶ τοὺς ἀηττήτους ἀγωνιστὰς, καὶ τοῖς ὑπηρέταις πᾶσαν εἰδέαν κολάσεων προσάγειν τούτοις παρεκελεύσαντο· πάντα τοίνυν παρῆν τά καὶ ὄψει φρικτὰ καὶ λόγῳ

tur, nobilissimi fortissimique martyres, ut par est, perdurabant nihilo minus immoti et inconcussi, inflictis plagis constantia animi prorsus non cedentes: quos tyranni quum laceris carnibus et sanguine diffluentes viderent, cum derisione sic affabantur: quomodo vobis primum hoc experimentum procedit, o beatissimi? Responderunt martyres: quomodo vicissim spes vestra vobis successit? Nos quidem omnibus superatis quae vos terribilia arbitramini, hoc unum, o iudices, extimescimus ne forte sententiam praeter solitum mutantes, mitiores fiatis, atque ad infligendos cruciatus misericordia nostrorum corporum obtorpeatis. Demonstrabimus vobis denuo, dixerunt tyranni, quemadmodum immutemur. Tunc ergo totis suis commotis viribus, duce furore, vesania latus stipante, contra invictos martyres irruerunt, lictoribusque imperarunt ut omne poenarum genus in eos expromerent. Cuncta illico in promptu erant, quae sunt aspectu horribilia, et dictu inef-

οὐκ ἐφικτὰ, τὸ πῦρ, οἱ θῆρες, ἡ μάχαιρα, καὶ οὐδὲν ἀπῆν τῶν δεινῶν τῆς μανίας ὀργώσης, καὶ τῆς ἀσεβείας τοῖς δρωμένοις ἐπιγελώσης.

λβ. Τηνικαῦτα οὖν ἦν ὁρᾷν τοὺς ἀγωνιστὰς πάσχοντας τὰ ἐλεεινότατα καὶ φέροντας ἀνδρειώτατα, σαρκῶν τε θλάσματα, καὶ ὀστέων συντρίμματα, νευρῶν τε ἐκκοπὰς, καὶ μελῶν ἐκτομὰς, ἰνῶν τε σπασμοὺς, καὶ στρεβλώσεις ἄρθρων, καὶ σωμάτων ἀποδορὰς, ἐκμυζήσεις τε μυελῶν, καὶ σπλάγχνων ῥήξεις, καὶ ὀφθαλμῶν ἐκβολὰς, καὶ σκελῶν κατεάξεις, καὶ τῆξιν τοῦ παντὸς ὀργάνου καὶ σπαραγμούς· ποῖος κατ' ἀξίαν τὴν ποικίλην ὂν ἐκείνην τῶν σκυθρωπῶν καὶ πολυμόρφων δραματουργίαν ὡς ἐν εἰκόνι ζωγραφήσειεν λόγος, καὶ ταῖς διανοίαις πάντων ἀποτυπώσηται; φήσειεν ἄν τις εὐκαίρως εἰπὼν χειμῶνα τὰ τότε πάθη καὶ καταιγίσι καὶ σκηπτοῖς ἀμέτροις ταῖς βασάνοις περικλυζόμενον· ἢ μηδὲν τῶν καθ' ᾅδου τιμωριῶν, αἳ τοῖς ἀνόμοις ὀφείλονται, ταῦτα δοκεῖν ἐλάττονά τε καὶ εὐτελέστερα· ἦν δὲ καὶ τοῦτο ἰδεῖν

fabilia, ignis, bestiae, gladius, nihilque omnino huiusmodi deerat, flagrante crudelitate, idololatria ob ea quae fiebant cachinnum tollente.

32. Tunc enimvero cernere erat martyres miserrima patientes, et fortissime tolerantes, carnium lacerationes, ossium trituras, nervorum incisiones, membrorum mutilationes, fibrarum spasmos, articulorum torturas, corporum excoriationes, medullarum emunctiones, viscerum discerptiones, oculorum eiectiones, crurum fracturas, liquationem veluti totius corporis et distractionem. Quaenam verba terribilem illam variamque scenam tamquam in pictura describent, aut omnium mentibus repraesentabunt? Recte aliquis diceret, passiones illas tempestatem fuisse quandam, procellis fulminibusque immanibus, id est cruciatibus, agitatam: aut infernalibus poenis, quae impios manent, nihilo inferiora aut mitiora haec

ὡς ἐριννύας τοὺς ὑπηρέτας ἐφαλλομένους τοῖς ἀθληταῖς, καὶ πρὸς εὐτόνου κακίας ἐπίδειξιν σπεύδοντας, καὶ δεδιττομένους ταῖς ἐπινοίαις, καὶ θλίβοντας τοῖς χαλεποῖς ἐφευρήμασι· ἄλλος γὰρ ἄλλον τοῖς ἐφευρήμασιν φθάνοντες, τὸ πρωτεῖον ἔχειν ἐφιλονίκουν πρὸς τὸν σκοπὸν συμφώνως εὐθυποροῦντες τοῦ ὀλισθήματος· καὶ τέλος αὐτοῖς βραβεῖον αἰσχύνη καὶ ὄνειδος ἐγενήθη πονηρῷ τῷ ὄφει καὶ ἀπολέμῳ πειθομένοις στρατοπεδάρχῃ· ἀντέστραπται γὰρ τὰ τῆς τάξεως εἰς παράδοξον θαῦμα· τοῖς μὲν γὰρ βασανισταῖς ἀτονίαι καὶ νάρκαι καὶ μελῶν παρέσεις συνέπεσον, ἔτι δὲ καὶ τρόμοι καὶ εἴλιγγοι καὶ πτοιαὶ ψυχῆς ἀπαγορεύσασιν ἐν πολλῷ καμάτῳ καὶ διακένοις τεχνάσμασιν.

λγ. Οἱ δὲ τῆς πίστεως πρόμαχοι ταῖς ἀλγηδόσι μᾶλλον ἐῤῥώσθησαν, καὶ τοῖς πόνοις τὴν ἰσχὺν συνελέξαντο, καὶ ταῖς πολλοῖς κινδύνοις στερεωθέντες, τῷ πλήθει τῶν αἰκισμῶν, ἡλίου δίκην ἀπέστιλψαν, καὶ ὡς χιὼν ἐλευκάνθησαν· οὕτω τε μετὰ γενναίου φρονήματος ἐπεφώνουν τοῖς ἐναντίοις·

fuisse supplicia. Etiam hoc cernere erat, carnifices nempe, tamquam furias, martyres invadentes, suae validae improbitatis vim expromentes, ingeniis maleficis territantes, dirisque inventis excruciantes. Alius enim alium inventis suis praevertens, primas ferre certabat, uno sibi scopo proposito martyrum excidii. Sed praemium tandem ipsis contigit pudor et infamia, dum scelesto et imbelli obtemperant duci draconi. Pugna enim insperato miraculo commutata est: nam carnificibus defectio virium, torpores, membrorumque paralysis acciderunt, nec non tremores, vertigines, animae deliquia, defatigatis labore multo et vana cruciatuum excogitatione.

33. At vero fidei defensores doloribus potius roborabantur, et a laboribus vim accipiebant, totque periculis et cruciatuum multitudine obdurati, solis instar lucebant, atque ut nix albescebant; atque ita cum nobili confidentia adversariis incla-

πόθεν ὑμῖν ἡ τοσαύτη τῆς ἀπάτης ἀμβλυωπία ταῖς κόραις τῆς διανοίας ἐνέσκηπται; τίς ὁ τὸν νοῦν ἀποπλανῶν τοῦ καθήκοντος; οὐχ ὁρᾶτε διαφανῶς ὡς ὑμεῖς μὲν κολάζεσθε μαστίγων δίχα κατακρίτων ἀνδρῶν ἀθλιώτερον, ἡμεῖς δὲ ταῖς βασάνοις ὡς ἐν παλαίστρᾳ μελέταις τισὶ καὶ γυμνασίοις ἀσκούμεθα, πρὸς εὐεξίαν ἐπιδιδόντες καὶ ὡραιώτητα τὴν ἐν πνεύματι; ποῦ δὲ ὑμῖν αἱ τῶν λόγων πλεκτάναι καὶ οἱ ποιητικοὶ μῦθοι καὶ τὸ πλῆθος τῶν μαθημάτων; οὐχὶ πάντα τῷ ἁπλῷ τῆς ἀληθείας λόγῳ σιωπᾷ καὶ πεφίμωται; εἰ οὖν μήτε ὁ λόγος ὑμῖν βεβαῖός τε καὶ ἀσφαλὴς, καὶ τὸ ἔργον τῆς καθ' ἡμῶν τυραννίδος ὑπὸ προβόλῳ τῇ πίστει διαῤῥαγὲν καταλέλυται, καὶ νῶτα δεδώκατε καλυφθέντες τὸ πρόσωπον ἐντροπῇ, τί μὴ τοῖς διωκομένοις ἡμῖν φυγάδες ὄντες συντάσσεσθε, καὶ τῆς ἐξουσίας ποιῆσθε τὸ τῆς ἥττης κράτος περιφανέστερον; ὡς ἂν ὑμῖν ἐντεῦθεν τὸ νικᾶν περιγένηται· κρείσσων γὰρ δόξης ἀτίμου εὐτέλεια εὐκλεὴς, καὶ μικροπρεποῦς ἀρχῆς μεγαλοφυὴς μετριότης, καὶ ὕψους ἐπι-

mabant: undenam vobis tanta erroris caecitas in pupillas mentis incurrit? Quis vestros animos a recto officio deflexit? Nonne manifeste cernitis, vos vel sine flagellis tamen peius addictis hominibus puniri? nos autem his cruciatibus, tamquam ludicris in palaestra aut gymnasio meditationibus exerceri, ut spiritui maiorem sanitatem pulchritudinemque adquiramus? Ubinam vobis sermones artificiose compositi, poëticae fabulae, doctrinarum copia? Nonne omnia coram simplici veritatis oratione silent et suffocantur? Si ergo neque sermo vobis est constans ac tutus, et vestrae tyrannidis opera propugnaculo fidei diffracta solvuntur, ac iam terga datis faciem pudoris causa velantes, cur nobis qui persecutionem patimur vos fugitivi non adiungimini, ut victi magis quam potestatem tenentes, gloriam consequamini? Nam nobis quidem hinc victoria consurgit. Melior est enim illustris tenuitas, quam

σφαλοῦς ταπεινότης ἀκίνδυνος· τοῖς ἡμετέροις τοιγαροῦν ἴχνεσιν ἐπακολουθήσατε, καὶ τοὺς τῆς ἀγνοίας χαρακτῆρας προαπαλείψαντες, τὸν θεῖον τῆς γνώσεως νόμον ἐν πτυκτίῳ τῆς καρδίας ὑμῶν γραφίδι πνεύματος ἡμεῖς μετεγγράψομεν· ὃν ἐγγύθεν ἀναγινώσκοντες, μαθήσεσθε καλῶς ποιεῖν, τὸ κακὸν ἀποδιδασκόμενοι· γενέσθω ὑμῖν διδασκαλεῖον τὸ προκείμενον δικαστήριον· τῷ ὑποδείγματι σωφρονίσθητε· τίνα τῶν πάντων ὑμῶν οὕτως ζωῆς ἔρως, ὡς ἡμᾶς θανάτου κατέχει διὰ Χριστόν; τὸ πῦρ ἡμῖν χιόνος οὐδὲν διενήνοχεν· ὁ σίδηρος ὑπὸ τῶν ἡμετέρων ἐκδαπανᾶται μελῶν, ὥσπερ ἀδάμαντι τοῖς σώμασι προσπεσών· οἱ ὑπηρέται μικροῦ τεθνᾶσιν ὑπ' ἀτονίας, εἰ μή τις αὐτοῖς βραχεῖα διὰ τὴν τῆς ἡμῶν καρτερίας φανέρωσιν, ἄνωθεν ἰσχὺς ἐπιψεκάσοι· νόμῳ θείῳ πειθόμενοι, καὶ ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐπηρεαζόντων εὐχόμεθα, κοινωνοὺς ὑμᾶς ἔχειν τῶν τοῦ Χριστοῦ δωρημάτων βουλόμενοι· διότι καὶ ὑπὲρ ὑμῶν τὸ θεῖον ἐδόθη λύτρον πρὸς τὴν ἐκ

gloria infamis; melior modestia magnanima, quam cum angusto animo dominatio; melior denique secura humilitas, quam lubrica excelsitas. Nostra igitur vestigia sequimini, et deletis inscitiae characteribus, divinae doctrinae legem in cordis vestri pugillaribus spiritûs calamo nos scribemus: quam cominus lectitantes, bene agere condiscetis. Sit vobis scholae instar praesens tribunal, hoc exemplo corrigimini. Quemnam ex universo vestro numero tantus vitae amor tenet, quantus nos mortis propter Christum obeundae? Ignis nobis perinde ut nix est: ferrum a membris nostris consumitur, nempe in corpora tamquam in adamantem incidens: carnifices debilitati paene exanimantur, nisi ex nostrae constantiae conspectu aliquantulum ipsis virium infundatur. En nos divinae legi parentes pro vobis quoque errore abreptis oramus, comparticipes vos donorum Christi habere volentes; quia pro vobis quoque pretium impensum fuit ut captivitate expediamini.

τῆς αἰχμαλωσίας ἀνάῤῥυσιν· ἕως μὲν ἐπὶ γῆς, τὰ ὑπὸ γῆν ποινὰς μεθοδεύσωμεν· οὐδεὶς τοῦ συνδέσμου διαιρεθέντος, ἐν ᾅδῃ μετὰ τὴν διάζευξιν ἐξομολογήσηται· δοῦλοι δέδεσθε χειροπέδαις ὑμεῖς ταῖς ἀδίκοις τῶν χειρῶν ὑμῶν πράξεσι διὰ τῶν δεσμίων ἡμῶν, εἴ γε προαιρεῖσθε, λυθήσεσθε· μὴ μέλλετε οὖν, μηδὲ ἀναλύεσθε· πρόχειρος γάρ ἐστιν ἡ σωτηρία καὶ ἄπονος· λούσασθε, καθαροὶ γένεσθε· τοῦτο τῶν καλῶν τὸ κεφάλαιον, τῷ ἐλαφρῷ τοῦ εὐαγγελίου ζυγῷ τὸν αὐχένα χρηστῶς ὑποκλίναντες, τὸ βαρὺ φορτίον τῶν πταισμάτων ἐξ ἑαυτῶν ἀποῤῥίψατε· εἰ φιλίας προσχήματι τούσδε τοὺς λόγους δειλίας καὶ ἀνανδρείας ὑπολαμβάνετε, τὸ ξίφος ὑμῖν τεθήχθω, τὸ πῦρ ἀνακαιέσθω σφοδρότερον, ἀκμῆτας τοὺς βασανιστὰς ἐπιστήσατε· τοσοῦτον ἡμῖν περίεστι τὸ τῆς ψυχῆς μεγαλόνουν ἀνδρικόν.

λδ. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα εἶπον οἱ μάρτυρες, καὶ ὁ σωτήριος λόγος τοῖς τῶν ἀκουόντων ὠσὶν ὡσεὶ ἀσπίδος κωφῆς βυου-

Quamdiu in terra versamini, poenas quae sub terra vos manent, redimere conemini. Nemo post disruptum vitale vinculum, in inferis iam separatus confitebitur. Vos quidem ceu servilibus manicis, iniustis manuum vestrarum actibus detinemini; sed a nobis captivis, si certe vultis, solvemini: ne, quaesumus, mora sit, neque hinc abeatis: in promptu est salus ac facilis: baptizamini, lustramini: haec est bonorum summa, ut levi evangelii iugo cervicem benigne subiicientes, grave peccatorum pondus procul vobis abiiciatis. Quod si forte hos sermones sub benivolentiae quidem specie, sed revera metus ac ignaviae causa a nobis prolatos existimatis, eia gladios acuite, ignem succendite vehementiorem, recentes viribus tortores apponite. Tanta nobis inest magnanimitas et fortitudo!

34. Postquam haec martyres peroraverant, sermoque salutaris in audientium aures tamquam aspidis surdae obturatas

σιν ἐντυχὼν διεσκέδαστο, τηνικαῦτα τὸ τελευταῖον βέλος ἐπαφέντες οἱ τύραννοι, πρὸς πᾶσαν ἤδη μηχανὴν πονηρίας ἀπειρηκότες, τὴν ἐπὶ θανάτῳ τοὺς γενναίους ἀπαχθῆναι καταδικάζουσι πολυτρόποις εἰδέαις διατάξαντες τὴν ἀναίρεσιν· οἱ δὲ ὄντως ἀκαταμάχητοι τῆς ἀληθείας ἀγωνισταὶ, πρὸς τὰ τῆς νίκης ἔπαθλα, καὶ τὴν ἐν Χριστῷ ἀνάλυσιν σπεύδοντες, ἐπειδὴ πρὸς τοὺς ἀφορισθέντας τόπους γεγόνασι, πρὸς βραχὺ παραιτησάμενοι τοὺς ἀπάγοντας, καὶ τῇ μὲν γῇ τὰ σώματα κάμψαντες, πρὸς οὐρανὸν δὲ τὸν νοῦν ἀνατείναντες, τοιαύτας εὐχαριστηρίους φωνὰς δεήσεις τὲ καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτοὺς ἀπὸ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσήνεγκαν. (1)

λε. Εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα θεὲ σῶτερ καὶ ποιητὰ τοῦ παντὸς, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκί σου· καὶ τοὺς δύο κτίσας ἐν ἑαυτῷ, εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον· ἔτι παρά-

immissus evanuit, tunc telum supremum tyranni iaculantes, omni iam omisso quo se defatigaverant malitiae artificio, ad supplicium duci generosos illos imperant, cum mandato ut vario necis genere extinguantur. Porro hi vere invicti fidei athletae, ad victoriae praemia, atque ad resolutionem in Christo properantes, ubi ad destinatos locos pervenerunt, brevi mora a ducentibus impetrata, corporibus humi flexis, in caelum autem mentem intendentes, has gratiarum actiones, preces ac supplicationes ei, qui poterat eos a morte servare, cum clamore valido lacrimisque obtulere.

35. Gratias tibi agimus, domine Deus servator et universi creator, qui fecisti utraque unum, et medium maceriae parietem, iram scilicet, in carne tua solvisti, et duo in te condidisti, in unum videlicet novum hominem: quia paradisum

(1) Confer S. Petri alexandrini martyris orationem quam moriturus dicit apud nos Spicileg. T. III. p. 685.

δειαιν ἡμῖν τὸ τῆς μαρτυρίας ἀνέδειξας στάδιον ἀπολαυστικώτερον τῶν προγόνων τὴν ἐν αὐτῷ τρυφὴν χαρισάμενος· τῷ γὰρ ὡρίμῳ καρπῷ τῶν ἀρετῶν διὰ τῶν κινδύνων πλουσίως ἁγιασθέντες, ἔτι καὶ οὗ μὴ θίγειν τῷ Ἀδὰμ συγκεχώρητο, τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ἐγευσάμεθα· καὶ εἴδομεν ὅτι Χριστὸς ὁ κύριος, ὅτι τοὺς δερματίνους χιτῶνας ἐξεδυσάμεθα διαῤῥαγέντας ξίφει καὶ μάστιξιν· καὶ ἰδοὺ σοι τὸ ἀρχαῖον τῆς ἀνεπαισχύντου γυμνώσεως κάλλος ἀμφιεσώμεθα, μηδὲν τοῦ πηλοῦ καὶ τῆς φθορᾶς ἐπισυρόμενοι λείψανον, ὅτι τὸν ὄφιν οὐ δολερῶς ἀλλὰ νόμῳ συμπλοκῆς νενικήκαμεν, καὶ τὰ πρῶτα τοῖς δευτέροις κατώρθωται· ὁ μὲν γὰρ συνεποδίσθη καὶ πέπτωκεν, ἡμεῖς δὲ ἀνέστημεν καὶ ἀνωρθώθημεν εἰς ἀσφαλὲς τοῦ γένους προπύργιον· διὰ σοῦ γὰρ οἱ ἀριθμῷ βραχεῖς καὶ ἀσθενεῖς ἡμεῖς περιεζωσάμεθα δύναμιν· οὐ γὰρ ἐν πλήθει τὸ κράτος σου, οὐδὲ ἡ δυναστεία σου ἐν ἰσχυροῖς· ἀλλὰ ταπεινῶν εἶ θεὸς, καὶ ἐλαττόνων βοηθὸς· ἀνθ' ὧν ἐπὶ σὲ τὴν ἄσειστον πέτραν τῆς ψυχῆς οἰκίαν θεμελιώσαντες,

nobis testimonii ostendisti, progenitorum delectabile stadium, delicias eius nobis largiens. Maturo enim virtutum fructu per discrimina affatim sanctificati, ipsum insuper, quod tangere Adamo non fuit concessum, lignum vitae gustavimus: ac novimus dominum esse Christum, et pelliceas tunicas nos exuisse gladio flagellisque discissas. Et en tibi vetere, cuius pudere nescimus, nuditatis pulchritudine induimur, nullas luti vel corruptionis reliquias trahentes; quia draconem haud astu sed legitima pugna vicimus, et priora illa posterioribus sunt emendata. Et ille quidem impeditus est et cecidit, nos vero surreximus et erecti sumus ad tutum humani generis propugnaculum. A te enim, qui exigui numero sumus et infirmi, virtute praecincti sumus: neque ex multitudine potentia tua, neque ex fortibus vis tua existit; sed humilium es Deus, et debilium auxiliator. Quamobrem supra te immobilem petram,

τὰς εἰδωλικὰς ἐπομβρίας, καὶ τὰ ποταμηδὸν συῤῥήξαντα τῆς ἀποστάσεως κύματα, καὶ τὰς ἐπιβολὰς τῶν τῆς πονηρίας πνευμάτων ἀπεκρουσάμεθα· εἶτα καὶ τὴν ἀκανθοφόρον τῆς σαρκὸς ἡμῶν γῆν τῇ τῶν ἐντολῶν ἐργασίᾳ νεώσαντες, καὶ ταῖς ἐκροαῖς τῶν αἱμάτων τὸν ἐκ τῶν πόνων ἐν αὐτῇ καταβληθέντα σπόρον ἀρδεύσαντες, ἀντὶ τριβόλων εὐγενῆ μωλώπων καρπὸν ἀνετείλαμεν εἰς πολύχουν θέρους συλλογὴν πλεονάζοντα· ὃν οὔτε καύσων ξηρανεῖ τοῦ παλαιοῦ παραπτώματος, οὐ πετεινὰ πνεύματα καταφάγεται, οὔτε μὴν ἄκανθαι συμπνίξουσιν περιστάσεων· καὶ νῦν οὐ κλήσει τῶν τεκόντων ἐπὶ τὴν θυσίαν παρήχθημεν, ἀλλ᾽ αὐτόκλητοι πρὸς τὴν σφαγὴν ἀπηντήκαμεν, καθάπερ κριὸν τὸ σῶμα θῦμα προσάγοντες, ὃ μεμυαλωμένων ὁλοκαυτωμάτων λογισθείη πιότερόν τε καὶ ἐντελέστερον· καὶ προσδεχθείημεν σήμερον μεγίστη τις ὁλοκάρπωσις, κἂν τῆς ἀξίας ἀπολιμπάνηται· μικρὰ γὰρ πᾶσα θυσία εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ ἐλάχιστον πᾶν στέαρ εἰς ὁλοκαύτωσιν· ὁ δὲ φοβούμενος τὸν κύριον, μέγας διαπαντός.

animae nempe aedificium aedificantes, idolicas procellas, et apostasiae fluctus fluminis instar ruentes, et malorum spirituum impetus propulsamus. Deinde spinosam quoque carnis nostrae tellurem laboriosa praeceptorum tuorum exsecutione novantes, et sanguinis rivis semen illic laborando iniectum irrigantes, tribulorum loco praeclarum vulnerum fructum referimus, qui in multiplicem messis cumulum consurgit: quemque nec veteris culpae aestus adurit, neque aligeri spiritus vorant, neque curarum spinae suffocant. Et nequaquam parentum vocatione sacrificio addicimur, sed sponte caedi nos obiicimus, arietis instar nostrum corpus sacrificium offerentes, quod adipe holocaustorum pinguius videbitur et perfectius. Excipiamur itaque hodie tamquam maxima oblatio, etsi minime digni sumus: quaevis enim hostia tenuis est ad efficiendum suavitatis odorem, et minimus est quantuslibet adeps

λϛ. Ἱερὸν ἡμᾶς ναὸν κατασκεύασον, ἔνδον φέροντας θυμιατήριον καὶ λυχνίαν καὶ τράπεζαν, τὰ σκεύη τοῦ ἁγιάσματος· ἵνα τὸ μὲν κατευθύνοιτο ἐνώπιόν σου ἡ προσευχὴ ἡμῶν ὡς θυμίαμα· τῇ δὲ τὸ φῶς τῶν ἔργων ἡμῶν τοῖς ἀνθρώποις λάμψειε· τῇ δὲ θυσίᾳ καὶ προσφορᾷ τοῖς πεινῶσιν πιστῶς προκαιόμεθα· τῇ γνοφώδει φύσει καὶ φθονηρᾷ, τῷ τοῦ σκότους ἄρχοντι καὶ κοσμοκράτορι διαβόλῳ περὶ τῶν ἡμετέρων σωμάτων διακρίνεσθαι σπεύδοντι, ὁ φρουρὸς ἡμῶν ἐπιτιμήσειεν ἄγγελος, ὡς ἂν τὸν ἐν τῷ ἀέρι χῶρον ἐξ ἐνέδρας τῶν ἐπιβούλων καθαρῶς διερχόμενοι, καὶ τῷ πυρὶ τῷ θείῳ δοκιμαζόμενοι, χρυσὸς καὶ ἄργυρος καὶ λίθοι τίμιοι διὰ τῶν μενόντων ἔργων καὶ μὴ κατακαιομένων εὑρεθείημεν· καὶ οὕτως ἀμέμπτως τῷ σῷ προσώπῳ ἐμφανιζόμενοι, τὸν μισθὸν κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν ἀπολάβοιμεν βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, καὶ τῆς δικαιοσύνης τὸν στέφανον, καὶ τὸ πάντοτε συνεῖναι τῇ δόξῃ σου· πρῶτον δὲ γέ-

ad sacrificii tanti consummationem; sed tamen qui timet Dominum, quaquaversum magnus evadit.

36. Sacrum nos effice templum, intus ferentes thuribolum et candelabrum, mensam, et vasa sanctificationis; primum quidem, ut dirigatur oratio nostra sicut incensum in conspectu tuo; alterum, ut lux operum nostrorum hominibus luceat. Denique tamquam hostia et oblatio fideliter esurientibus in ara incendamur. Tenebrosam autem naturam atque invidam, principem tenebrarum, rectorem huius mundi diabolum, qui de corporibus nostris certare satagit, custos noster angelus increpet, ut ex aëreorum insidiatorum turma inviolati evadentes, et divino igne probati, aurum et argentum pretiosique lapides, per mansura opera neque comburenda inveniamur: atque ita irreprehensibiles conspectui tuo exhibiti, mercedem promissam caelorum regnum consequamur, et in sanctis locis hereditatem, et iustitiae coronam, atque omnino

ρας ἔστω ἡμῖν ἡ τοῦ γένους ἐπιστροφὴ καὶ ἐπίγνωσις· λῦσον τὰ τῶν πεπεδημένων ταῖς σειραῖς τῆς ἁμαρτίας δεσμὰ, τοὺς ἀλαμπεῖς ὀφθαλμοὺς τῇ ἀσεβείᾳ πηρωθέντας διάνοιξον, τοὺς ἀπιστείᾳ κατεῤῥαγμένους ἀνόρθωσον· ἡ κόνις ἡμῶν πᾶσαν ὡσεὶ χοῦν τὴν δαιμονικὴν ἐξ ἀνθρώπων διασπείρειε φάλαγγα· τοῖς ἡμετέροις ἰχῶρσιν αἱ νόσοι τῶν ἀσθενῶν ξηρανέσθωσαν· τὰ σώματα, ψυχαῖς ὡς φωτὸς νεφέλη ἐπισκιάσειε· καὶ πᾶσιν ἐγγὺς τοῖς δι' ἡμῶν ἐπικαλουμένοις σε γενέσθαι καταξίωσον δέσποτα· ἐπίταξον τῇ καταιγίδι τῶν πειρασμῶν, καὶ σταίη εἰς αὔραν ἀκύμαντον, καὶ πρὸς λιμένα θελήματός σου πάντες ὁδηγηθείησαν· μία γενέσθω ποίμνη τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ πνεύματος ὑπὸ σοῦ ταττομένη ποιμένι Χριστῷ, καὶ ὁ λαός σου ἐπὶ σοὶ εὐφρανθήσεται· ναὶ Θεὲ λυτρωτὰ καὶ κύριε τοῦ ἐλέους, ἔστωσαν οἱ ὀφθαλμοί σου καὶ τὰ ὦτά σου ἀνεωγμένα εἰς τὴν τῶν δούλων σου δέησιν.

λζ. Καὶ πέρας αὐτοῖς λαβούσης τῆς προσευχῆς, ἐκ γῆς ἀνακύψαντες, καὶ πρὸς τὸ συνειλεγμένων πλῆθος ἐπιστρα-

gloriae tuae possessionem. Primum autem sit nobis praemium humani generis conversio et illuminatio: solve ligatorum peccati catenis captivitatem, obscuratos oculos et a falsa religione caecatos aperi, incredulitate prostratos erige: cinis noster cunctam diabolicam pulveris instar profliget a mundo phalangem: cruoribus nostris morbi aegrotorum exedantur: corpora animas, ut lucem nebula, ubumbrent: omnibus adesse dignare, qui te nostro ore invocant, Domine: impera tentationum procellae, et flat aura tranquilla, atque in portum voluntatis tuae cuncti deducantur: grex unus fiat virtute spiritûs a te pastori Christo subiectus, et populus tuus in te laetetur. Utique Deus liberator et domine misericors, sint oculi tui et aures tuae ad servorum tuorum deprecationem patentes.

37. Hac oratione finita, humo surgentes atque ad circumstantem multitudinem conversi praeclarissimi martyres, ma-

φέντες οἱ γενναιότατοι, μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἀνεβόησάν· ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ἐξαπεστάλη· χάριτι ἐστὲ σεσωσμένοι· καὶ γὰρ οἱ ποτὲ μακρὰν ὄντες, ἐγγὺς ἐγενήθητε εν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ· τὸν καιρὸν συνεςάλθαι νομίζετε· βραχεία τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς ἡ προθεσμία, καὶ σφαλερὰ ἡ ὁδὸς, καὶ οἱ θλίβοντες ἐπληθύνθησαν, ἐχόμενά τε τρίβου τοῖς εὐδρομοῦσι σκάνδαλα τίθενται, καὶ κρύπτουσι παθῶν παγίδας οἱ ὑπερήφανοι θηρευταὶ κὰι τῆς κακίας προστόται· μὴ προσκόψητε τοὺς πόδας ἐπὶ τῷ αὐτῶν ὀλισθήματι· ἱδρώτων δεῖ καὶ πόνων· ἀγαπητοὶ, ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσατε· ἄσπιλον τὴν πίστιν τηρήσατε· τραχύτητι βίου τὸ λεῖον τῆς ἡδονῆς ἐπιστύψατε· ἡ γλῶσσα μελετάτω δικαιοσύνην, ὅλην τὴν ἡμέραν τὸν τοῦ κτίσαντος ἔπαινον· ἡ ἀκοὴ ἐμπεφράχθω τοῖς ἀσέμνοις ἀκούσμασιν· πάροικοι ὄντες καὶ παρεπίδημοι, κατὰ τὴν θείαν παραίνεσιν, ἀπέχεσθε τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν αἵτινες ςρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς· παιδία, ἐσχάτη ὥρα ἐστὶν, πάντων τὸ τέλος ἤγγικεν· εἴ τις

gna voce clamarunt: viri fratres, et qui ex vobis timetis Deum, vobis sermo salutis missus est, gratis salvati estis; nam qui eratis longinqui, nunc per Christi sanguinem proximi estis: breye tempus esse putatote, arctum humanae vitae curriculum, fallacem viam: qui tribulant multiplicati sunt: opposita in itinere currentibus offendicula: cupiditatum laqueos celant superbi venatores, et malitiae antesignani. Ne pedes in ipsorum lubrica via ponatis. Sudare ac laborare oportet. Carissimi, sicut in die honeste ambulate: immaculatam fidem servate: vitae asperitate suavitatem voluptatis coërcete: lingua meditetur iustitiam, tota die creatoris laudem: auris obturetur adversus turpem auditionem: peregrini et hospites quum sitis, iuxta divinum monitum, abstinete vos a carnalibus cupiditatibus, quae militant adversus animam. Filioli, extrema hora

οὐκ ἐνεσημάνθη τῇ σφραγῖδι τοῦ πνεύματος, σημειωθήτω φωτὶ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τῷ ἀχράντῳ αἵματι τὰς νοερὰς ἐπιχρίσει φλιὰς, καὶ τοὺς σταθμοὺς τῶν αἰσθήσεων· οὐ γὰρ ἄλλως τὸν ὀλοθρευτὴν διαφεύξηται· μηδεὶς ἀπογνώτω τῆς σωτηρίας· τοῖς ἡμετέροις ἀγῶσι θαρσήσατε· καλὸν ὑπόδειγμα πρόκειται τὰ ἡμέτερα τραύματα· μὴ γὰρ οὐχ ὁμοίως ὑμῖν σαρκὶ συνδεδέμεθα; μὴ οὐχὶ νεύροις τὲ καὶ ὀστέοις καθάπερ ὑμεῖς συνηρμώσθημεν, καὶ τὸν αὐτὸν ὑμῖν ἀέρα ἐσπάσαμεν; ἀλλ' εἰδότες ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλύπτεσθαι εἰς ἡμᾶς, τὴν πολλὴν ἄθλησιν τῶν παθημάτων ἐῤῥωμένως καὶ καρτερῶς ὑπεμείναμεν· καὶ μετὰ χαρᾶς τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων ὑπεδεξάμεθα, καὶ τέλος πρὸς τὸν θάνατον, ὡς ὁρᾶτε, θαρσαλέως ἤδη χωροῦμεν· μιμηταὶ οὖν ἡμῶν γίνεσθε, καθὼς καὶ ἡμεῖς Χριστοῦ τοῦ τὴν ἁμαρτίαν σταυρῷ καὶ πάθεσι κατακρίναντος.

λη. Τούτων εἰρημένων, τοῖς ἀθληταῖς ἐπιστάντες οἱ δή-

est, omnium finis appropinquavit: siquis non est signatus sigillo Spiritus, signetur luce baptismi, et immaculato sanguine mentale limen inungat, et sensuum postes; neque enim aliter exterminatorem effugiet. Nemo de salute desperet: ex certaminibus nostris fiduciam sumite: pulchro vobis exemplo vulnera nostra sunt. Nonne enim aeque ac vos carne vestiti sumus? Nonne nervis ossibusque uti vos compacti, atque eundem aërem spiramus? Attamen quum sciamus non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis, gravem hanc cruciatuum luctam fortiter constanterque sustinuimus, et cum gaudio rapinam bonorum nostrorum perpessi sumus; et denique ad necem, ut videtis, alacriter pergimus. Imitatores ergo nostri estote, sicuti nos quoque Christi, qui peccatum cruce et passione proscripsit.

38. His dictis, adstantes martyribus carnifices, acuebant

μοι παρέθηγον ἀλλήλους πρὸς τὴν τῶν ἐγκελευσθέντων τελείωσιν, καὶ τοὺς νικηφόρους κατήπειγον· οἱ δὲ πρὸς τὴν σφαγὴν προθύμως ὑπέκυψαν·[1] καὶ οἱ μὲν πυρὶ ἀνθράκων κατηναλώθησαν, οἱ δὲ βρόχῳ τὸν φόνον ὑπέμειναν· καὶ τοὺς μὲν τὸ ξίφος διεχειρίσατο, τοὺς δὲ βυθὸς θαλάσσης ἐδέξατο· καὶ οἱ μὲν θηρῶν ὀδοῦσιν ἠλέσθησαν, τοὺς δὲ λιμὸς πολὺς ἀπηγχόνησεν· καὶ οἱ μὲν ἐπρίσθησαν, οἱ δὲ κατελεύσθησαν· καὶ πάντες τὴν ζωὴν ἐκλεξάμενοι τὸν ἐν κυρίῳ θάνατον ἀνεπαύσαντο.

λθ. Ὦ ψυχῶν ἱερῶν, ὦ σωμάτων ἐναγῶν, ὦ πολυτελὲς καὶ θεῖον ἀνάθημα τιμηθὲν ὑπὲρ χρυσίον τε καὶ τοπάζιον· ὦ Χριστοῦ καταγώγια, καὶ κατοικητήρια πνεύματος, καὶ δοχεῖα τῶν ἀρετῶν· ὦ στοιχείων ἐκείνων ἐξ ὧν συνεπάγητε καθ᾽ ὃν καιρὸν ἐγεννήθητε τὴν ὕλην τοῦ σώματος, καὶ αὖθις ἀντιλαβόντων τὰ οἰκεῖα μετὰ τὴν τῶν συντεθέντων διάκρισιν, καὶ ἁγιασθέντων τῇ μεταλήψει τῆς ἀντιδόσεως· ὦ

invicem ad demandati supplicii consummationem, victoresque heroas perurgebant, qui sane alacriter caedendos se obtulerunt: atque alii igne consumpti sunt, alii laqueo mortem pertulerunt, alios gladius iugulavit, alios maris abyssus excepit, alii ferarum dentibus contriti sunt, alios fames exanimavit, alii serris dissecabantur, alii molendinis elidebantur: cuncti denique mortem in Domino praeoptantes quieverunt.

39. O sanctae animae! O sacra corpora! O pretiosum ac divinum donarium auro ac topazio aestimabilius! O Christi hospitia, Spiritus habitacula, virtutum vasa! O illa elementa, ex quibus materiam corporis in nativitate habuistis, certe denuo quicquid vestrum est recuperabitis, post huius compositi discretionem, sanctificata per mercedis receptionem! O beata multitudo, et splendor multiplex una velut in anima fulgens!

(1) Confer specimen ethnicae in infligendis suppliciis crudelitatis apud latinum poema volum. II. herculan.

μακαρία πληθὺς καὶ πολύφωτος αὐγὴ μιᾷ ψυχῇ καταστράπτουσα· ποίοις ὑμᾶς, νικηταὶ, θριάμβοις ὑπὲρ φύσιν ἀνδρισαμένους ἀνακηρύξομεν; ποίοις τροπαίοις ἀνεπιλήστοις τοῖς ἀμαράντοις ἐκ ψαλμῶν καὶ ὕμνων καὶ ᾠδῶν πνευματικῶν στεφάνοις ὑμᾶς πολυτελῶς ἀναθήσομεν; ὑμεῖς τιμὴν τοῖς γονεῦσιν εὐαγγελικῶς ἀπενείματε· τοῖς γὰρ πάθεσιν ὑμῶν τὴν προπατορικὴν αἰσχύνην ἐπικαλύψαντες, τοῦ ὀνείδους τοὺς τεκόντας ἠλευθερώσατε, καὶ χαρᾶς ἀντὶ λύπης τῇ φύσει κατέστητε πρόξενοι· ὑμεῖς τὴν γῆν οὐρανώσατε, φανέντες ἀνατολή τις ἀσκότιστος, καὶ ὄρθρος δικαιοσύνης καὶ ἀστέρες κατὰ πάντα τόπον ἐκλάμποντες, στηριγμοὺς ἐπὶ τῆς ἀπλανοῦς τῶν ἐντολῶν πορείας ποιούμενοι· οὐ πατὴρ κωκύων, οὐ μήτηρ κόμας σπαράττουσα, καὶ παῖδες κλαυμυριζόμενοι, καὶ συγγενεῖς θρηνοῦντες, καὶ φίλοι στενάζοντες, ἐμάλαξαν ὑμῶν τὴν στεῤῥότητα· πρὸς γὰρ τοῖς διώκταις, ἔτι καὶ πρὸς φύσιν ἐπολεμήσατε, καὶ νενικήκατε τὴν ἀήττητον, ἣ καὶ θῆρας ἔκαμψεν πρὸς συμπάθειαν, καὶ ἰοβόλων ἑρπετῶν ἀγριό-

Quibus vos, o supra naturae vires victores, triumphalibus praeconiis celebrabimus? Quibus memoriae aeternae trophaeis, vel quibus immortaliter virentibus ex psalmis, hymnis, canticisque spiritalibus, magnifice vos coronis praecingemus? Vos honorem parentibus ex evangelii norma reddidistis: vestris enim passionibus progenitorum turpitudinem obtegentes, dedecore patres liberavistis, et gaudium loco luctus humanae naturae conciliastis. Vos terram in caelum convertistis, qui estis tamquam oriens serenus, mane iustitiae, stellae in omni loco lucentes, qui nimirum gressus vestros in recta praeceptorum semita movetis. Non pater lamentans, non mater capillos vellens, non liberi eiulantes, non cognati plorantes, non amici gementes, constantiam vestram molliverunt. Non solum enim cum persecutoribus, verum etiam cum ipsa natura pugnastis, vicistisque invictam illam, quae et feras et

ῆπτα· πάντων γὰρ ζώων τυραννικῶς ὑπερίσταται, τῷ ἐντεθέντι νόμῳ κρατοῦσα, καὶ τοῦτον ἀναγκαίως φυλάττουσα μέχρι παντὸς ἀπαράβατον· ἀλλ' ὑμεῖς γένος ἀλλήλοις κατέστητε τῷ κοινῷ τῶν παθημάτων δεσμῷ, καὶ παράδοξον ἐργάσασθε σύγκρασιν αἷμα μίξαντες αἵματι τῇ ἀγχιστείᾳ τῶν αἰκισμῶν· οὐ χρημάτων ὑμῶν, οὐκ εὐδαιμονίας πόθος τὴν πρὸς Θεὸν ἀγάπην ἠμαύρωσεν· χρυσὸς γὰρ ὑμῖν, τῆς πίστεως τὸ δοκίμιον· πλούτου περιουσία, τὸ πνεῦμα τῆς ταπεινώσεως· μείζονά τε πλοῦτον ἡγεῖσθε τῶν κοσμικῶν θησαυρῶν, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ· εἰς τὴν μισθαποδοσίαν γὰρ ἀπεβλέπετε, γινώσκοντες ἔχειν ἑαυτοὺς κρείσσονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς καὶ μένουσαν· γαυρίαμα δόξης ὑμῖν, ἀτιμία διὰ Χριστόν· εὐεξία, καρδία συντετριμμένη· τρυφὴ πρὸς κόρον, ἐγκράτεια· κάλλος σώματος, ἡ νέκρωσις τῶν παθῶν· ἰσχὺς, ἡ ἐν ἀσθενείᾳ χάρις καὶ τελείωσις.

μ. Ὑμεῖς τὸν εἰς τὸν ἀμπελῶνα κληθέντων προγόνων

venenatorum serpentium saevitiam ad misericordiam flectit: naturam, inquam, quae tyrannice in animantibus eminet, insita vi pollens, quam semper et ubique necessario retinet. Attamen vos cognationem inter vos mutuam effecistis communi passionum vinculo colligatam; miramque concretionem fecistis, sanguinem sanguini miscentes cruciatuum communione. Non opum, non felicitatis amor vestrum erga Deum amorem debilitavit: pro auro vobis fuit fidei probitas; pro copia opum, spiritus humilitatis: et Christi opprobrium maiore in pretio habuistis, quam mundanos thesauros: namque ad mercedem respexistis, gnari scilicet vos meliorem habere et perennem in caelis substantiam: vobis gloriae iactatio, dedecus pro Christo: alacritas, cordis contritio: deliciarum saturitas, continentia fuit: pulchritudo corporis a vobis creditur, cupiditatum mortificatio: virium instar, charitas in infirmitate et consummatio.

ἐν βραχεῖ καιρῷ μείζονα τὸν κάματον εἰσενέγκατε· καὶ γὰρ
ὑπὲρ τὸν προπάτορα διὰ τῶν ἔργων ἐδείχθητε· Χριστοῦ γὰρ
τὰς ἐντολὰς ἐτηρήσατε· τῆς Ἄβελ θυσίας δῶρον ἱερώτατον
ἀντηνέγκατε, τὸ τῶν ψυχῶν ὁλοκαύτωμα· κἀντεῦθεν πρὸς ἀφ-
θαρσίαν ὑπὲρ τὸν Ἐνὼχ μετετέθητε, κιβωτὸν ἑαυτοὺς ἐξ
ἀσήπτων ξύλων τῶν ἀρετῶν κραταιοτέραν τῆς Νῶε κατ-
εσκευάσατε, δι' ἧς τοῦ τῶν εἰδώλων πνιγμοῦ διεσώθητε·
Ἀβραὰμ ἐν τύπῳ καὶ σκιᾷ τὸ τῆς τριάδος μυστήριον κατ-
ενόησεν, ὑμεῖς δὲ τοὺς ὑπὲρ τῆς τριάδος ἀγῶνας ἀναδεξά-
μενοι μεγαλοφωνότατοι κήρυκες τῆς ἀληθείας γεγόνατε· ὑπὲρ
τὸν Ἰσαὰκ ἐκαλλιερήθητε, τῇ ἑαυτῶν σφαγῇ τὴν θυσίαν
τελέσαντες· τὴν ἄπλαστον ἀναστροφὴν Ἰακὼβ τῷ ἀπανουρ-
γεύτῳ τῆς προαιρέσεως παραλλάξαντες· τῷ τῆς περιστερᾶς
ἀκεραίῳ τὴν περὶ τὸ καλὸν ὑμῶν ἕξιν κατὰ τὴν ἐντολὴν
ὡμοιώσατε· καὶ οἰκίαν περιφανῆ τὴν ἐκκλησίαν ἀνοικήσαν-
τες, βρώματα τῷ πατρὶ θεῷ προσηγάγετε τὰ ὑμέτερα τραύ-

40. Vos brevi hora maiorem, quam vocati illi patriarchae, laborem in vinea pertulistis: nam vestrum primum progenitorem operibus superastis; Christi enim mandata observastis. Multo sanctius quam Abel sacrificii donum obtulistis, animarum nempe vestrarum holocaustum: ideoque ad immortalitatem potiorem quam Henoch translati estis, arca vobis ex imputribilibus virtutum lignis validiore, quam illa Noachi, fabricata; qua vecti ab idolorum suffocatione evasistis. Abraham in typo et umbra mysterium Trinitatis agnovit; vos autem dum pro Trinitate certamina suscepistis, clamosissimi veritatis praecones facti estis. Melius quam Isaac sacrificium obtulistis, qui vestra caede rem sacram fecistis. Simplicem Iacobi vitam, sinceritate propositi superastis. Columbarum innocentiae, vestram vitae optimae conditionem, iuxta praeceptum, assimilastis; domumque illustrem ecclesiam aedificantes, convivium patri Deo exhibuistis, vestra scilicet vulnera,

ματα, καθάπερ ἔριφον σφάξαντες τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως· παρ' οὗ καὶ τὴν εὐλογίαν, ζωὴν ἕως τοῦ αἰῶνος, εἰλήφατε· σωφροσύνῃ τὸν Ἰωσὴφ παρηλάσατε, τὴν ἀκόλαστον ἐν πράγμασί τε καὶ σχήμασι τῶν ψευδωνύμων θεῶν δόξαν ἀποσεισάμενοι, καὶ τὸν περικείμενον χιτῶνα τὸ σῶμα τοῖς πορνικοῖς τὸν νοῦν τυράννοις ἀπεκδυσάμενοι· τοὺς πειρασμοὺς Ἰὼβ ἀπηντλήσατε, καὶ τὸ μεῖζον ἢ κατ' ἐκεῖνον μέχρι θανάτου πρὸς τὰ δεινὰ καρτερήσαντες· ὑπὲρ τὸ Μωϋσέως ἐδοξάσθητε πρόσωπον, τὸν τῆς χάριτος καὶ ἀληθείας νόμον καὶ δεξάμενοι καὶ φυλάξαντες, καὶ τὴν φονώδη καὶ ἐρυθρὰν τῆς ἑτεροθρησκείας ἀβρόχοις ποσὶ διαπεράσαντες θάλασσαν, τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας τὴν ἐπουράνιον Ἱερουσαλὴμ κατελάβετε· πρότερον πολλοῖς σημείοις καὶ τέρασιν ἐν τῷ ἐρήμῳ, βίῳ τῆς εὐσεβείας, τὴν ἑαυτῶν ἰσχὺν τοῖς ἐναντίοις γνωρίσαντες, καὶ τὸ τῶν δακνόντων ὄφεων καὶ τὴν πτέρναν τηρούντων θράσος, διὰ θανάτου καταπατήσαντες καὶ νεκρώσαντες· ἀντὶ τῆς Ἀαρὼν χειροποιήτου στολῆς, τὴν

haedum quodammodo humilitatis vestrae corpus mactantes: quamobrem et a Deo benedictionem, id est vitam aeternam, recepistis. Continentia Iosephum vicistis, qui protervam actibus et figuris falsorum Deorum doctrinam repulistis, et circumiectam ipsam vestem, corpus scilicet, fornicariis corruptae mentis tyrannis remisistis. Porro et Iobi tentationes tolerastis, quodque illo maius est, ad necem usque adversus cruciatus durantes. Maiore quam Moyses honore affecti fuistis, qui gratiae veritatisque legem accepistis atque observastis, et rubrum sanguine idololatriae mare siccis pedibus permeantes, ad promissionis regionem, caelestem Hierusalem, pervenistis: antea tamen signis multis atque miraculis in eremo, id est in religiosa vita, vires vestras hostibus comprobantes, et serpentium morsui intentorum calcaneoque insidiantium audaciam, morte vestra calcastis et extinxistis. Pro

δικαιοσύνην Χριστοῦ ἱεροπρεπῶς ἐνεδύσασθε· καὶ οὐκ ἀμνῶν αἵμασιν, ἀλλ' οἰκείοις τὸν λαὸν ἐκαθήρατε· τὰ τείχη τῶν ἀσεβῶν καὶ τοῦ ἐχθροῦ τὰς πόλεις, τὰς λάλους γλώσσας καὶ ἀντιθέτους, καὶ τὴν καταργουμένην σοφίαν, τῇ σάλπιγγι τῶν ὑμετέρων δογμάτων καθείλετε· τῆς Ἰησοῦ στρατηγίας ἐπιφανέστεροι ἐδείχθητε· καὶ Σαμουὴλ ἱερώτεροι, καὶ λίαν θεοπρεπῶς· οὐ γὰρ ὑπὸ μητρὸς, ἀλλ' ὑφ' ἑαυτῶν θεῷ προσηνέχθητε, δοθέντες οὐ πρὸς ζωὴν ἀλλὰ θάνατον, ἵνα ζήσητε ζωὴν τὴν ἀθάνατον· τὸν νοητὸν Γολιὰτ οὐχ ὡς Δαβὶδ σφενδόνῃ, τῷ δὲ παρὰ ἀνθρώπων ἀποδοκιμασθέντι λίθῳ Χριστῷ κατεβάλετε· καὶ τοῖς κινδύνοις τὴν κεφαλὴν τοῦ δυνάστου συνθλάσαντες δράκοντος, οὕτω καθάπερ τινες νικηφόροι θριαμβευταὶ μεγάλοις στεφθέντες ἀνδραγαθήμασιν, ὑπὲρ τὸν Ἡλίου δρόμον καὶ τὴν ἐφ' ἅρματος εἰς ὕψος ἀνάληψιν, τῶν οὐρανῶν τὰς πύλας διεληλύθατε, κουφότερόν τε καὶ εὐσταλέστερον, ἐπιδίφροι ταῖς ἀρεταῖς ἀναγόμενοι, καὶ τοῖς ἀθλητικοῖς ἐποχούμενοι κατορθώμασι· καὶ νῦν μυριάσιν

manufacta Aaronis stola, Christi iustitiam ut sanctos decet induistis; neque sanguine agnorum sed proprio populum emundastis. Impiorum moenia, et hostis urbes, garrulas nempe linguas atque adversarias, et vanam sapientiam, tuba vestrorum dogmatum excidistis, et duce Iosue clariores evasistis. Tum etiam Samuele sanctiores, et Dei ministerio aptiores: non enim mater sed vosmet ipsi Deo obtulistis, haud ad vitam sed ad mortem traditi, ut in aeterna vita vivatis. Intellectualem Goliath non ut David funda, sed reprobato ab hominibus lapide Christo prostrastis. Vestrisque periculis, caput dominantis draconis conterentes, sic demum ut victoriosi triumphatores magnis facinoribus coronati, sublimiore quam Helias cursu, eiusque in curru sedentis ascensione, caelorum ianuas intrastis facilius atque stabilius, virtutum curribus nixi, factisque fortibus vecti: et nunc demum cum innumero

ἀγγέλων πανηγύρει, καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων πρὸ τῆς ἀληθινῆς σκηνῆς συγχορεύετε. (1)

μα. Διὸ καὶ τοῖς ὁμογενέσιν ὑμῖν ἐξεγένετο τῆς ἑαυτῶν μεταδιδόναι λαμπρότητος, σπῶσιν ἐκ τοῦ τῆς νοητῆς πηγῆς ἀπαυγάσματος· καὶ γὰρ κοινῇ τῷ γένει κατέστητε ψυχῶν ἐπιμεληταὶ (2), σωμάτων θεραπευταὶ, πίστεως κρηπὶς, ἱερωσύνης τελείωσις, ἁμαρτιῶν ἀπολύτρωσις, ἐκκλησιῶν θεμέλιός τε καὶ στήριγμα, τῶν νόσων κάθαρσις, ὁδοιπορούντων ἀνάπαυσις, πλεόντων κυβέρνησις, ἐπικουρία τῶν δεομένων, ἀγωνιστῶν συμμαχία, πιπτόντων ἀνόρθωσις, ὀδυνωμένων ἀνάκτησις, ὁδηγία πεπλανημένων, εὐθυπορούντων ἔρεισμα, τῶν λυπουμένων παράκλησις, πάντων βοήθεια καρτερὰ καὶ βεβαίας ἐλπίδος ἀσφάλεια.

μβ. Ἡμεῖς δὲ, ὦ ποίμνιον ἱερὸν, εἰ τιμᾷν ἀξίως τοὺς ἀθλητὰς διεγνώκαμεν, κοινωνοὶ τῶν μαρτυρικῶν ἀγώνων γεν-

angelorum choro, et primogenitorum coetu ante verum tabernaculum choreas ducitis.

41. Hinc accidit, ut fratribus quoque vestris splendoris vestri partem impertiamini, quem ex intellectuali luce hauritis. Etenim universo humano generi praepositi estis, tamquam animarum tutores, corporum medici, fidei columna, sacerdotii consummatio, peccatorum remissio, ecclesiarum fundamentum et fulcrum, morborum remedium, viatorum requies, navigantium gubernaculum, indigentium suppetiae, pugnantium subsidium, cadentium erectio, dolentium recreatio, errantium duces, recte incedentium praesidium, moestorum solatium, omnium potens auxilium et firmae spei tutamen.

42. Nos vero, o sacrum audientium ovile, si digne mar-

(1) Ergo sancti homines gloria caelesti fruuntur statim post obitum, non expectato, ut nunc volunt schismatici graeci, universali iudicio.

(2) Haec contra haereticos nostrorum temporum, qui sanctorum invocationem catholicis crimini dant; intercessionem ipsorum apud Deum, et beneficia hominibus saepe collata negant.

ὤμεθα, παθητοῖς πάθεσιν ἀντιστήσωμεν, δακρύων κρουνοὺς ὡς αἱμάτων ὀχετοὺς ἀποστάξωμεν· νηστεία βασανιζέτω τὸ σῶμα, καὶ τὴν τῆς ὕλης τηξάτω παχύτητα· ἡ τῶν παθῶν ἀποτεφρωθείη φλὸξ ταῖς ἀσβέστοις τῆς εὐποιΐας λαμπάσι· τὴν τυραννίδα τῆς ἀσεβείας καὶ ἁμαρτίας ἐκκόψωμεν τῇ διστόμῳ τοῦ ὀρθοῦ λόγου μαχαίρᾳ, καὶ τοῖς ὅπλοις τῆς εὐσεβείας, τὰ χείλη ἡμῶν μὴ κωλύοντες τοῦ τὴν θείαν δικαιοσύνην εὐαγγελίζεσθαι, ὡς ἂν ἐν χρόνῳ παντὶ τοὺς τῶν μαρτύρων ἄθλους μιμούμενοι, τῶν ἴσων γερῶν ἐπιτύχωμεν.

μγ. Ταῦτα ὑμῖν ὡς ἐξ ἀκανθῶν τῶν ἀσθενῶν ἡμῶν λόγων οἷά τινα προκύψαντα δῶρα προσενήνοχαμεν, ὦ μύσται τῆς νοητῆς λατρείας, καὶ κληρονόμοι Χριστοῦ, καὶ φῶτα θεῖα, καὶ λαὸς περιούσιος, καὶ μάρτυρες εὐκλεεῖς· τούτοις ἦ μὲν ἐπινεύοιτε καὶ δέχοισθε τὸν εὐτελῆ τῆς ἡμετέρας γηπονίας καρπὸν, μὴ τῷ κατ' ἀξίαν τῇ δὲ δυνάμει μετροῦντες ἡμῶν τὴν ἐγχείρησιν, ὃν ὕδρῶσι μὲν προσώπου συνεκο-

tyres honorare decrevimus, paria his certamina suscipiamus, cupiditatum inlecebris resistamus, lacrimarum scatebras ceu sanguinis rivulos effundamus. Ieiunium corpus vexet, et materiae crassitiem exprimat. Vitiorum flamma opprimatur inextinguibili bonorum actuum lampade. Impietatis ac peccati tyrannidem ancipiti recte doctrinae gladio veraeque fidei armis succidamus, neque labia nostra a praedicanda Dei iusta lege prohibeamus; ita ut omni tempore certamina martyrum imitantes, paria praemia consequamur.

43. Haec vobis, tamquam ex infirmorum nostrorum rubeto quodam sermonum enata dona obtulimus, o intellectualis cultus sacerdotes, Christi heredes, divina luminaria, popule eximie, inclyti martyres. His utinam precibus annuatis, vilemque laboris nostri fructum recipiatis! haud ex dignitate vestra, sed ex nostris viribus opellam hanc aestimantes, quam non sine vultus sudore vobis composuimus. Neque enim satis

μίσαμεν· οὐ γὰρ ἀκριβεῖς ἡμεῖς ἐπιστήμονες, οὐδ' εὐφυῶς ἔχοντες πρὸς τὴν τῶν τοιούτων ἔργων ἢ λόγων ἐπίδειξιν· ἄλλως, καὶ ὀκνηροί τινες ὄντες, καὶ πρὸς αὐτά γε τὰ λίαν ὠφέλιμα ῥαθυμοῦντες ἀεὶ καὶ καθεύδοντες· πόθῳ δὲ πόνον συνεκεράσαμεν· τῷ πρὸς τὴν ἔντεχνον ἐπιμέλειαν σκάζοντι, τὸ περὶ τὴν σπουδὴν ὑποστηρίξαντες πρόθυμον· καὶ τῶν μὲν πταισμάτων τὴν ἰλὺν ἡμῖν ἐκκαθάροιτε τῷ ἀκενώτῳ τρυγίᾳ τῶν κακῶν πλεονάζουσαν, ἣν ὑπέστησέ τε καὶ ὑπεστάθμησε βίος θολερός τε καὶ ἄποτος· τὸ δὲ λείψανον ἡμῖν τῆς ζωῆς διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν εὐοδωθείη καὶ τηρηθείη φίλιον ἡμῖν καὶ εὐάρεστον· καὶ μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποδημίαν καὶ τὴν τῶν θορύβων ἀπαλλαγὴν, ὑπὸ τοῦ κοινοῦ κριτοῦ τοῖς σωζομένοις ἀριθμηθείημεν, καὶ ταύτην λάβοιμεν τῆς τοῦ μετρίου τοῦδε δώρου προσαγωγῆς τὴν ἀντίδοσιν· ἐν αὐτῷ Χριστῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα σὺν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

docti sumus, neque tanto ingenio praediti, quanto opus est ad talia facta vel dicta praedicanda. Alioqui et ignavi sumus, et ad utiliora quaeque torpentes semper et somniculosi. Sed tamen voluntati laborem sociavimus, artis accuratae defectum diligenti studio supplentes. Vos peccatorum limum nobis abstergite, et illas foeculenti veluti vini malas reliquias et colluviem, quam immundum hoc et amarum saeculum secum fert situque fovet. Quod autem vitae nobis superest, per dextera atque sinistra iustitiae arma bene regatur, quietumque nobis et suave servetur. Cum autem hinc digrediemur et his tumultibus evademus, a communi iudice inter salvos connumeremur, atque hanc humilis doni nostri remunerationem consequamur, in ipso Christo domino nostro, cui honor cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper et per saecula saeculorum. Amen.

SEVERI

PATRIARCHAE ANTIOCHENI

LIBER AD IULIANUM EPISCOPUM HALICARNASSENSEM, QUO DEMONSTRAT QUID SACRI LIBRI IPSORUMQUE INSPIRATI INTERPRETES DOCTORES ECCLESIAE DOCUERINT SENTIENDUM ESSE AC PRAEDICANDUM CIRCA INCORRUPTIBILITATEM SACRATISSIMI CORPORIS SUMMI DEI ET SERVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI.

Interpretatio ex codice syriaco.

1. Consuetudo a primis usque ecclesiae suscepta temporibus postulat, ut ii qui evangelium nunciant ac praedicant, vel fidem eo comprehensam docent, capita inter se conferant, mutuasque animi cogitationes sincere curioseque significent, atque ut omnes in unam spem communemque fiduciam conspirent. Ita se gessit magnus ille Paulus ad apostolatus officium caelitus vocatus, qui idcirco se vocatum apostolum indigitabat, quia initio in apostolorum numerum cooptatus non fuerat, nec nisi post vocationem, apostolatus gradum adeptus est, scilicet cum eis adscriptus, qui iam tum Christo crediderant: atque ita quemdam veluti triumphum inter apostolos egit, eorumque coetui coronam imposuit. Quippe idem, qui eum vocavit, Deus testatus est ipsum prae ceteris fuisse idoneum ad illud nomen circumferendum quod est super omne nomen. Idem insuper dictus est vas electionis, veluti capax affluentis eius divitisque et copiosae scientiae, quam alii continere non possent. Attamen hic ipse Paulus ad Galatas scribens ait: « ascendi autem Hierosolymam secundum revelatio» nem, ad conferendum cum electis apostolis evangelium. » Cuius rei causam aperiens, non sine animo laudabiliter humili subdit: « ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. » Insuper ad Corinthios scribens monet ipsos ut caveant ne cadant, hortaturque ne sibimet ipsis fidant, nec novitates sectentur, vel insolitas doctrinas recipiant; sed suam potius

considerent semperque prae oculis habeant praedicationem, eiusque plenam intelligentiam verumque sensum adsequi studeant. Sic enim ait: « vosmet ipsos tentate, an sitis in fide: » ipsi vosmet probate. » Praeclarum hoc captandae eruditionis exemplum, omni tempore imitari conati sunt sancti ecclesiarum pastores, apostolorum heredes, qui multa cum reverentia ac sollicitudine invicem scribebant atque consulebant, in iis quae identidem apud ipsos pullulabant quaestionibus, ut salubria scilicet atque efficacia remedia adhiberent. Ac ne nimis vetera memorem, neque illos in medium adducam qui longe a nostris temporibus absunt, sic Dionysius qui ad ecclesiae alexandrinae clavum sedebat litteras scripsit ad alterum Dionysium qui rationalem romanae urbis gregem regebat: atque ante quam ad hunc, scripserat ad Cornelium ac Stephanum eiusdem gregis pastores, a quibus etiam accurata responsa accepit (1). Sic item Epictetus corinthiacae ecclesiae episcopus ad magnum Dei famulum Athanasium scripsit.

2. Horum igitur tua Sanctitas vestigiis inhaerens, et ecclesiasticum morem retinens, scripsit ad me iam pridem, eos reprehendens qui rotunde adfirmant magni Dei et servatoris nostri corpus fuisse corruptibile; mihique simul scripta tua quae hac de re coactus confecisti mittens, postulabas ut his lectis et consideratis rescriberem, quid demum hoc in negotio firmiter et constanter credendum esse videatur. Sed enim pudet me loqui, vereorque ne quis putet me vanitate commotum, velle memet illis conferre divinis turribus arcibusque veritatis, verbi Dei nempe ministris; qui alioqui sum infirmus atque ab illis longe remotus. Ceteroqui scio haud vacare periculo, si quis in episcopali dignitate constitutus, in huiusmodi controversiis sileat; quod cognoscere licet in inutili servo illo de quo in evangelio sermo est: is enim pigritiae magis quam suo domino addictus, quum talentum humo tacite infodisset, expulsus est non sine luctu, et cum gravi dolore quam antea habebat gratia spoliatus, in tenebras exteriores eiectus fuit. Sanctus quoque apostolus aperte clamat: « mihi

(1) Animadvertamus deperditarum Cornelii et Stephani ad Dionysium epistolarum notitiam

« credita est oeconomia (sic enim appellat ministerium verbi » Dei); et vae mihi nisi evangelizavero! »

3. Nos itaque divinarum minarum non modico timore correpti, praecedente nos divina gratia, a qua omnis dictio omnisque sana cogitatio provenit, scribendum credimus, et pro nostra virium tenuitate explicandum, breviore quo licet modo, quaestionis huius statum; diversorum in vocabulis sensuum multitudinem semper vitantes, ne umquam a propositio scopo discedere, vel rem diversam a suscepta tractare videamur. Quippe in hoc inspiratis libris conformari debemus, doctrinamque sequi doctorum et regularum auctorum, quotquot per tempora magistri mysteriorum in sancta ecclesia fuerunt. Neque eorum doctrina tantummodo vestiganda nobis est, verum etiam ipsamet verba quae illorum denotant doctrinam et explicant; ita ut ab iis dicta, vera esse credamus; secus ea, quae auctores ipsos minime habent. Ego autem tenuitatis meae conscius, fateor me omnem semper diligentiam adhibuisse, ut secundum illorum loquendi proprietatem ac significatum mentem meam conformarem, linguamque dirigerem, atque ita loquerer et scriberem quotiescumque occasio tulisset; nimirum censens non esse haec patrum verba, quandoquidem a semet ipsis non loquuntur, iuxta certissimum Servatoris nostri effatum, sed patris ipsorum spiritum per ipsos loqui, sive quid eloquantur suggerentem, sive etiam quid reticeant; pro ratione videlicet insidiarum quae ipsis suboriuntur ob perversam haeresum calliditatem, quae tanta est, ut eae nihil iam non commoveant aut in controversiam vocent. Profecto quamquam nos magisterii cathedram tenemus, attamen magnum quid immo maximum praestare putabimus, si quae patres scripserunt vel disputarunt, probe intellecta simpliciter et sine fuco recitaverimus. Peto igitur a Dei quae in te est caritate, ne te pigeat, ut hanc quaestionem interrogandi veluti modo tractemus atque indagandi, ut ii faciunt qui veritatem sine contentione quaerunt, quod a te saepius iam postulavi. Et quidem huic disserendi rationi viam ipse munivisti, qui me hortatus es ut scripta tua ad lancem exigerem, non autem ut sine discrimine admitterem.

4. Quis ergo ignorat, omnes illos probatissimos patres, divinum librum secutos, docuisse quod Dei filius (id est eius Verbum) qui erat ante omnia saecula, in fine temporum sine ulla sui variatione aut mutatione incarnatus fuerit et homo factus de Spiritu sancto et de semper virgine Maria Dei matre? nempe quod personaliter coniunctus sit carni anima rationali praeditae, ex quibus nostra quoque humana natura subsistit, remoto tamen peccato, quod per se alioqui in humana subsistentia naturaque non computatur: est enim peccatum infirmitas quaedam morbusque mentis, quae liberi arbitrii sui facultate utens ad effrenem cupiditatem semet inclinat. Reapse huiusmodi infirmitate correptus Adam, cogitationem suam ad voluptatem demisit, victusque est aviditate fructus illius arboris qua fuerat sibi interdictum. Est autem nihil aliud infirmitas, quam sanitatis privatio. Itaque haec infirmitas ac demutatio in mente fit, quae de recta cogitatione recedit. Quod si homo ad id tantum se intendere vellet quod sanum est Deoque placitum, nec peccatum existeret nec infirmitas. Perspicuum est igitur, peccatum, utpote de privatione ac mutatione mentalis sanitatis genitum, vanum quid esse et vacuum atque impersonale, et substantia carens. Ex quo consequitur ut Adam, toto illo tempore quo in sanitate permansit, id est in divini praecepti observantia, nullum peccati vestigium in se habuerit. Cum autem cogitationem suam spontaneo motu ad delectationis inlecebram vertit, atque illicitae voluptatis factus est famulus, propterea quod a rectitudine iam declinaverat, tunc demum notio appellatioque peccati in illo apparuit; quia in eiusdem potestate fuerat, utrum peccaret nec ne. Quam ob rem ab immortalitatis beneficio deiectus fuit, qui scilicet peccati nubibus divinae imaginis formam infuscaverat, quam in anima sua rationali gestabat, cum sancti Spiritus influxu redundabat, atque omnis scientiae ac virtutis capax erat. Hoc fuit spiraculum illud vitae, quod creator, teste scriptura, in faciem eius inspiraverat. Attamen Deus minatus antea fuerat « in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. » Mortem heic intelligamus non separationem tantummodo a vita, verum etiam a Deo

remotionem qui naturaliter vita est atque immortalitas. Ideo quidam de inspiratis sapientibus scripsit, Deum mortem non fecisse. Minitans vero in antecessum praedixerat, quid ex peccato proventurum foret, ut sic homo in divini praecepti observantia perseverans, seque in gratia lauta enutriens, atque in divinae participationis suavitate, morti nuncium remitteret, seque a Deo non separaret.

5. Nihilominus quum homo peccasset, misericors Deus et suae creaturae propitius, nequaquam eum crudeliter sed benigne potius damnavit: nam cum propria compositorum sit resolutio, contigit ut illo Dei decreto « tu es pulvis et in pul» verem reverteris » in dissolutionem ea res abiret, quae componendo fuerat formata. Postea tamen per suam divinam incarnationem reddidit Deus homini priscam suam formositatem cum resurrectione. Quid iam faciendum supererat, ob eum sanandum qui peccati causa fuerat infirmatus, nisi ut malum illud tolleretur, unde mortalitas orta fuerat? Ante praecepti transgressionem, mortem toti homini Deus comminatus fuerat, si forte delinqueret, hisce verbis: quo die de arbore comederis, qua tibi interdictum fuit, morte morieris: videlicet ut metu admonitus, suae voluntatis ad peccandum impetum cohiberet. Mox tamen culpa patrata, commotus misericordia Deus veniam animae rationali concessit, quae ob suam cum vili natura commixtionem, ad terreni corporis voluptatem semet inclinaverat. Nostri enim plasmatis conscius, pulverisque nativi memor, ut ait psaltes propheta, sententiae partem rescidit, id est decretum dimidiavit, uni corpori mortalem conditionem reservans hisce verbis: « tu es pulvis, et » in pulverem reverteris. » Hinc vero intelligimus, quod si forte aliquando anima rationalis voce divina omnino damnata fuerit, ea longe fiet a Deo sine ulla spe evigilandi, atque ad illas supernas partes aspirandi unde decidit. Nunc opus est, quae diximus, quasi sigillo firmare sanctorum patrum ac magistrorum sententiis. Nam si cuncta superius relata testimoniorum munimento vallabimus, rem susceptam apprime certam manifestamque efficiemus, quae his auctoritatibus septa, tamquam ornatu loricaque, invicta perstabit.

6. Athanasius igitur (de quo sanctus Cyrillus sic ait: vir hic apostolica invictaque mente praeditus contra vanas verborum technas a scelestis haereticis excogitatas depugnavit. Is instar balsami elaborati et suaviter redolentis, cunctos sub caeli tecto viventes iucunditate sua hilaravit intimoque gaudio delectavit; nemoque est qui rectitudini eius probaeque doctrinae testimonium non praebeat;) hic, inquam, Athanasius in oratione de corporali apparitione filii Dei domini ac servatoris nostri Iesu Christi haec scribit: etenim bonus est Deus, immo fons bonitatis *etc. usque ad* in mortis corruptione permansuros *(ut in edit. Athan. maurina T. I. p. 40.)* En ut perspicue corruptionem naturalem mortis nomine appellavit, quae animam a corpore separat: nam propria corporis est resolutio; ipsa autem resolutio mors est, id est separatio animae a corpore, seu ab illis rebus quibus constat corpus: etenim non de terra tantummodo humanum corpus compactum fuit, verum ex aliis quoque elementis affinibus: id quod manifeste innuit creator formatorque Deus, qui conversa ad Iobum facie sic ait interrogantis more: « num tu » lutum terrae accepisti, et formasti hominem, atque elo» quentem posuisti eum super terram? » Lutum sine dubio est pulvis ille aqua commixtus, qui partem etiam aëris cum igne coniuncti habet, ex quibus corpora subsistunt. Porro animal eloquens a formatore suo super terra collocatum, quid aliud denotat nisi hominem rationalem, rationali anima et corpore simul compactum? qui mortis resolutionem non pertulisset, si immortalitatis gratiam consecutus fuisset, et si non antea corruptionem animae, praeter naturalem suum statum, contraxisset, seque ad abominandam voluptatem inclinasset, violato praecepto. Etenim doctor utrumque significavit, nempe quod gratia, immortalitas ipsa fuit et participatio quaedam Dei atque illustratio, dum ait, datam eis gratiam lege et loco providentissime praemunivisse; vitium autem ex ipsorum mera malitia ortum, dicente ipso: si declinarent praevaricarentur atque improbi fierent. Porro vitium est animae passio, declinante mente ad rem illicitam. Quum enim dixerit, si declinarent, decenter admodum et convenientissime motuum li-

bertatem denotavit, et quod non praevaricandi potestas ipsis inesset.

7. Rem confirmat etiam Cyrillus, quod nempe non naturâ sed gratiâ spoliavit se homo ob suam declinationem. Namque in sua ad Tiberium diaconum aliosque fratres epistola, resolutionem sic definit: « nullam amisimus earum rerum, quae » nobis naturaliter insitae erant. » In primo autem ad evangelium Iohannis libro ait: « homo igitur animal rationale est, » ex anima terrenaque carne compositum, et tempore definitum: namque a Deo creatum, coepit existere, ita tamen » ut natura sua neque incorruptibile esset neque indelebile, » quae duo Dei tantummodo propria sunt *etc. (ut in ed. Aubert. T. IV. p.* 94-95.) *usque ad* retinente immortalitatem » anima. Uni enim carni dictum fuit, tu es pulvis et in pulverem reverteris. » Idem perspicue dixit sapiens quoque Athanasius in supra dicta oratione, in qua pergit dicere ac demonstrare quae sit illa peccati corruptio a natura aliena, quaeque item sit naturalis quae homini accidit per mortem corruptio. Sic enim ait: « homo natura sua mortalis est, quia » ex rebus accidentalibus factus est *etc. (ut ed. p.* 41.) *usque ad* qua re peracta, mortales facti sunt homines, vehementiusque adversus eos corruptio praevaluit, immo haec mortalitatis conditio ad universum hominum genus propagata » est; tantoque magis viguit corruptio, quanto Dei ira adversus eos inflammata fuerat propter praecepti transgressionem. » Manifeste igitur adfirmat et perspicue docet magister hic apostolicus, mortem hominis esse corruptionem compositique eius dissolutionem, quo per illud tempus indutus erat cum incorruptibilitatis immortalitatisque gratiam amisit, propterea quod legem praeceptumque impositum haud accurate observaverat, sed fraude serpentis et concupiscentiae impulsu cecidit; quod cum ageret, liberum suum exercuit arbitrium; corruptaque est intelligentia eius, ut ait apostolus, atque in hunc decidit morbum et corruptionem non naturalem; idque amavit quod minime amandum fuerat, elegitque quod volupe visum est, atque ita ab officio suo declinavit. Cur ergo nos corruptionis vocabulo unam tantum notionem attribuimus?

Cur, inquam, illam tantummodo hoc vocabulo appellamus corruptionem, quae extra naturam est, id est peccatum? Et non potius ipsam hominis mortem, hoc est compositi resolutionem, iusto nomine corruptionem naturalem dicimus?

8. Sed age sermonem nostrum provehentes, atque ad absurdam usque opinionem urgentes, quid vero, inquimus, num Deus creator corruptionis est? Id nemo nisi stultus dicet: hinc enim sequeretur, ut Deus illius corruptionis auctor esset, quae indebita naturae est, id est peccati. Etenim omnis creatura mutationi ac varietati obnoxia est: contra vero immutabilitas, solius Dei increati propria est cui vita congenita est: ipse enim est qui est. Profecto virtutes quoque caelestes et angelicae infra Deum iacent, quia creaturae rationales sunt, mutabiles atque variabiles: idque diabolus palam fecit, nec non alii qui cum eo bonitatem virtutis deseruerunt: etenim qui erant angeli, sponte sua proprium respectum a divina visione averterunt, atque in superbiam elati, deciderunt in illius mutationis corruptionisque morbum, qui proprius naturae non est. Sed etiam propheta Ezechiel Deum inducit cuidam Tyri principi sub allegoria, reapse autem diabolo, dicentem, qualis fuisset, et quomodo deinde pulsus, proiectus, et transformatus. Sic ergo ait: « et peccasti, et proiectus es » de monte Dei. Et tu Cherub de medio lapidum ignis; et » elevatum est cor tuum propter pulchritudinem tuam, et » corrupta est sapientia tua cum decore tuo. Propter multi» tudinem iniquitatum tuarum, in terram proieci te. » Hoc quidem loco igneos lapides dixit virtutes angelicas. Namque et alius propheta sanctos homines, et qui more angelico vivunt, sic appellavit dicens: « lapides sancti revoluti sunt » super terram. » Montem vero sanctum appellavit excelsum superiorum virtutum coetum, ex quo Cherubim illi, qui armigerorum instar ministrant, Satanam depulerunt, qui sapientiam suam corruperat, et superbia abreptus, gradus sui oblitus fuerat: etenim angeli hanc habent sapientiam, ut gradus sui non obliviscantur. Quamobrem divinus quoque Canticorum liber has ipsas virtutes appellat intelligentes, simplices, atque ordinatas. Ergone heic quoque dicendum est, Deum

esse mutationis sensuumque illius corruptionis auctorem, quae praeter naturam est? Absit. Ipse enim creaturarum naturarumque variabilium factor est; naturalis autem immutabilitas, unius naturae increatae propria est. Attribuerat porro Deus rationabilibus angelis tantum lucis, ut divina visione gloriaque frui possent; atque ut subsisterent, atque in Deo procul mutatione confirmarentur. Neque id solum, verum etiam ut cum apostolo dicerent « caritas Christi urget nos. » Sed quum Satanas, cum rebellantibus aliis virtutibus, aspectum suum ab hac beatitudine et gloria sponte avertisset, ipsi sibi mutationis suorumque sensuum corruptionis causa extiterunt, seque in tenebras coniecerunt: namque ut tenebrae dicuntur separatio a luce, sic illa, quae vere mors dicitur, a vera vita transmigratio est.

9. Sicut igitur, ob hactenus exposita, Deum mutabilium creaturarum auctorem, non autem mutationis et corruptionis dicimus, sic etiam constituti hominis, qui naturaliter compositus est et mortalis, convenientissime fatemur Deum esse conditorem, non autem mortis, resolutionis, corruptionisque naturalis. Poterat enim homo divinae imaginis et immortalitatis gratiam conservare, nisi antea mens eius mutata, et corruptionis morbo correpta fuisset (cuiusmodi tamen morbus alienus a natura est); atque ita pulveri, ut ait Ecclesiastes, resolutionique et naturali morti restitutus homo fuit. Nam propria naturae compositae erat resolutio, statim ac divina gratia spoliata foret: quod Deus ipse declaravit dicens: « quia tu pulvis es, et in pulverem reverteris. » Neque enim dixit: « quia tu nunc pulvis factus es, sed quia tu es, nempe » fies seu revolveris in id quod tibi naturaliter congenitum » est. » Quippe terrae congruit resolutio, quam tamen non esses passus, si vestem illam incorruptibilem conservasses, quae corpus indissolubile praestare poterat. Audienda est siquidem magni magistri Athanasii vox docentis, hominem natura sua esse mortalem, utpote factum de contingentibus rebus: quia tamen imago illius erat, qui essentialiter est, si visum suum constanter in Deum intendisset, vim utique naturalis corruptionis obtudisset, atque incorruptibilis permansis-

set, dicente Sapientia: « custodia legis est confirmatio incor- » ruptionis. » Quod autem angelici quoque spiritus intelligentes ac simplices mutationi sint obnoxii, magistrorum sententia adfirmat. Ille enim sapiens divusque Basilius in epistola ad Amphilochium, sanctos quoque spiritus egere demonstrat auxilio divini Spiritus, dicens: « gradum suum cum perseve- » rantia bona conservant, quamquam liberum voluntatis suae » habeant arbitrium; neque unquam a veri boni constantia » decident *etc. (lib. de Spiritu S. cap.* 16.) *usque ad* aeque ad virtutem vitiumque vertibiles; quamobrem Spiritus adiutorio indigent. » Eandem rem breviter riteque versat sanctus Cyrillus in sua ad Theodosium imperatorem oratione dicens: « nam quod subsistendi principium habere debuit, » idem in se insitam habet mutationis proprietatem. Deus au- » tem qui omnem intelligentiam excedit, aeternusque est, » quum omni tum factura tum etiam corruptione alienus re- » motusque sit, cuiusvis expers mutationis fit. » Sic etiam libro sexto in Iohannem ait: « Namque id omne quod factum » fuit, corruptibile est; quod si nondum corruptum fuerit, » nonnisi voluntate Dei conservatur incorruptum. Deus autem » naturaliter est incorruptibilis atque aeternus: quia dotes has » non ab aliena voluntate habet, ut ea quae creata sunt, sed » quia ipse in sua semper bonorum copia versatur, inter quae » aeternitas connumeratur. » Id ipsum ait ad Timotheum scribens apostolus: « rex regum, et dominus dominantium, » qui solus habet immortalitatem. » Secus vero creaturae immortales manent et incorruptibiles per voluntatem eius et gratiam; eiusque auxilium requirunt, etiamsi immortalem naturam, veluti angeli, sortitae sint. Nam Dei tantummodo, propria est immortalitas, ut vere loquamur, qui vita est et subsistentia omnium, et cuiusvis boni donator. Quam rem confirmat Cyrillus homilia XLV. in Lucam (1) dicens: « Solius

(1) Deperditi huius cyrilliani operis non modicas partes nos vulgavimus ex inedita praesertim Nicetae catena, AA. class. T. X, ubi in praef. p. XVII. disseruimus, utrum id opus homileticum fuerit, nec ne, veluti illud in Iohannem. Nunc autem homiliis reapse ad populum dictis constitisse apparet.

» propria est excelsae naturae, suscitandi mortuos facultas: » sola haec possidet immortalitatem: ab ipsa vero, quicum» que ab inferis revocantur, motum vitamque mutuantur. »

10. Hactenus demonstratum fuit, Deum esse creaturarum naturarumque mutabilium, non autem mutationum, auctorem: pariterque naturae quidem mortalis et corruptibilis esse creatorem, non tamen resolutionis, mortis, et corruptionis: quia iam inde a principio imperfectioni naturae consuluerat, donata gratia immortalitatis et participationis illuminationisque divinae, quae magna cum cautela conservanda fuerat. Sed enim Adam, non conservata hac gratia, propterea quod mens eius sponte infirmata fuit vetiti cibi cupiditate, adeo ut immutata fuerit, initiumque corruptionis admiserit, et peccaverit; Adam, inquam, causa sibi fuit resolutionis naturalisque corruptionis, quia compositus erat atque mortalis. Idcirco Dei Verbum, plasmatis nostri auctor, per quod Deus fecit omnia, cum unius suae gratiae beneficio eum qui ceciderat erigere voluit, eique in priorem gradum revocato gratiam immortalitatis reddere, haud id violenter egit divina sua potestate utens, sed prout iuris districtio postulat, aequum esse existimavit ut qui ceciderat, idem pro se pugnando a suo casu resurgeret. Sed nullius hominis tanta vis erat, ut in hac pugna victor existeret; veluti nulla aeque est creatura, quae illud Dei decretum delere valeat « tu es pulvis, et in pulve» rem reverteris. » Et tamen hominem de diabolo triumphare oportebat, qui eum deceperat viceratque, mortemque ipsi multo antea paraverat. Idcirco desperatae rei medicinam fecit ipsum Dei Verbum, sapientia virtusque Dei patris, adsumpta sine ulla sui mutatione humanitate, retentaque deitate, ita ut vere sit Deus simul et homo. Is Satanae fraudem in caput eiusdem retorsit, qui olim hominem deceperat dicens, fore ut Deus evaderet, si vetito cibo vesceretur.

11. Quum ergo, ut dixi, susceptum consilium fuisset proelium ineundi propter relevandam humani plasmatis oppressionem, quod naturaliter est corruptibile ac mortale; ipse hypostatice sibi copulavit victam illam naturam, quae gratiam immortalitatis amiserat, ut cum eadem mortali et passibili

adversarium adgrediens, manusque ut ita dicam conserens, spontanea ac salutari morte iure ac merito victoriam reportaret, gustata tamen morte in ea quae pati poterat carne sua. Adversarii autem mortem resurrectione sua publice protelavit, in qua secum universum hominum genus erexit, quia ipse primogenitus noster ex mortuis visus est. Quippe haec omnia nostri causa agebat ac moderabatur, qui in eum credimus, et in mortis eius similitudinem baptizamur, eiusque triduanam sepulturam, quatenus fieri potest, trino nostro baptismate mysticis in aquis imitamur, unde vires arrhamque resurrectionis sumimus, etiamsi communem mortem et ei consequentem naturalem corruptionem experturi sumus. Nova enim nativitas est hoc baptisma, quod in morte Domini fit, eius videlicet qui mortem in carne experturus venit, et quidem in hac tantummodo, ut scriptum est; et sua resurrectione mortem destruxit. Quamobrem ad Hebraeos scribens sapientissimus Paulus docet, Dei Verbum naturae ipsi nostrae participasse in eo quod mortis potestati subest, ut eo mortem oppugnans, vim illius destrueret, simulque diabolum, qui eiusdem viribus adversus nos praevaluerat. Ait enim: « quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse » similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum » qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant » servituti. » En ut aperte clamat hic gentium doctor, fidelisque divinorum mysteriorum dispensator, adfirmatque ideo Dei Verbum formae nostrae, id est carni et sanguini, participasse, quia mortem oppugnare volebat iis rebus, quae mortis potestati subsunt, et novum ut dixi certamen pro servitute nostra expedienda patrare. Atque haec ita se habere, probatissimi quoque ecclesiae magistri tradunt; et aliquoties etiam Iohannes Constantinopoleos episcopus, de cuius ore spiritalis undae copia fluebat, aperte testatur, veluti in explanatione epistolae ad Romanos, ubi ait: « est autem hoc grande victoriae signum, quia non aliam carnem adsumpsit quam » hanc ipsam humilem *etc. usque ad* sed ei in suae naturae » finibus retento, triumphum de peccato contulit; et resur» rectione concessa, immortalem fecit. »

12. Satisne ne igitur tua a Deo insita caritas consideravit quid dicant doctores? Dei nimirum Verbum salutis nostrae sollicitum, pugnavit cum morte in carne mortali, novumque pro nostra libertate conflictum sustinuit, et vicit, quia resurrectione sua carnem morti obnoxiam, fecit immortalem. Etenim hic doctor de carne Domini manifeste dixit, quod relata victoria tunc demum eam suscitaverit, feceritque immortalem. Namque et in superioribus idem doctor diserte haec dixerat: « Christus enim peccatricem carnem non habuit, sed similem » peccatrici nostrae; quippe eadem, ac nostra, natura est, » sed absque peccato. » Est itaque prorsus exploratum, nullum corruptionis vestigium, quod quidem a peccato proveniat, in carne Domini extitisse: sanctus enim iam inde a nativitate fuit et peccato impervius. Hoc sacri libri per Isaiam prophetam palam clamant: quia ante quam sciat puer bonum aut malum, reprobat malum. Quippe postea dicitur: peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius. Fatemur tamen eundem esse corruptioni illi obnoxium quae a morte est, nec non aliis doloribus atque passionibus reprehensione minime dignis, neque peccati macula inquinatis: est enim mortalis natura capax mortis, et has omnes infirmitates perpetitur. Nimirum Emmanuel, teste doctore, noluit pro casu nostro vi sua ac potestate pugnare, sed iure legitimo agere, quod sane civiliter fieri non poterat, nisi in carne pugnasset mortis capace; quam ita victricem resurrectione sua demonstravit, facta ea imputribili et immortali in qua mortem expertus fuit. Nihilo tamen minus de passionis tempore sic Isaias propheta loquitur: « non erat species ei neque decor, non habuit aspe» ctum neque pulchritudinem, sed aspectus eius transforma» tus fuit, et ab hominibus cunctis despectus. » Percussus et languorem perferens, peccata nostra obtulit super crucem. Quippe crimina nostra sibi imposuerat, quandoquidem ipse solus languores nostros perferre valebat, qui Deus reapse erat cum caro factus est, et sine ulla commutatione homo similis nobis evasit. Ideoque propheta addidit: « propter peccata po» puli mei venit ad mortem. » Neque id solum, sed prosequitur dicens: sublata est de terra vita eius, qui sponte descen-

derat ut mortem experiretur. Sublatus in altum abiit, partesque caeli superiores penetravit; quia ipse rex gloriae erat, vita essentialiter aeterna, ac virtutum dominus, et quia thronum excelsum possidebat, ubi eum caelorum virtutes agnoverunt. Interim tamen per oeconomiae rationem, et per spontaneam exinanitionem, obtulit se cruciatuum ignominiae, atque orbis contemptui, qui ei congruenter propter eam carnem accidit quam hypostatice et inseparabiliter sibi copulaverat; in qua passiones et ignominiam pertulit, quae adversus Deum hominem factum vim suam exseruerunt, quin tamen illud tangerent quod erat impassibile; nam id prorsus fieri non poterat.

13. Rem hanc confirmat sapiens Iohannes homilia octogesima in Iohannem scribens: « clarifica me, pater, apud temet » ipsum claritate quam habui prius quam mundus esset, » apud te. Quae porro haec gloria est *etc. usque ad* ideo Paulus subdidit: « si patiemur cum ipso, cum eodem glori- » ficabimur. » Quid evidentius dici potest ob demonstrandum, ipsam illam, quam doctor dixit ingloriam, dum Emmanuel morte tenebatur, carnem suscitasse, immortalemque fecisse, et tunc demum incorruptibilitate frui coepisse, qua carebat ante passionem. Quamvis enim carnem suam facere poterat incorruptibilem impassibilemque iam inde a primo unionis seu susceptae incarnationis momento, maluit tamen novum certamen pro reparanda clade nostra inire, haud equidem plurima vi Dei, sed prout ius postulabat, nempe cum morte in carne passibili, corruptibili, ac mortali colluctari, eamque per resurrectionem suam profligare. Sic etiam nos ducem hunc sequentes et primogenitum mortuorum, gustata morte, et deinde ad vitam revocati, caelestis regni gloria immortaliter perfruemur. Ait enim hic doctor, nos quoque, si expergiscemur, huiusmet gloriae fore participes, iuxta modulum nostrum et capacitatem. Nam Deus quidem Verbum, nihil ab incarnatione addi voluit tamquam gloriae suae incrementum, quia nulla re eget, teste evangelista: « vidimus » gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gra- » tiae et veritatis. » Verumtamen semet ipsum humiliavit,

factus homo sine immutatione; et nobiscum versatus est, iuxta rationem nostram modumque; et rerum nostrarum factus est trames, quem ipse sectatus, ad veram carnis mortem, cuius haec capax erat, pervenit: atque ita post resurrectionem a mortuis coepit pro nobis esse immortalis, incorruptibilis, et impassibilis, ut nos post eum ambulemus. Cur autem sit ei indecorum, qui Deus erat ditissimus, et mox caro factus paupertatem non recusavit, cur inquam minime deceat, pugnam nobis debitam ipsum excipere in carne corruptibili, passibili, ac mortali; et cum his nostris proprietatibus, iusto iure non violenter mortem vincere, viamque ad resurrectionem, immortalitatem, incorruptibilitatemque munire credentibus cunctis, quorum naturae, caro factus, participavit?

14. Videsis, quaeso, quomodo hic idem doctor in explanatione epistolae ad Romanos loquatur: « corpus quod modo » vivit, nequaquam tunc morietur. Nunc corpus mortifica, » ne moriatur: nam si vivit, non vivet; contra si moritur, » tunc vivet; id quod in generali quoque resurrectione acci- » det *etc. usque ad* ut ipse ait in evangelio, se nostri simi- » lem factum, excepto peccato. » Etenim is naturae non peccato participavit, quod certe ad hominis substantiam non pertinet, sed spontanea quaedam infirmitas est. Simul vero definitionem nostrae naturae scribit, nempe quod simus animal rationale ac mortale, mentis et intelligentiae capax. Sic etiam sapientissimus Cyrillus adversus impium Diodorum (1): « Haec est, o noster sodalis, naturae humanae definitio, quae » dicitur substantia animalis, rationalis, atque mortalis. » Sic item libro sexto in Iohannem: « namque humanae naturae definitio est, animal rationale ac mortale, mente et in- » telligentia praeditum. » Iam vero ille nostrae naturae auctor, qui eam mortalem simul et rationalem creaverat, hanc ipsam secum hypostatice copulavit naturam, unicus existens ex duabus perfectis deitate et humanitate, ipse idemque Deus et homo, una persona, una natura eiusdem Verbi incarna-

(1) Diodorum nempe tarsensem, adversus quem tres, nunc deperditos, libros Cyrillus edidit

ta (1), ut quod nobis deerat redderet, id est gratiam immortalitatis per resurrectionem, qui est reditus ad priorem statum. Iam verba ab eo pronunciata, cum se sponte ad tolerandam crucem parabat, atque ad mortem in conflictu cum diabolo subeundam, qui mortis imperium tenet; verba, inquam, venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam, haud sane significant, quod passibile ac mortale corpus in me non inveniat, sed quod nullum prorsus peccatum in me deprehendat, nec maculae vestigium, nec quidvis denique reprehensione dignum. Etenim primus peccati inventor diabolus est; quod tamen nemo nonnisi adquisitum habet; neque enim id ad naturam substantiamve pertinet, sed est infirmitas quaedam voluntati inhaerens eorum qui peccatum adamant, qui desiderio scelerum flagrant in mundana vita pervulgatorum: ideo princeps mundi vocatur, quia dux fuit et doctor mali eius quod in mundo est dilatatum. Hoc Iohannes quoque evangelista in sua epistola ait: « nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia saeculi, quae non sunt a Deo sed ex mundo. » Quamobrem ait Dominus in evangelio discipulis suis: vos non estis de hoc mundo; videlicet suavitati passionum non estis dediti, quarum antesignanus est diabolus.

15. Quippe ille Dei verbum Christus una cum Patre ac Spiritu sancto auctor et rex est humanae naturae, ceterarumque omnium creatarum rerum; quae natura, quamquam ob Adami peccatum immortalitem amisit, haud tamen desiit opus esse illius qui ipsam creavit; cui certe nullam attulit ignominiam humanatio, qua mortalem carnem assumpsit, anima intelligente praeditam, ut sic iustam de diabolo victoriam reportaret, qui tenet mortis imperium. Nam si forte Christus particeps fuisset eius culpae, ob quam humana creatura gratiam immortalitatis amisit, quod Adamo peccanti ac-

(1) S. Cyrilli locutio haec utique est, sed a Severo perverse adhibita et intellecta.

cidit; tunc utique mors eius in carne, dedecus illi attulisset. Sed quia humanam naturam mortalem, debilem languentemque repertam, medici instar assumpsit, sibique personaliter copulavit, eaque indutus bellum cum illo gessit, qui morti praesidet, quin tamen ullam culpae labem contraheret, profecto iustissime ante suam salutarem crucifixionem ait: « venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam. » Hoc testatur egregia ac docta Cyrilli sententia, qui ait libro x. in evang. Iohannis: venit princeps huius mundi etc. Videlicet de nullo peccato me quisquam arguit etc. *usque ad* mors autem corporis nil aliud esse putatur, quam animae ab hac vita sensibili separatio. Sanctus item Gregorius Nyssae episcopus in sua catechetica oratione rem confirmat. Quis igitur ita insaniit, ut contra divinorum librorum auctoritatem, Dei ac salvatoris nostri Iesu Christi mortem, quae nil aliud fuit nisi animae discessus a corpore, ausus sit appellare separationem a Deo, illam scilicet quam animae peccatum infert? siquidem ipse nullum admisit peccatum, nec inventus est quilibet dolus in ore eius. Nemo itaque inani rei bonae fiducia pastus, veram Christi mortem neget atque salutem, quam carne sua operatus est, quam reapse fieri oportuit in corpore passioni, morti, corruptionique obnoxio. Merito igitur ille alter Adam, ille ecclesiae princeps, ille ex mortuis primogenitus, ille resurrectionis antesignanus, carnem suam, quae antea corruptibilis erat passibilis atque mortalis, postea incorruptibilem reddidit, impassibilem atque immortalem; quandoquidem via initiumque nostrae resurrectionis, nostraeque impassibilitatis atque immortalitatis factus est.

16. Confirmantur haec verbis sancti Iohannis episcopi constantinopolitani in explanatione evangelii secundum Matthaeum, quo loco Domini illud ad discipulos suos dictum declarat « non » bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, » cum illud bibam vobiscum novum. Ait igitur: testes vos » appello, quia me resurgentem videbitis. Quid autem illud » novum? nempe praeter consuetudinem, quia deinceps cor- » pus meum passibile non erit, immo immortale atque in- » corruptibile, quod nulla alimonia egebit. Quamobrem, haud

» sane necessitate ulla compulsus cibum potumque post resur-
» rectionem cepit, neutro enim corpus eius tunc indigebat,
» sed ut his actibus resurrectionem suam comprobaret. » Iam vero quum haec docta vox alte ac laudabiliter, tubaque sonorius clamet adfirmans eiusdem corporis imputribilitatem, impassibilitatem, et immortalitatem, simulque his contraria; et quod Domini corpus post resurrectionem tantummodo incorruptibilitate, impassibilitate, atque immortalitate praeditum evaserit; cur Sanctitas tua, sermone ad adversarium converso, contra hoc dogma sic effata est? « Nemo sibi persuadeat,
» Domini corpus vel tunc fuisse passibile cum sponte patie-
» batur; semper enim ei comes incorruptibilitas fuit. Porro
» nec sancti Cyrilli verba, ulterius corruptibile, ita intelli-
» genda sunt, quasi antea fuerit corruptibile, et quasi evi-
» denter demonstratum fuerit, post resurrectionem tantum-
» modo fuisse incorruptibile, illud quod secundum naturae
» proprietatem erat incorruptibile. Etenim de natura corru-
» ptibili sumptum fuit id, quod propter suam cum Verbo
» coniunctionem effectum est incorruptibile; quod reapse nulli
» se corruptioni obnoxium voluit, neque in conceptu, neque
» in obitu, utpote carens generalibus seu intimis naturae nos-
» trae proprietatibus, veluti Gregorius quoque nyssenus in
» oratione sua catechetica adfirmat. »

17. Sed age iam dispiciamus quomodo verba tua cum orthodoxorum magistrorum dictis consentiant, qui favente divino Spiritu divinorum sensum librorum enucleaverunt. Sanctus quidem Iohannes in laudata retro homilia ait, Christi carnem nullum gaudium sensisse, quod caducitate careret, ante resurrectionem. Additque: quia nondum carnis natura glorificata fuerat, idcirco nullum gaudium nisi caducum percepisse, neque throni regalis participem fuisse etc. Tu contra, o Dei amator, dixisti quod in Domini corpore passibili, tunc etiam cum sponte pro aliis patiebatur, incorruptibilitas haeserit. Atqui si incorruptibile id fuit, impassibile, et immortale, cur tu id ipsum passibile appellas? Quod enim est incorruptibile et impassibile, hoc certe pati nequit. Ergo mors Domini, mera phantasia est, non res vera. Qui enim fieri

potest ut mors illi dominetur qui immortalis, incorruptibilis, impassibilisque est? Neque ille destructus fuisset qui mortis imperium tenet, et Paulus loquitur, nisi antea victus fuisset iismet quibus regnabat instrumentis. Ait enim apostolus, Dei Verbum participasse carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Nam si forte, quia Verbum humanatum carni et sanguini participaverat, idcirco caro eius incorruptibilis, impassibilis, atque immortalis futura erat, num mortis imperium tunc fuisset abolitum? Immo vero supervacanea mors Christi fuisset, frustraque dixisset apostolus: ut per mortem destrueret illum qui mortis imperium tenebat. Tunc enim nulla iam quaestio foret; quia caro morti obnoxia non fuisset, iisque passionibus quae peccato carent. Res tamen non ita se habet; ac ne illud quidem verum est quod ais: « non quod antea fuerit » Christi corpus corruptibile, sed quia tantummodo mente » concipitur fuisse corruptibile. » Etenim perspicue demonstravimus, post resurrectionem tantummodo factum esse incorruptibile.

18. Quod si tu incorruptibilem, impassibilem, sanctamque adfirmas Christi carnem, iam inde a tempore factae unionis, et corruptionem intelligis illam quae de peccato deformibusque passionibus manat, utique ob id demonstrandum non est opus, ut tu ais, resurrectione: id enim vel ex his verbis constat: iniquitatem non fecit, neque inventus est dolus in ore eius; et reprobavit malum, ut ait scriptura, ab incunabulis, bonumque firmiter sectatus est. Est enim et Deus et natura bonus is qui incarnatus est, et homo factus. Quamobrem ipse quoque cum illa quae Dei propria est securitate Iudaeis dixit: quis ex vobis arguet me de peccato? Iam si tu dixeris incorruptibilem atque impassibilem carnem eius ante etiam fuisse, atque eatenus tantum appellari corruptibilem atque passibilem, quatenus de nostro corruptibili passibilique genere sumpta fuit, sed eam reapse iam inde ab unionis momento praeditam fuisse incorruptibilitate et impassibilitate, tunc enimvero adversus te insurgentes atque exclamantes audies omnes illos verorum mysteriorum magistros. Etenim iam audivimus

Iohannem in homilia nuper laudata dicentem: « Christus peccatricem carnem non habuit, sed peccatrici nostrae similem. Idem in nostra natura peccato non fuit obnoxius *etc. usque ad* et tum demum post victoriam, suscitavit ipsam fecitque immortalem. » Duobus his argumentis aperte declaravit, Dei Verbum corpus suum post resurrectionem quidem effecisse incorruptibile atque immortale, ante ipsam tamen in sua illud natura continuisse, ut pro expedienda nostra captivitate certaret, mortemque cum illa natura vinceret, quae per se mortalis est atque passibilis, et dolorum mortisque capax. Idem porro magister appellavit simul incorruptibilem, impassibilem, atque immortalem eam ipsam carnem, quam heic dicit factam esse immortalem propter resurrectionem. Etenim hoc quoque eum dicentem audivimus: nequaquam tum cum adhuc corpus habebat passibile, sed postea quam iam illud non erat passibile neque corruptibile, neque alimonia indigens. Ergo post resurrectionem manducavit bibitque, non quia corpus ea re indigeret, sed ut ita resurrectionem suam veram adsereret. Pariter in explanatione epistolae primae ad Corinthios demonstrat, haudquaquam ab incarnatione sed a morte Christi ac resurrectione ortam esse immortalitatem, ac tyrannicae dominantis mortis destructionem. Sic enim scribit: « viden ut pedemptim ab eorum verbis, itemque ex eo quod resurrectioni non credunt, universa sacrae oeconomiae ratio subvertitur? Nunc vero nihil ait de adsumpta carne, sed de resurrectione loquitur; etenim non incarnatione sed morte mortem destruxit; siquidem dum adhuc in carne esset, mortis tyrannica dominatio vigebat. »

19. Iam patres sacrum et potestate peccandi carens corpus Dei ac servatoris nostri Christi, nequaquam impassibile aut incorruptibile appellant ante resurrectionem, immo potius diserte passibile et corruptibile, propterea quod capax patiendi erat, et naturalibus illis obnoxium passionibus quae vituperio carent; quas reapse pertulit, ipso permittente Verbo, prout ei libebat, non autem ex necessitate quia de corruptibili natura sumptum fuisset. Neque tamen iam inde ab incarnatione corruptibilitate caruit, neque passionibus non fuit obnoxium,

ut tua Sanctitas dicit. Idem doctor Iohannes rem ostendit etiam in LXVII. homilia in evangelium Iohannis ubi explanat declaratque Christi verba: nunc anima mea turbata est. Sic ergo ait: « veluti si quis dicat, etsi nos turbamur atque extimescimus, non tamen mortem fugimus *etc. usque ad* Christus porro corpus habuit peccato quidem inviolatum, haud tamen naturalibus affectionibus liberum; alioqui corpus non fuisset. » Iam his verbis doctor num forte negat Emmanuelem haec sponte fuisse passum? Minime. Immo eius de recta fide oratio mediam viam tenet, semitamque prudentiae, quae neque dextrorsum flectit neque sinistrorsum, ut ait scriptura. Namque in homilia LXXXV. in idem Iohannis evangelium ait: « postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, nempe quod nihil perficiendae oeconomiae deerat etc. idcirco ait: potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem item resumendi eam. Sciens itaque quia omnia consummata sunt dixit: sitio; quo pariter vaticinium complevit. » Eundem hunc explanat locum, thesaurus ille eruditionis probus Cyrillus libro XII. in Iohannem scribens: « consummato iam impiorum Iudaeorum adversus Christum scelere, ad extremum caro eius quandam adhuc naturae suae propriam passionem pertulit: etenim variis cruciatibus exsiccata, siti vexari coepit *etc. usque ad* sed sicuti cetera, sic etiam sitim sponte passus est Christus; ideoque potum poposcit. » Viden peremptoriam rei demonstrationem? Dum enim diceret carnis propriam fuisse passionem, ne sitis quidem passionem excepit. Immo addidit: quum Dei Verbum, in hac natura incarnatum, sitis passionem a se propulsare posset, nihilominus ipse, qui supra omnes passiones eminet, hanc quoque sitis ut ceteras sponte pertulit. Poscit ergo sibi potum propinari is in quo omnia vivunt et subsistunt: sua enim caro illa erat, sibi obnoxia, et potum postulans.

20. Eodem in libro prudens ille sacerdos haec insuper ait: « ideo singulari consilio dominus noster Iesus Christus quamdiu nondum in sibi debitam et convenientem gloriam templum suum transformaverat, prima adhuc in forma apparebat, quia in alio corpore aut forma nolebat resurrectio-

» nem suam comprobare, quam in illa quam de Virgine sumpserat *etc. usque ad* quod autem clausis ianuis ingressus » est Dominus, nemo sana mente praeditus inter eius pro» digia non numerabit. » Adhuc ne contendimus utrum Domini corpus passibile ac corruptibile fuerit ante crucifixionem? Hoc aiunt Cyrillus, aliique inclyti rectae fidei praecones atque magistri: minime vero, ut tua a Deo donata caritas dicit, sic esse appellatum, quia de genere nostro passibili ac corruptibili est: nam revera potius corrumpi, pati, naturalibusque passionibus, dummodo carerent peccato, mortique ipsi debuit esse subiectum, ut deinde per eius resurrectionem, tyrannicum mortis imperium destrueretur. Idcirco doctor ille dixit: etenim nisi eius corpus resuscitatum fuisset, quaenam mors esset devicta? quomodo corruptionis imperium cessasset? Ergo victoria de morte, et corruptionis cessatio, resurrectioni debetur: cuius intuitu excellens ille inter apostolos Petrus ait illud effatum in rem fuisse collatum: non detinebitur in morte, neque caro eius videbit corruptionem. Profecto haud affirmavit, ipsum a morte non fuisse detentum, quasi mortuus non fuerit; etenim in concione Iudaeorum, de servatore nostro Christo ait: hunc definito consilio et praescientia Dei tradidistis in impiorum manus, et crucifixum occidistis. Subiecitque: hunc Deus suscitavit, solutis inferni doloribus. Insuper heic denotat, resurrectionem de loco clauso non evenisse: clausura enim perpetuam retentionem indicat. Ergo apte resurrectionem vocitavit solutionem dolorum mortis; quia nimirum veluti ex quodam doloris ventre, nempe de mortis vinculis atque inferni rimis Christus emersit; et admirandae nativitatis instar surrexit; ideoque primogenitus quoque ex mortuis dictus est.

21. Rem egregie portendit Ionas propheta, et ceti venter: etenim qui absorptus intra illum ventrem vivus degebat, is tamquam ab ore Servatoris, quem repraesentabat, sic aiebat, patri Deo suas preces offerens, qui nos per eius unigeniti mortem, corruptionis vinculis expedivit: de ventre inferi clamavi, et exaudisti clamorem meum. Et mox: subleva de corruptione vitam meam, domine Deus meus; ventrem scilicet

inferni et corruptionis, piscis ventrem appellans; namque hic revera figura illius erat, a quo Emmanuel resurgens retineri non potuit. Idcirco apostolus Petrus, repetita locutione, adhuc memorat resurrectionem, cuius causa dictum fuit de Christo: non est derelictus in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Eadem sententia sancti Cyrilli est, qui Ionam explanans ait: « comperimus divum Petrum verba illa Davidis » ad eum referre: quia non dereliquisti animam meam in in» ferno, neque dedisti sanctum tuum videre corruptionem: » tertia enim die resurrexit, quia neque claudi neque vin» culis mortis teneri is poterat, qui est naturaliter vita. » Hoc nimirum significant verba, non videbit caro eius corruptionem. Verumtamen incorruptibilitatem eius et immortalitatem, a resurrectione derivat quae post triduum accidit, atque ab eo qui mortis vinculis claudi non potuit, quod alioqui vocabulum perfectam captivitatem denotat. Atqui nemo tam divinis libris adversus erit, qui Christi servatoris nostri corpus, id est verbum caro factum, neget a morte fuisse correptum, eamque in carne sua mortalitati obnoxia fuisse expertum. Etenim praedictum doctorem audivimus sic dicentem: quia mortis imperium nonnisi in carne exercetur, a qua ipsa depulsum fuit. Nisi Christi mortuum corpus suscitatum fuisset, quaenam mors victa diceretur? Quomodo corruptionis imperium cessasset? quandoquidem nulla rationalis creatura, nec anima scilicet neque angelus, mortem adiit. Namque illos omittamus qui Dei Verbum extinctum aiunt. Quum itaque mors nonnisi in id quod naturaliter est corruptibile, ius habeat, hinc nimirum apparet quanta vis fuerit resurrectionis, per quam tyrannica illius potestas destructa est. Similiter in oratione ad Theodosium imperatorem, de carne in iure mortis detenta, de descensu ad inferos, de sepultura, de corruptione sic ait: « affirmare non licet, carnem illam Verbo » unitam, in corruptione fuisse retentam, neque divinam il» lam animam inferis fuisse clausam: non enim fuit dereli» cta in inferno, teste beato Petro. »

22. Quod si forte tua Sanctitas, hoc absolute intelligendum dicet, nempe quod nulla Christi carni corruptio accesserit a

passione, neque mortem gustaverit, neque famem aut sitim aut labores aut vulnera crucifixionis experta fuerit; tunc sapiens idem Cyrillus nobis respondebit, qui in medium progressus, seque ipsum interpretans, elata vehementique voce clamabit: in eo quod suapte natura corrumpi potest, et in quod ius suum mors exercet, in hoc inquam resurrectionis vires vere meritoque fuisse exercitas. Nam nisi corpus illud ipsum surrexisset, quaenam mors victa fuisset? Quomodo corruptionis imperium cessasset? Ergo mortis corruptela in illud dominata est, quod corrumpi, pati, morique potest; vereque in carne pro nobis omnibus mortuus est Emmanuel: contra vero illud desiit, quod adversus idem regnaverat, eiecto scilicet quod deglutiverat; veluti Ionam piscis evomuit. Ille pariter sancta memoria dignus Proclus, qui Constantinopoleos episcopatum tenuit, in homilia quam in Anthimi ecclesia recitavit, dum ibi sollemnitas passionis dominicae perageretur (1), sic breviter ait: « mors illud evomit quod absorbuerat; neque sepulcrum sensit, se resurrectionis fuisse thesaurum. »

23. Verumtamen excellens tua caritas, doctrinae propriae confirmandae intenta, existimavit vocabulum corruptionis tam pleno idoneoque sensu esse intelligendum, ut prorsus iudicemus numquam Christum expertum esse vel gustavisse passionis corruptionem. Scripsisti enim: « ideo dictum est, non vidit corruptionem. Porro corruptibilitatis nomine denotamus id quod exterius est; iter vero ad corruptionem, transitio quaedam est. Quod si is corruptionem non vidit iam inde ab initio, quomodo postea sub corruptionem devenit? Quod ab initio non apparuit, ne in fine quidem conspici potuit. » Atque ob id confirmandum, exterorum quoque sapientium auctoritatem attulit id adfirmantium. Equidem haec haud novi, quia non satis expertus, immo tiro, sum in sapientia ethnica: etsi enim coeperam olim paululum in ea erudiri, mox tamen agnita Christi philosophia, ethnicam statim cum contemptu repuli, eique vivendi cogitandique simplicitatem praetuli. Perspicue tamen scio, Cyrillum illum ethnica

(1) Est ex deperditis haec S. Procli homilia.

simul christianaque sapientia plenissimum, corruptibilitatem et corruptionem indifferenter nuncupasse, nihil inter has interesse denotans. Quam enim David propheta et Petrus apostolus dixerunt corruptibilitatem (ait enim prior: non dedisti sanctum tuum videre corruptibilitatem; secundus autem: neque caro eius vidit corruptibilitatem) hanc ipsam sapientissimus Cyrillus corruptionem vocitavit, qui nimirum apostoli verbis inhaerens ait: affirmare non licet, carnem illam Verbo unitam in corruptione fuisse detentam, neque divinam illam animam portis inferorum fuisse conclusam; quia non est derelicta in inferno, ut ait etiam divus Petrus. Ipsi inspirati libri, quod David ita expressit non dedisti sanctum tuum videre corruptionem, in Ionae prophetae historia corruptionis vocabulo nuncuparunt. Is enim qui in sinu piscis, illum praefigurabat, qui in ventre inferorum futurus erat, exclamavit ita: et sublevabis de corruptione vitam meam. Quem locum explanans sapientissimus Cyrillus ita scribit: « et fuit in corde » terrae tribus diebus et tribus noctibus. Pervenit deinde ad » maris usque scaturigines, et per abyssi fundum incessit: » in montium veluti fissuris iacuit, atque in illam regionem » descendit cuius ianuae aeternaliter sunt obstructae. Inde » autem, postquam inferos depraedatus est, et animabus ibi » detentis praedicavit, portasque illas invictas pessumdedit, » denuo emersit, quia sublevavit animam suam de corru» ptione. » Hactenus demonstravimus, indifferenter dici corruptibilitatem atque corruptionem.

24. Sed enim ex divinis quoque verbis facile admodum ostendere possumus, corruptibilitatis vocabulum haud significare inchoationem quandam aut principium aut transeuntem rem, uti tu ais; immo potius denotare omnigenam detentionem et corruptionis perfectae affluentiam, quae est alienatio a Deo: etenim humana mors dum hominis compositionem solvit, et subiectam sibi materiam corrumpit, haud idcirco hominem a Deo abalienat, cum scriptum sit: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Contra vero: mors peccatorum pessima. Utrumque id David propheta docuit et adfirmavit. Quis autem nescit, neminem graviorem corruptio-

nem passum esse, quam diabolum? qui certe summa consummataque corruptione semet pessumdedit. Namque ipse Deus cum Ezechiele loquens ait de diabolo: corrupisti sapientiam tuam cum decore tuo, propter multitudinem peccatorum tuorum proieci te super terram. David autem de omnimoda perditione loquens, vocabulo corruptibilitatis utitur dicens: tu autem Deus descendere fac eos in puteum corruptibilitatis. Pariter Hieremias ait: et abii ad Euphratem, et fodi, et tuli lumbare de loco ubi absconderam, et ecce corruptum erat, ita ut nulli usui aptum esset. Insuper ait: et adducam super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occidendum, canes ad lacerandum, bestias terrae et volucres caeli ad devorandum, et corruptibilitatem. Prolixior fierem, si alios similes locos proferrem: satis enim hi quos posuimus nobis demonstrant, corruptibilitatis vocabulo nequaquam denotari initium ac veluti inchoationem corruptionis, verum ipsam consummationem finemque, damnique in rem occupatam transitum atque possessum, haud secus quam sagittarum in vulneratum corpus ruentium, vel flammae in silvam discurrentis eamque absumentis. Hactenus haec; etiamsi antea satis dixeramus incorruptibilitatis et corruptionis vocabula indifferenter usurpari in sacris libris.

Huc usque Severum ad litteram latinum feci. Nunc quia prolixior hic auctor est, quam meae occupationes ferant, et quia rem eandem docte quidem sed prope ad satietatem sus deque versat, ego quidem tam ex reliquo hoc tractatu, quam ex sequente nonnisi auctoritates priscorum Patrum, quotquot erunt ineditae, excerpendas curabo: id quod olim in inedito quoque Iustiniani imp. tractatu feci. Script. veter. T. VII. p. 300.

Diodorum, qui Christum nihil aliud quam simplex corpus habuisse dicebat, primoque Deum in Virgine foetum efformavisse, deinde in eo per caritatem habitasse, sic Cyrillus refutabat. « O mi reverende, qui stulta ac turpissima verba » effutis; sacrum quidem corpus illud de Maria sumptum in» firmitati erat obnoxium, sed tamen iam inde ab eius con-

» cretionis initio, et in utero subsistentiae, sanctum utique » semper fuit, quia Christi corpus erat; nullumque temporis » intervallum fuit, quo illud non possederit. Porro simplex, » ut ais, est, ceteris carnibus comparatum. » Insuper idem Cyrillus Theodorum (1) castigat, qui dixerat sanctitatis virtutisque in Christo defectum, quo tempore ab inimico tentatus fuit, a superveniente in eum sub columbae specie Spiritu sancto fuisse suppletum. Sic ergo Cyrillus. « Ille autem » ore suo dilatato, et laxatis blasphemiae habenis, dixit Christi imperfectam sanctitatem fuisse, neque eius culmen attigisse ante quam Spiritus sanctus sub columbae specie in » eum descendisset. Quid ni autem perfectus erat? Certe qui » est imperfectus, peccato carere nequit: etenim qui una in » parte sanctus creditur, in alia infirmus putatur. Alioqui » quinam iste defectus erat, quem ei Spiritus sanctus supplevit, ut altera quoque pars perfecta evaderet, atque diaboli impetum frangeret, ut adversarius adserit? Porro non » sanctus tantummodo, et quidem perfectissime erat, verum » etiam plena potentia is praeditus erat, qui dolores atque » omne genus infirmitatis sanabat. » Idem doctor libro eodem, paucis interiectis, haec etiam scribit. « Quum Deus » suapte natura esset, verusque Dei patris filius, humanam » formam sibi induit, suam faciens carnem illam quam de » sancta Virgine sumpsit, quae profecto caro Dei est, et potestate divina pollens. Idcirco Christus vivificans quoque » fuit, et infirmitatum sanator, mortisque destructor. » Paria his dicit idem Cyrillus in tractatibus, quibus Matthaeum explanavit (2), de Petri socru eiusque sanatione verba faciens: « etenim sanitatem tribuit, uti Deus, dum iacenti illi manus » suae contactum largitus est. Cur id, inquam? Nempe ut

(1) Praedicto opere, iamdiu amisso, contra Diodorum tarsensem Cyrillus Theodorum quoque mopsuestenum refutaverat, qui ambo habentur nestoriani erroris satores. In collectione canonica Ebediesu sobensis a nobis edita Script. vet. T. X. tres hi Diodorus, Theodorus, atque Nestorius dicuntur sectae splendida et sanctissima luminaria. Fuit igitur congruum ut Cyrillus Nestorii strenuissimus adversarius, contra Diodorum quoque atque Theodorum arma expediret.

(2) Hoc quoque S. Cyrilli opus desideramus.

» demonstraret, corpus suum pari ac naturam divinam potestate praeditum esse infirmos sanandi. Etenim illud corpus » haud hominis erat, sed Verbi omnia pro sua voluntate administrantis. »

Iulius quoque, romanae ecclesiae lumen, in suo de unione quae in Christo est tractatu, seu de corporis cum divinitate coniunctione sic ait. « Cum dixit, clarifica me, vox quidem » a corpore proveniebat, ad quod nimirum ea gloria pertinuit: reapse tamen eadem de toto praedicatur, quia totum » illud unum est. Quod vero addidit, claritate illa quam habui apud te ante quam mundus esset, id quidem deitatem » indicat quae semper in gloria fuit. Etsi vero haec specialiter propria deitatis est, nihilominus de composito generaliter dicta fuit. Atque ita sub Dei nomine, quod spiritûs invisibilis proprium est, caro quoque intelligitur, quae » unitum sibi habet id quod Dei proprium est, qui Deus » nostrae naturae copulatus est, quin corporis natura se per » illam unionem commutaret, quam cum eo habet qui est » Deo consubstantialis, communicato simul quod est proprium » nostrae naturae: sicuti ne deitatis quidem natura varietatem ullam passa est, propter corporis communionem, et » propter nostrae naturae denominationem. »

Pergit vero Severus dicere sic. Verba haec pudore afficiunt Diodorum ac Theodorum, qui servatorem nostrum ac dominum Iesum Christum, unum esse filium noluerunt agnoscere, eundemque gloria plenum, quippe Deum naturâ, eundemque glorificatum, carnem hominemque factum pro nobis. Verum hi solum illum unicumque filium in duos dividunt; quorum unum, filium verum Dei patris appellant, dominumque gloriae utpote Deum: alterum vero, hominis tantummodo filium dicunt, de semine nempe David et de Maria; qui gratiose assumptus fuerit ad intimam cum Deo Verbo amicitiam; atque ob id, honoris ergo ac veluti doni instar, filii Dei appellationem sortitus sit, atque ut gloria et filii dignitate frueretur. Sic quidem hi. Verumtamen sapientissimus Cyrillus, scripto eos obiurgat docens, quod quia unus est Emmanuel, idcirco nihil ei deest, sive naturae, sive gloriae, sive verae filii qua-

litatis, sive cuiuslibet attributi deitatis. Nec vero aliquid lapsu temporis lucratus est, neque quicquam ab exterioribus ei accessit; quia Deus de Deo est; neque suam umquam immutabilem subsistentiam amisit, etiamsi verus factus est homo. En autem ut adamussim Cyrillus loquitur adversus Diodorum. « Audes etiam herilibus formis illum induere, qui, ut » ait, homo est de Maria, et qui initio a nobis nullatenus » diversus erat aut superior, sed postea multo conamine filii » nomen gloriamque divinam promeritus est, postea quam » scilicet de ventre exierat. Igitur duo, te censente, sunt filii; » novusque Deus est Christus, qui a Deo supernaturali ho- » nore adfectus est, magis aliquanto quam reliquae creatu- » rae, ut cum simplici homine adoretur is qui lapsu tempo- » ris, nec nisi sub finem gloriam possedit, factusque est Tri- » nitatis complementum, naturâ aequalis. »

Item in homilia vigesima octava supra centesimam in Lucam (1) idem Cyrillus ait. « Etiamsi igitur suamet natura » Deus est, nihilominus factus homo, dicitur nomen acce- » pisse a Deo patre quod est super omne nomen, ut et Deus » crederetur, et omnium rex simul cum carne cui se copu- » lavit. Passus autem nostri causa crucis supplicium, et mor- » te in suo corpore per resurrectionem destructa, ascendit ad » patrem. »

Idem rursus Cyrillus libro tertio decimo in Matthaeum similia scribit. « Etenim per resurrectionem a mortuis, iterum » humana natura imputribilitatis capax est facta: quae res » coepit in Christo, qui idcirco secundus Adam, primus dor- » mientium, et primogenitus ex mortuis vocitatur. »

Idem sanctus Cyrillus libro eodem XIII. in Matthaeum. « Maestus fuit dolensque Servator noster, nostrasque passio- » nes pertulit, etiamsi Deus esset dolore omni liber et excel- » sior, ut nos scilicet veram in ipso humanitatem agnosca- » mus. Etenim scriptum est, eum itinere fuisse lassatum, li- » cet dominus virtutum sit rerumque omnium potestas. Simi- » liter esuriisse dicitur, qui tamen est panis vivus de caelo » descendens, vitamque orbi tribuens. Sic item tristitiam pas-

(1) Recole dicta p. 178. n. 1.

» sus, qui alioqui totus in laetitia, suavitate, gaudioque ver-
» satur. Numquam nos dicimus Verbum Dei impassibile, in-
» violabile, manifesteque Deum, expertum esse in sua divina
» natura passiones; sed quia communia ei fuerunt quae sunt
» propria humanitatis; uti vicissim quae sunt Verbi Dei pro-
» pria eique tantummodo convenientia, communia carni eva-
» serunt, propter ineffabilem inexplicabilemque unionem. Et
» cum caelo Verbum descendit, nequaquam carnem simul
» caelo descendisse ait; nemo enim ascendit in caelum, nisi
» qui descendit de caelo filius hominis. Post haec, supplicio
» quoque se obtulit, ut nos poena peccatisque liberaret; et-
» enim livore eius sanati sumus. »

Accepto Severi priore tractatu, excanduit Iulianus halicarnassensis, plenamque irarum epistolam Severo rescripsit, quae occasio fuit posterioris tractatus, in quo Severus rectam sententiam suam luculentius adhuc comprobavit. Nos vero ex hoc altero nonnisi aliquot ineditos Patrum a Severo laudatorum locos excerpemus.

Iohannes hierosolymitanus episcopus, cuius aetate corpus protomartyris Stephani inventum fuit, sic ait. « Confitemur
» Dei Verbum, aeternum atque unicum Dei filium, pro hu-
» mani generis salute de sancta virgine Maria et de Spiritu
» sancto natum, ex muliere scilicet (ut ait apostolus) a qua
» vere carnem nostrae connaturalem, haud vero imaginariam
» sumpsit. In qua carne vere cruciatus pro nobis passus est:
» itineris labore aeque ac nos vere defessus, non simulate:
» aeque ac nos verberum dolorem expertus coram Pilato fla-
» gellis est caesus: doluit in percussione genarum: et cum
» manus eius ac pedes perforati fuerunt, doloris sensum ha-
» buit, teste Isaia: ipse autem percussus est propter iniqui-
» tates nostras, et ob scelera nostra attritus. Sed divum quo-
» que Paulum de eo dicentem audiamus: non enim habemus
» pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris,
» tentatum autem per omnia ex similitudine, absque peccato.
» Confitemur pariter ipsum anima rationali fuisse praeditum,
» quae proprias animarum aeque ac nos passiones sentiebat;

» et quidem saepe has nostras, ut tristitiam, turbationem, » atque angustias. Sic enim evangelia dicentem tradunt: tri- » stis est anima mea usque ad mortem. Item: nunc anima » mea turbata est. In Marci autem evangelio: coepit contri- » stari et maestus esse. Ac sicuti nos confitemur veras, non » autem phantasticas, fuisse carnis passiones, eodem iure ve- » ras illas quoque animi credimus non phantasticas: ac tam- » quam haereticos excommunicamus illos, qui flagellatum Ie- » sum non doluisse aiunt, et crucifixum et perforatum clavis » manus, nihil perpessum. Utique nos confitemur, vere ipsum » pro nostris peccatis mortuum, corpusque eius sepultum ex- » animem, vereque a mortuis post triduum surrexisse, et » cum discipulis suis manducasse ac bibisse haud per phan- » tasiam; et in caelum ascendisse, et instante mundi fine » venturum ad vivos mortuosque iudicandos, atque univer- » sum hominum genus de morte suscitaturum, quod deinde » incorruptibile erit: nimirum homines illam ipsam in qua » sunt mortui ac sepulti naturam corporum recuperaturos, » Christi instar qui a mortuis resurgens, idemmet suum cor- » pus resumpsit. »

Cyrillus adversus Diodorum ait. « Namque ut passus do- » lores in carne, nihilominus in suae deitatis natura impas- » sibilis mansit; sic aio et dum cresceret, perfectum omnino » fuisse; et cum sapientia augeri credebatur, tunc ipse re- » dundans sapientiae fons erat, a quo ceteri omnes sapien- » tiam hauriunt. »

Sanctus Smyrnarum episcopus martyr libro tertio contra adversarios ait. « Si Dei Verbum, ut vos dicitis, haud est » passum in corpore, neque mortuum, iam frustra diceretur » natum ex Virgine, et convenienti de terra pastum cibo. » Quamobrem confitemur, ipsum corporum proprietatibus » non caruisse, quae sunt fames, sitis, somnus; vereque et » non phantastice reliqua huiusmodi esse perpessum. Credi- » mus item ipsum expertum quae animae accidunt, nempe » turbationem et maestitiam in sua humanitate. Dicimus au- » tem tamquam adversariis anathema iis qui affirmant ipsum » percussum non doluisse, neque sensum habuisse cum in

» cruce clavis figeretur, vel alii cruciatus admoverentur. Ce-
» teroqui fatemur, haec omnia Dei Verbum haud in sua im-
» passibili natura excepisse, sed in humano tantum corpore,
» quod sibi sumpsit, et cum quo factum est unum. »

Theodotus Ancyrae episcopus in tractatu de rubo incombusto ita scribit. « Rebus enim antiquis mysteria praefigu-
» rata fuerunt. Idcirco ardente rubo, ignis quidem cerneba-
» tur, sed idem minime damnificabat; illustrabat, non cor-
» rumpebat; lucebat, non comburebat; auxiliabatur potius
» quam nocebat. Nonne Virginem in rubo tu vides? Miseri-
» cordiam eius qui ad nos venit non intelligis?

Severus in homilia quam recitavit in ecclesia Antiochiae de sancta Virgine Maria. (1) « Hinc apparet, Christi corpus ea-
» tenus incorruptibile fuisse, quatenus peccati corruptelae
» haud prorsus obnoxium erat *etc. usque ad* immortalisque
» est, *ut in ipsa homilia quam mox integram recitabimus.*

Idem Severus in homilia de ascensione Domini. (2) « His
» aliisque huiusmodi peractis mysteriis, ille qui a mortuis re-
» surrexit, cuius latus lancea transfixum fuit, et manus pe-
» desque clavis perforati, in caelum conscendit, signa victo-
» riae suae gestans mortisque manubias. Quae videlicet cae-
» lestibus spiritibus declarabant causam quamobrem homo fa-
» ctus esset, cur sponte occisus, cur mortuus simul et vi-
» vens, cur in corruptione corruptionem vicisset. Etenim cor-
» pus eius corruptionis quidem capax erat, sed quia id as-
» sumptum ab eo fuerat, cuius natura est incorruptibilis nec
» peccato obnoxia, idcirco ne in morte quidem corruptionem
» expertum est. »

Ex codice syriaco 101. *in quo est opus monophysiticum cui titulus* fides patrum, *hoc quoque S. Cyrilli testimonium excerpebam.*

S. Cyrillus in explanatione (3) epistolae . . . ad Corinthios ait. « Heic opus est ut de eo *(Christo)* dicatur, non solum

(1) Est haec homilia Severi sexagesima septima in cod. vat. syr. 141.
(2) Est septuagesima prima in dicto codice.
(3) Est hoc opus S. Cyrilli deperditum.

» omnino esse mortuum, verum etiam sindone involutum; » quae res Emmanuelis obitum prorsus testatur. Insuper in » sepulcro derelictus est, unde revixit, ut modo dixi. Ergo » in corpore cum sit mortuus, prorsus nobis persuasit corpus » habuisse. Tunc autem cum Dei Verbum mortem conculca» vit, recte se Deum naturâ demonstravit; quia sicuti huma» nitus agens, mortem pertulit; ita divinitus operans, mor» tem devicit. »

DE SEVERI ET IULIANI

GRAECIS FRAGMENTIS.

Dum superiora Severi adversus Iulianum scripta ederem, venit mihi tempestive in mentem antiquissimi cuiusdam codicis vaticani, litteris quadratis scripti, catenae scilicet graecorum Patrum ad Iobi librum, quos inter Severi quoque et Iuliani fragmenta me legisse memineram: quem codicem quum his diebus denuo consuluissem, agnovi ipsam quidem plerumque catenam esse, quam graece et latine Londini Iunius anno 1637. *vulgavit, quaeque tantum latine antea prodierat edente Comitolo Venetiis anno* 1587. *Verumtamen et illud comperi, in codice nempe vat. non contemnendum tum Severi, tum etiam Iuliani fragmentorum numerum contineri, quae a graeca Iunii editione prorsus absunt, et ne in latina quidem Comitoli omnia occurrunt, ideoque florilegi alicuius sedulitatem expectabant. Porro mihi visum est, nullum esse locum aptiorem his inserendis reliquiis, quam has mei Spicilegii paginas, quae Severi scripta continent adversus Iulianum.*

Antea tamen menda quaedam in latina Comitoli editione a me purganda sunt. I. *Comitolus pp.* 121. 359. 390. *fragmenta recitat* ex Dionysio et Alexandro; *qui sane est error ita legentis pro* Dionysio alexandrino, *ut recte est in codice vat. nec non apud Iunium p.* 430. *Itaque a Comitoli quoque auctorum indiculo et a praefatione falsus hic* Alexander *expungendus est.* II. *Apud Comitolum p.* 82. *scribitur inter interpretes* Iulius, *prava sine dubio lectione; etenim apud Iunium in eodem catenae loco recte habetur* Ἰουλιανός. *Itaque hic quoque* Iulius *ex catena, nec non ex Comitoli praef. et indiculo eliciatur.*

III. *Comitolus p.* 372. *inter auctores catenae habet* Methodium Sidam. *Atqui in codice vat. legitur* Μεθοδίος ὁ Σίδης Methodius ex urbe Sida, seu sidensis. *Non est ergo vocabulum* Σίδης *viri cognomen, sed urbis patriaeque nomen.* IV. *Comitolus p.* 140. *nec non in praefatione et in indiculo ponit auctorem* Severianum; *immo p.* 426. Severianum archiepiscopum antiochenum. *Verum codex vat. recte retinet ubique* Severum; *neque vera Severianum nullum agnoscimus archiepiscopum antiochenum, sed Severum.* V. *Denique manifesta est Comitoli halucinatio pp.* 426. 433. *et* 512., *ubi* Severi ἀπὸ λόγου ι. ιγ. λθ. ριγ. *interpretatur* ex Severi apologetico X. XIII. XXXIX. CXIII. *Quis enim perversam interpretis lectionem heic non videt? Quis cogitare queat de tot praesertim Severi apologeticis, qui reapse nulli fuerunt? Dicendum erat igitur* Severi ex sermone X. XIII. XXXIX. CXIII. *Etenim nos Script. vet. T. IX. praef. p. XXI. de permultis Severi sermonibus, qui in codicibus extant, locuti sumus, ipsorumque adeo triginta sermonum fragmenta scripsimus in eodem tomo p.* 725-741. *ubi perpetuo recitantur* ἀπὸ λόγου *etc.* ex sermone hoc vel illo. *Immo vero in citato tomo pp.* 729. 736. *opus quoque* ad *vel* contra *Iulianum laudatur, cuius titulus graece est* τὸ πρὸς Ἰουλιανὸν σύγγραμμα. *His obiter veritatis gratia observatis, nunc nova Severi et Iuliani fragmenta subtexamus.*

SEVERI ANTIOCHENI

FRAGMENTA.

Cod. f. 32. b. ΣΕΥΗΡΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΙΑΣ. Ἀπὸ λόγου ρη'. Πάλιν ἐνθάδε καταρᾶται τοὺς ὀνομασάντας αὐτὸν ἄρσενα, ὡς μόνου Χριστοῦ ὄντως ἄρσενος, καὶ αὐτῷ ἁρμοζούσης τῆς ὀνομασίας, διὰ τὸ ἐκθηλυνθῆναι τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος τῇ παρακοῇ· διὸ οὔτε ἡμέραν δεῖ κυρίως καλεῖν τὰ πρὸ τῆς ἐπιδημίας, ἀλλὰ νύκτα καθ' ἣν ἡ φύσις ἀπώλεσεν τὸ ἄῤῥεν ἀξίωμα.

(F. 33. b. *ex eodem sermone* ρη' (108) *quod fragmentum extat apud Iunium p.* 121. *sed nomine tantum auctoris adscripto, sermonis autem nulla facta mentione.*)

F. 34. Ἀπὸ λόγου ργ'. Τίς δέ ἐστιν τὸ μέγα κῆτος, ἢ ὁ διάβολος ὁ ἀρχαῖος ὄφις τῆς ἁμαρτίας εἰσηγητὴς, ὁ τῇ ὑγρότητι τῶν ἡμετέρων ἡδονῶν ἐνδυναστεύσας, καὶ μετὰ πολλῆς ὅσης ἀδείας ἐννηξάμενος, καὶ ταύτῃ κῆτος γενάμενος; ὃν τότε, κατὰ Παῦλον, ὁ κύριος ἀνελεῖ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.

Ibid. Ἀπὸ λόγου γ'. Περὶ τοῦ Χριστοῦ προεφήτευσεν, μηνύων καὶ τὸν τύπον τοῦ Ἰωνᾶ, καὶ τὸ αὐτοῦ κατὰ τοῦ διαβόλου τρόπαιον.

(F. 159. *Legitur hic locus in iuniana catena p.* 48; *sed male in dicta editione* ἐπάγειν *pro* ἐπᾴδειν.)

F. 77. b. Ἀπὸ λόγου κδ'. Ἡ σὰρξ ἡ φυσικῶς ἡμῖν ἐνωθεῖσα, ἐνταῦθα ἔνδυμα καλεῖται.

(F. 109. b. *eadem habentur quae in ed. Iunii p.* 301; *sed in cod.* σπουδαζόντων ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν διαλέξεσι δίκαια ἀποφαίνειν Θεῷ etc.)

F. 167. Φωτὸς γὰρ ὡς ἀληθῶς τρίβους ὁδεύουσιν ἐν τῷ σκότει τοῦ βιωτικοῦ κλυδῶνος οἱ τὸν μονήρη βίον τῆς κοσμικῆς ἐπιμιξίας ἀνταλλαξάμενοι.

F. 169. Ἐκ τῆς πρὸς Ἰουλιανὴν διάκονον ἐπιστολῆς. Ὁ κύριος ἐν εὐαγγελίοις φησὶ περὶ τῶν τῷ κόσμῳ νεκρούντων ἑαυτοὺς, καὶ ἢ πρὸς τὸ τοῦ μαρτυρίου στάδιον τὸ σῶμα ἐκδιδόντων, ἢ πρὸς τοὺς τῆς ἀσκήσεως πόνους· καὶ ταύτῃ δοκούντων ἑαυτοὺς ἀπολλύναι καὶ ἀποκτεινύναι, τῷ στερίσκεσθαι τῆς βιωτικῆς ἀπολαύσεως· ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν· τοῦ οὖν οὕτως ἀπολλυμένου κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος φωνὴν, εὑρίσκοντος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἡ εὐχὴ καὶ ἡ εὐλογία μεγάλη τίς ἐστι· καὶ ταύτην εὔξαιτο ἄν τις τῶν εὐφρονούντων ἐπελθεῖν αὐτῷ· καὶ ἐμφρόνως ἐρεῖ τό, εὐλογία ἀπολλυμένου ἐπ' ἐμὲ ἔλθοι.

F. 176. Ἀπὸ λόγου ιε'. Ἀντὶ τοῦ φθοραῖς καὶ ἀλλοιώσεσιν ὑπόκεινται.

Ibid. Ἀπὸ λόγου λθ'. Ἐπειδὴ ὁρῶ ὅτι καὶ οἱ φωστῆρες οὕτοι πρὸς τὸ νεῦμα ἄγονται τοῦ δημιουργοῦ, οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ἐστιν, ἐπαιδεύθην προσέχειν ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ἀλλὰ δεόντως αὐτὰ δαπανᾷν.

F. 185. b. Ἀπὸ λόγου κε'. Ἐκ τῶν προειρημένων διδασκόμεθα ὅτι θεὸς τὸ πνεῦμα, καὶ δημιουργὸν ἀγγέλων καὶ ψυχῶν· ὅτι δημιουργὸν τὸ πνεῦμα ὡς ὁ υἱός. (1)

F. 217. Τουτέστι τὸ λογικὸν, τὸ ἐκ πηλοῦ πεπλασμένον ἔχον τὸ σῶμα. — Ὅθεν δῆλον ὅτι τὰ ἄλλα οὐκ εἶχεν τοῦτο· οὐ γὰρ ἂν ὡς ἐξαίρετον αὐτὸ τῷ ἀνθρώπῳ προσῆψεν ἀπὸ τῆς ψυχῆς φωνὴν τοιαύτην εὔρυθμον καὶ ἐναρμόνιον· ὁρᾷς ὅτι οὔτε τοῖς ἄστροις, οὔτε τοῖς ἄλλοις μαρτυρεῖ τοῦτο.

Ibid. Τὸ δὲ τεθῆναι ἐπὶ τῆς γῆς ὑπάρχει, τὸ ταχθῆναι κυριεύειν καὶ ἄρχειν πάντων τῶν ἐπὶ γῆς· καὶ διὰ τούτου δηλοῦν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν αὐτὸν γεγενῆσθαι τοῦ κτίσαντος.

F. 219. Ἀπὸ λόγου ριγ'. Ἀπορίαν ἐμποιῆσαι βουλόμενος ὁ θεὸς τῷ Ἰὼβ, καὶ ἐλέγξαι αὐτὸν ὅτι πολλὰ ἀγνοεῖ, *etc. ut in catena iuniana p.* 550. *Ibi tamen non dicitur sumptum hoc fragmentum ex Severi sermone* 113, *sed tantum Severi.*

F. 220. b. Τῆς περὶ τοὺς ἰστοὺς φιλοτεκνίας (μὴ) κα-

(1) Paulo aliter in catena iuniana p. 493; sed adamussim in latina Comitoli p. 413, ubi etiam contra morem adscribuntur graeca verba in margine, sed omissa sermonis mentione, quam alioqui perperam interpretaturus erat Comitolus, ut diximus in praevio monito. Verumtamen bene est quod plenius apud Comitolum habetur fragmentum; prosequitur enim sic: εἰ γὰρ καὶ δι' υἱοῦ τὰ πάντα ὁ πατὴρ ἐδημιούργησεν, ἀλλ' ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ὃ κατὰ φύσιν ἴδιόν ἐστι τοῦ μονογενοῦς. Quibus verbis praeclarum datur testimonium dogmati de processione Spiritus sancti etiam a filio, ut recte animadvertit Comitolus.

ταμελήσης, καὶ ὡς ἀπεῤῥιμμένας λογίσῃ· καὶ γὰρ καὶ ἐν τούτοις ἔνεστι θεία σοφία, καὶ ἣν οὐκ αἰσχύνεται θεὸς ἰδίαν ἀποκαλεῖν, ἑαυτὸν οὐκ ἄλλον λέγων εἶναι ταύτης δοτῆρα καὶ χορηγόν· ἀπαριθμούμενος γὰρ τὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς ποίησιν, καὶ θαλάττης κλεῖθρα, καὶ ἀστέρων θέσιν, καὶ ὑετῶν ῥύσιν, καὶ τἄλλα δι' ὧν κυβερνᾷ τὴν ἡμετέραν ζωὴν, ἔφη πρὸς τὸν Ἰὼβ· τίς ἔδωκεν γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; πῶς γὰρ ἄρξεις οἰκίας, ἢ πῶς διατάξῃ ταῖς ὑπὸ τὴν σὴν χεῖρα τελούσαις τὰ δέοντα, μὴ πρότερον μαθοῦσα τῶν ἀρχομένων καὶ δεσποζομένων τὰ ἔργα; καὶ γὰρ οὔτε στρατηγὸς ἄριστα ἂν τάξειε τοὺς στρατιώτας εἰς πόλεμον, μὴ πρότερον αὐτὸς στρατιώτης γενότης γινόμενος· ἢ κυβερνήτης τὴν ὁλκάδα πρὸς τὸ δέον ἰθύνει, μὴ ἐν ναύταις τελέσας, καὶ οὕτως ἐπὶ τὸ πεδάλιον ἀναβάς. (*Recitatur huius loci sententia in iuniana catena tamquam ex Severo simul, Chrysostomo, et Gregorio theologo, sed aliis plerumque verbis.*)

F. 232. Ἀπὸ λόγου ι'. Ὁ διάβολος καὶ οἱ δαίμονες τοῖς ὑγροῖς ἐμφιλοχωροῦσι τόποις· διὸ κατῆλθεν εἰς τὸ ὕδωρ ὁ κύριος, ἵνα ἐκεῖ αὐτοὺς συντρίψῃ.

Ταῦτα ὕλη καὶ τροφὴ πυρὸς τυγχάνει· αὐλίζεται οὖν μάλιστα παρὰ τοῖς ἀξίοις τοῦ πυρός.

Ὑπὸ τὰς ὑγρὰς καὶ ἀτόνους καὶ ἀκάρπους ψυχὰς αἱ πυρός εἰσιν πύλαι.

IULIANI HALICARNASSENSIS

FRAGMENTA.

F. 28. b. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ. Οὐ μόνον κατὰ διάθεσιν οὐκ εἶπεν τι κατὰ Θεοῦ, ἀλλ' οὐδὲ ἐξ ἐπιπολῆς τοῖς χείλεσιν.

F. 34. Οὐδὲν οὔτε κατὰ Θεοῦ φθέγγεται, οὔτε κατὰ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῖς οὐκ οὖσιν ἐπαρᾶται, παρηγορῶν ἑαυτὸν, καὶ τὰς ὀδύνας παραμυθούμενος· καὶ γὰρ καὶ ἡ νὺξ ἐκείνη καὶ τὸ φῶς τῶν ἄστρων, καὶ τοῦ ἑωσφόρου τὸ λάμψαν ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ παρῴχηκεν.

F. 49. b. Ἀλλὰ γὰρ καὶ οἱ ἐν τῷ οἴκῳ σου, φησὶν, ἀστασίαστοι καὶ πρὸς ἑαυτοὺς καὶ πρὸς σὲ διαμένουσιν.

F. 50. Εἰρήνης δὲ πανταχόθεν κυκλούσης, αἰφνίδιον ὁ ἄπαις πολύπαις ἀναφανήσῃ, δίκην ἀρούρας κομώσης καὶ βριθομένης ἀστάχυσιν.

F. 53. b. Μεμνήμεθα ὡς ἔλεγεν πρὸς αὐτὸν ἡ γυνή· μέχρι τίνος καρτερήσεις λέγων « ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου; » προδήλου τοίνυν γεγονότος ὡς ἤλπιζεν ἐκ θεοῦ σωτηρίας τυχεῖν, εὔδηλον ὅτι ταύτην καὶ νῦν εὔχεται· καὶ φησὶν ὅτι παιδεύσει με ὁ κύριος, ἀλλ' ἐν κρίσει καὶ μὴ ἐν θυμῷ· ὥσπερ καὶ ὁ Δαβὶδ ἔλεγεν « κύριε μὴ τῷ θυμῷ σου ἐλέγξῃς με, μηδὲ » τῇ ὀργῇ σου παιδεύσῃς με· » οὐ γὰρ τὴν παιδείαν παρῃτεῖτο, ἀλλὰ τὴν μετ' ὀργῆς· τοῦτο τοίνυν κἀνταῦθά φησιν, ὅτι εἰ καὶ ἔτρωσεν, μὴ ἐπὶ πολὺ παρατεινέτω τὰς βασάνους· τοιαύτην γὰρ καὶ τὴν ἐλπίδα κέκτημαι.

F. 54. Ἐπειδὴ τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας προσεδέχετο, φησιν· γένοιτό με ἀπολαβόντα μου τὴν ἐλπίδα, τῆς τε κοπρίας ἀπαλλαγῆναι, καὶ τῇ ἀρίστῃ πολιτείᾳ καὶ τῇ δι-

καιοσύνη ἐναποθανεῖν, περιφρασσόμενον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὄντα ἔνδοξον ὡς τὸ πρότερον· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἐφ' ἧς ἐπὶ τειχέων ἡλλόμην ἐπ' αὐτῆς.

F. 59. Δοκίμιον γάρ ἐστιν ὁ βίος ἀνθρώποις, καὶ ἔλεγχος τῆς ἑκάστου γνώμης.

Ibid. Οὕτω κάτω φησὶν περὶ τούτων διακείμενος, εἰς οἷα νῦν ἐμπέπτωκα.

F. 59. b. Πηλοῦ δίκην διὰ βρόχου ἀπεργαζόμενος· οὐκ ἔφερε γὰρ οὔτε γῆ τὸν ἀποῤῥέοντα ἰχῶρα.

Τὸ γὰρ ἐπαλγὲς τῆς ὀδύνης ἀφέλκει με τῆς μνήμης.

F. 76. b. Μὴ πρόσφατον φησὶν τὴν ἀρχὴν λαβὼν ἔχεις, ἵνα ἐξ ἀνακρίσεως τὰ κατ' ἐμὲ ἐπιγνῷς, δι' ὧν ταῖς αἰκίαις με παραδέδωκας; ἀλλ' οὐδέν σε λέληθεν· ἐπιστῆσαι δὲ δεῖ τῷ ῥητῷ, ὅτι ἄλλό τι λέγει τὴν ἁμαρτίαν, ἕτερον δὲ τὴν ἀσέβειαν· καὶ τὴν μὲν κοινῶς περί τε Θεὸν καὶ περὶ ἄνθρωπον γίνεσθαι, τὴν δὲ ἰδικῶς περὶ Θεὸν, περὶ ὃν καὶ τὸ σέβειν· ἀνθρώπων γὰρ σεπτὸς οὐδὲ εἷς.

F. 77. Τὸ δύνασθαί σοι πρόσεστι, καὶ τὴν τῶν ὄντων γνῶσιν ἔχεις, καὶ τὸ δίκαιόν σοι ὑπάρχει· τίς οὖν ἀντιστῆναί σοι δύναται;

Ibid. Ἐκ δὲ τούτων τὸ μεγαλοφυὲς τοῦ Θεοῦ ἀπεδείκνυσιν· εἰς τοσοῦτον γάρ φησιν ἀγαθὸς εἶ καὶ σοφὸς, ὡς καὶ ἐκ τῆς ὕλης ταύτης τῆς ἐπικήρου ζῶον ποιῆσαι, καὶ τούτῳ νοῦν καὶ λόγον χαρίσασθαι.

F. 81. Ὁ γλῶσσαν ἔχων εἰς τὸ λαλεῖν, οὗτος καὶ ἀκοὰς κέκτηται εἰς τὸ ἀκούειν.

Διὰ τὰς τῇδε ἐμπιπτούσας συμφοράς.

F. 83. Οὐ γάρ ἐστι νηχόμενον εἰς πέρας τῆς θαλάττης ἐλθεῖν· οὔτε μὴν πᾶσαν τὴν τοῦ Θεοῦ γνώμην λογισμῷ πε-

μιλαβεῖν· ὡς οὖν οὐδὲ ἑνὸς εἰς πέρας ἀφικέσθαι τῆς ἐρήμου δύναται.

Εἰ δὲ σὺ τὸν δικαστὴν προσκαλῆσαι ἵνα δικάσει σοι, βλέπε τὰ κατὰ σαυτὸν ὅπως ἔσῃ καθαρός.

F. 86. Ἄνθρωπος γάρ εἰμι κἀγὼ, καὶ πάντως οὐκ ἀκάρδιος.

F. 87. Οἴεσθε δέ με φησὶν ἀγνοεῖν τοὺς τῆς προνοίας λόγους; καίτοι τούτους οὐκ ἔλαττον ὑμῶν γινώσκω.

F. 97. b. Οἱ μὲν γὰρ ἐνταῦθα πολιτευσάμενοι ἀπελεύσονται ἐκεῖσε· οἱ δὲ ἐν ἐκείνῃ τῇ λήξει γινόμενοι οὐκ ἐνταῦθα πολιτεύσονται.

F. 98. b. Ἔκρυψας δέ με τουτέστιν· δέδοικα γὰρ μὴ ὃ νῦν πάσχω, προοίμια τῶν ἐκεῖσε γεγένηται.

F. 117. Ἐξ ὧν φησὶν ἥμαρτεν, δέσμιος γίνεται, καὶ ἐν πάσαις αὐτοῦ ταῖς τρίβοις σφίγγεται κατὰ τὸ εἰρημένον· ἐν παγίδι ταύτῃ ἣν ἔκρυψαν συνελήφθη ὁ ποὺς αὐτῶν.

F. 122. b. Καὶ οὐδὲ τὴν ἀπὸ τῶν συγγενῶν ἔσχον παραμυθίαν· ἀδελφοὺς γὰρ τοὺς αὐτῷ προσήκοντας λέγει.

F. 123. Μὴ ἀκουσθὲν γὰρ τὸ γύναιον ἐφ᾽ οἷς κακῶς συνεβούλευσε, καὶ αὐτὸ λυπεῖν ἐπεχείρει.

F. 124. b. Ταῦτα οὐχ ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει, ἀλλ᾽ ἵνα σκοπὸς ὑπομονῆς ᾖ τοῖς μετέπειτα· ὃ καὶ γέγονεν ὑπὸ Μωϋσέως γνώμῃ θεοῦ.

F. 131. b. Ἤτοι σκηπτοὺς λέγει, ἢ τὸ ἠρημῶσθαι τὰς οἰκίας, καὶ καταστράπτειν ἐν αὐταῖς τοὺς ἀστέρας τῶν ὀρόφων ὄντων ἀνακεκαλυμμένων· ἐν ἀγνοίᾳ γάρ εἰσιν· ἐξέβαλον γὰρ τὸ φῶς ἀφ᾽ ἑαυτῶν· οἷς ἔλεγεν, ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· οὐκ ἠθέλησαν τὸ φῶς παραδέξασθαι.

F. 137. Οὐκ οἴονται οὖν ἐκ τοῦ κοινοῦ τὸ ἴδιον συνιδεῖν· κοινὰ γὰρ ἀμφοῖν τὰ τῇδε συμβαίνοντα.

Οὐκ ἀποφαινομένου ταῦτα ἀλλὰ ἀμφιβάλλοντος· ὡς ἐὰν εἴποι τίς, ὡς σφόδρα κακὸς; ἴσως οὕτως ἀπέλαβες.

F. 153. b. Ταῦτα λέγει οὐ τὴν φύσιν φαυλίζων, ἀλλὰ τὸν Θεὸν ὑψῶν, ὡς πρὸς αὐτὸν ἡμεῖς σαπρία καὶ σκώληξ, ἐφήμεροί τινες ὄντες καὶ ὀλιγοχρόνιοι.

F. 160. Οὐχ ὅτι τῶν δικαίων γέρας ὁ τῶν ἀσεβῶν ἐςαι πλοῦτος, ἀλλ᾽ ὅτι εἰς δέον οὗτοι τὴν τῶν χρημάτων ποιήσονται χρῆσιν· τοῦτο γάρ ἐστι κτήσασθαι τὸν ἐξ αὐτῶν καρπόν.

F. 173. b. Οὐκ ἐν ἔργοις αὐτὸν μέμφεται, ἀλλὰ ἐν λόγοις πρὸ καιροῦ τὴν αἰτίαν τῆς πληγῆς ἐπιζητοῦντα.

F. 189. b. Οὕτω φησὶν, ὁ Θεὸς, τὰ κατὰ τοὺς ἀνθρώπους διοικεῖται, παρέχει τὸ εἶναι, ὑφηγεῖται τὰ δέοντα, καὶ ἢ μισθὸν δίδωσι τῶν κατορθωμάτων, ἢ δίκην εἰσπράττεται τὸν παραβαθέντων. *(Extat partim hic locus in catena iuniana p. 500. sine Iuliani nomine.)*

F. 190. Εἴ τι τοιγαροῦν πρὸς ταῦτα λέγει, ἔχεις καὶ ἐλέγξαι με μὴ δίκαια περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνης λέγοντα, λάλησον· ἡδέως γὰρ ἔχω τῆς σῆς ἐπακροάσασθαι δικαιολογίας· τὸ δὲ καὶ ἐγώ εἰμι, ἀντὶ τοῦ οὐ πρὸς Θεόν σοι ὁ ἀγὼν· μὴ δείσῃς, ὡς ἔφασκες, ἐγώ εἰμι ὁ ἰσοφυὴς σοι· εἰ δὲ μηδὲν ἔχεις ἀποκρινάσθαι, μεθ᾽ ἡσυχίας ἄκουσον καὶ ἑτέρας σοφίας ῥήματα· τῶν οὖν κεφαλαίων τοῦ Ἐλιοῦς τὰς ῥήσεων ἀρχὰς ὁ συγγραφεὺς ἐποιήσατο.

Εὐχῆς γὰρ ἔργον ἀναδειχθῆναι σε δίκαιον ψήφῳ καὶ μαρτυρίᾳ Θεοῦ ἀλλ᾽ οὐκ οἰκείᾳ ἀποφάσει.

F. 191. Ὥσπερ γὰρ τὰ ἐδέδιμα οὐ μίαν ἔχει τὴν ποιότητα, οὕτως οὐδὲ τὰ ῥήματα ἐπὶ μιᾶς ἐννοίας λέγεται.

Ἰστέον δὲ ὅτι οὐκ ἀοράτων, οὐδὲ τῶν ὑπερκοσμίων δυν-

ἀμέων μνημονεύει, ἀλλ' ἐκ τῶν ὁρατῶν τὴν δοξολογίαν ποιεῖται.

Κατασιγάσαντος τοῦ μὲν Ἰὼβ τοὺς φίλους, τοῦ δὲ Ἐλιοὺς τὸν Ἰὼβ, ἔδει κρίσιν καὶ πέρας τῶν λόγων ἐξενεχθῆναι, ὅπερ ὁ ποιήσων οὐκ ἦν πλὴν Θεοῦ· διὰ λαίλαπος δὴ συμφαίνεται τοῖς φίλοις καὶ διὰ νεφῶν τῷ Ἰὼβ, ὡς τῷ μὲν Ἰσραὴλ διὰ φωνῶν, τῷ δὲ Μωϋσεῖ διὰ στύλου νεφέλης.

F. 217. Ὥσπερ ἐγώ γέ, φησιν, τοῦ κόσμου κόσμον ἀνέδειξα.

Ὡς ἐκ προσώπου τοῦ πατρὸς μέγα τί φησιν οἴη πεποιθέναι ὦ Ἰὼβ ὅποτε ὁ ἐμὸς υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς οὐχ ὑπεύθυνος ὢν θανάτῳ εἵλετο θάνατον, καὶ ἐν ἴχνεσιν τῆς ἀβύσσου περιεπάτησεν, ἵνα τοὺς ὑποκειμένους θανάτῳ λυτρώσηται;

F. 218. b. Δι' οὗ διαλύεται· κατὰ τὸ, ὡς ὁ χειμάῤῥους ἐν τῷ νότῳ· ἄνεμος δέ ἐστι ῥεῦμα ἀέρος ταῖς τῶν τόπων ἐξαλλαγαῖς, ὅθεν ῥεῖ, τὰς ἐπωνυμίας ἀμείβων.

F. 243. Τὸ μὲν πρότερον αὐτὸς ἐκουσίᾳ γνώμῃ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ γεγένηται, προσφέρων καὶ ὑπὲρ τῶν υἱῶν αὐτοῦ· ἐπειδὴ δὲ μετὰ τὴν πληγὴν οὐκέτι οἷός τε ἦν θαῤῥεῖν προσάγειν θυσίας διὰ τὸ συμβεβηκὸς πάθος, εἰκότως πρὸς τοῦ Θεοῦ χειροτονεῖται ἱερεύς.

F. 244. Ζημία γὰρ ἦν τῷ Ἰὼβ εἰ οἱ πρὸς παραμυθίαν ἐλθόντες αὐτῷ φίλοι, τιμωρίαν ἔτισαν θανάτου.

F. 248. Οὐδὲν ἔχων ἐλλεῖπον, οὐ χρόνον, οὐ βίον. Μετὰ τὴν ἐκ τοῦ πάθους ἀνάστασιν.

Συριακὴν νῦν τὴν ἑβραίαν διάλεκτον καλεῖ, ἐπειδὴ καὶ Συρίαν τὴν Ἰουδαίαν, καὶ Σύρους οἱ πολλοὶ τοὺς Παλαιστίνους ὀνομάζουσιν. Καὶ Ἡρόδοτος ὁ ἱστοριογράφος φησίν· « περιτέμνονται δὲ Ἰνδοὶ καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Ἄραβες,

» καὶ οἱ ἐν Παλαιστίνῃ Σύροι· » τοὺς Ἰουδαίους καταλέγων. (1)

Συριακὴν βίβλον καλεῖ διὰ τὸ γειτνιάζειν τὴν διάλεκτον τῶν Σύρων τῇ ἑβραΐδι, καὶ εἴκοσι δύο στοιχεῖα ἔχειν καθάπερ οἱ Ἑβραῖοι.

(1) Extat hic locus apud Iunium, sed anonymus. Docet autem nos Comitolus p. 541. (cum cod. vat.) verba haec esse Iuliani.

DE SEVERI HOMILIA

MONITUM.

Ex tot Severi antiocheni homiliis quae, ut dixi alibi, in syriacis bibliothecae vaticanae codicibus latent, unam saltem heic latine recitare placet de beatissima virgine Maria loquentem, quam et orthodoxo prorsus sensu compositam ab auctore cognovi, et lautis doctrinae sacrae atque hermeneuticae copiis abundantem. Certe ii philologi aut critici, qui nostra aetate figuratos divinorum bibliorum sensus superba vel incauta mente fastidiunt, rursus heic videbunt genuinam patrum antiquorum sacra biblia interpretandi rationem: ecce enim Severus, priscus sane et magnus interpres, in Mosis praesertim arca, lege, tabernaculo, ac sacrificiis, universam incarnati Verbi oeconomiam non imperite neque absurde pervidet, et theologico acumine enucleat; sanctaeque simul Deiparae laudes reverentissima oratione concelebrat.

SEVERI
ARCHIEPISCOPI ANTIOCHENI
HOMILIA
DE SANCTA DEI MATRE SEMPERQUE VIRGINE MARIA.

Volenti mihi ad virginem matrem oculos attollere, perque dictas de ea sententias suspenso ob reverentiam vestigio incedere, quaedam veluti a Deo vox deferri videtur, measque aures clamore valido impellere his verbis: « cave ne huc accedas; tolle calceos de pedibus; locus enim in quo insistis, » terra sancta est. » Reapse oportet mortali qualibet carnalique phantasia, tamquam calceis, mentem illam semet exuere, quae ad divinarum rerum contemplationem conscendere nititur. Quid vero cogitari augustius vel excelsius potest, quam Dei mater? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram sic appropinquat, ut ipsum denique caelum attingat. Quamquam enim Maria de terra est, et humanam naturam nobisque consubstantialem sortita, attamen intemerata est omnique macula carens: quin adeo de suis visceribus, ceu de caelo, Deum protulit factum hominem, quem ipsa divinitus concepit ac peperit: non quod divinam naturam ipsi dederit, qui de ea natus est; is enim quolibet principio caret, omnique re mundiali vetustior est; sed quia ex se, per ineffabilem arcanumque Spiritus sancti descensum, humanam naturam illi contulit, qui nihilominus sine ulla mutatione permansit. Quod si tantae rei rationem scrutari velis, omnem tibi vestigationem praecludit virginitatis signaculum, in partu etiam incolume. Res profecto inexplicabilis, arcana, atque ineffabilis! quam qui considerat, attonitus cum Iacobo exclamat: « quam terribilis est locus iste! haec utique ianua » caeli est. »

Deus olim promulgandae legis causa in montem Sinai descendit. Gloriae eius species, prout in scriptura narratur, instar ignis ardentis erat in illius montis cacumine, coram filiis Israhel: quamquam ea reapse nonnisi quaedam divinae gloriae ostentatio fuit, non autem Dei natura aut persona. Comitabantur visionem illam fumus, ac densissima nebula, acutus bucinae sonitus, fulgurumque splendor; quae omnia terrebant atque a monte circumstantes arcebant, quos alioqui puros admodum atque mundos esse oportebat. Quin adeo animalibus ipsis interdictum accessu fuit, poena proposita ut vel saxis opprimerentur, vel sagittis confixa caderent. Dictum est enim: « iumentum quoque si montem tetigerit, lapidibus opprimetur, vel iaculis confodietur. » Ita Deus se gessit, ut Hebraeos terreret: is quippe ad ipsos ceu servos adhuc captivosque aegyptiacae idololatriae accedebat; quapropter undique terriculamenta incutiebat, ut eos timore compleret, variisque vocibus territos, promulgatae legi obedientes efficeret. Id prae oculis habens Paulus aiebat iis qui evangelio crediderant: « non enim accepistis spiritum servitutis in timore, » sed spiritum adoptionis. » Scilicet hoc Deus curavit, ut primo homines timore erudiret, dataque lege emendaret; qui cum postea de servili conditione exissent, tunc demum ad eos, tamquam ad filios, maiore quadam perfectione et benignitate accessit.

Iam quum homines prima hac correctione haud meliores evasissent, immo veluti abysso quadam atque alluvione hanc gratiam mersissent, Deus nihilominus ex abundantia benignitatis suae maiorem adhuc et copiosiorem gratiam iis concendendam putavit, cum excelso adoptionis munere, ut eos sibi amore subiiceret, quos terrore minime pellexerat; atque ut electos filios efficeret, qui servi improbi fuerant. Hoc nimirum apostolus sapienter ait; « ubi abundavit peccatum, ibi » superabundavit gratia. » Illic spiritus servitutis, et mons ob pompaticam Dei gloriam ardens, Moysesque minister; heic autem adoptionis gratia, rationalis mons Virgo, quae puritate sua, et Spiritus sancti descensu radiis veluti coruscabat. Haud gloriae Dei tantummodo fuit heic ostentatio, sed Deus

ipse, filius ille, Verbum illud, imago illa et figura personae Patris. Hic videlicet non montis tantummodo cacumen tetigit, sed immutabiliter incarnatus est, et de Virgine natus: Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. Itaque per se ipse operatus est, suamque nobis gratiam suppeditavit, nullo utens ministro: neque enim congruum erat, ut adoptionis gratiam servi opera suppeditaret. Quam ob rem Christus ipse de magnitudine divini auxilii glorianter dixit: « non » veni ministrari sed ministrare. » Namque ipse consubstantialis filius Dei invisibilis, fit filius hominis; atque ita nos per gratiam caelestis patris filios efficit, qui de terra sumus. Ipse sibi vilitatem sumpsit, ut nobis impertiretur nobilitatem: quod vile erat nobili copulavit, de matre coelibe ortus. Hic est lapis ille, quem Daniel propheta abscissum de monte vidit absque manuum opera, nempe incarnatum in Virgine sine semine virique commercio.

Quidnam igitur magis mirer? montemne qui quum exteriore sua forma deterior sit, tamen ob virginitatem, divinumque mysterium in eo completum, excelsus fit ac sublimis? An lapidem potius de vertice lapsum, qui vertex summitasque est cuiuslibet principatus, dominationis, ac potestatis? Hic autem sectus de monte lapis, caro fieri voluit, ut universae ecclesiae fundamentum fieret: aliud enim fundamentum nemo potest ponere, praeter hoc quod est positum, nempe Christum Iesum. Nonne amoris ergo, pacisque inter homines efficiendae descendit Verbum, lapisque desectus fuit? Quamquam vero hic mons per se terribilis, nunc facilis accessu est, num idcirco emundare nosmet haud debemus, ut sic accedere ausimus? Quis, inquam, dum a monte cernit haud receptum Deum tamquam a Sinai, sed generatum, non admiratur? dum illapsum in montem Deum, nasci cernit ex eodem factum hominem sine ulla transformatione? Idcirco ego usque ad huius montis radices, id est usque ad exteriores sensus atque profanos, valido cursu progressus, vereor tamen introrsum veluti in sanctum sanctorum inspicere; quippe qui audiam legis librum de summo sacerdote illuc accedente dicentem: « et assumens thuribulum plenum prunis

» altaris quod est coram Domino, manuque tenens compo- » situm incensi thymiama, ultra velum penetrabit in sancta, » ut positis in igne aromatibus, ipsorum nebula ac vapor » operiat oraculum, quod est supra testimonium, et ipse non » moriatur. » Is igitur, qui mysteria huiusmodi penetrare volet, semet ipsum carbonibus purget in ara accensis et consecratis: manus insuper thymiamate diligenter composito plenas gerat; habeat bonorum operum thus, quod quum igni commixtum fuerit, ea, quae secundum modulum nostrum comprehensionemque sunt, revelet; quae autem vires nostras superant, ea quasi vapor obnubilet, simulque animabus nostris veniam conciliet. Ego igitur neque ut par foret comparatus, neque eiusmodi igne mundatus, neque his thymiamatibus praemunitus, extra maneo, nec visum mentis ad adyta interiora intendo, quae intueri non valeo: verumtamen adorabo propitiationem meam Christum, qui in Virgine conceptus fuit, mundique peccatum abstulit.

Sed enim haec mihi cogitanti, videtur deiparae Virginis commemoratio cor meum luce perfundere, atque instar ignis inflammare, omnique odorum ac thymiamatum suavitate replere. Quamobrem mei oblitus atque attonitus, cupiditate quadam pertrahor ac rapior; moxque iterum subsistens mecumque reputans, lumen incipio haurire a pulchritudine typicarum imaginum, quae in intimo sanctuario sunt, atque Emmanuelem considerare, qui multifariam portenditur ac demonstratur. In primis arcam intueor quae puro auro constat lignoque carie minime consumendo, quod quidem undique introrsum auro tegitur, quin ulla pars eo decoramento careat. Nonne hic est Christus? qui unum quid est ex duobus, ex deitate scilicet tamquam auro rutilantissimo, atque ex humanitate, quae corruptioni non est obnoxia, ligni instar carie immunis, propter immaculatam et sine semine conceptionem Dei Verbi in Virgine per sancti Spiritus operationem; ita quidem, ut non carnem inanimem, sed rationali anima vivificatam sibi copulaverit. Hoc est, inquam, aurum quod intus forisque lignum operiebat.

Ac mihi profecto videor his in rebus magis magisque veri-

tatem typi dignoscere. Illud enim imputribile lignum, reapse naturale lignum erat, eiusdemque et generis et materiae qua cetera ligna constant, quae vi corruptionis labefactantur ac pereunt; id tantum peculiare propriumque habuit, quod carie non vincebatur. Sic nimirum Christi corpus, rationali anima praeditum, nostro generi nostraeque naturae consubstantiale est; in hoc tamen differens, quod ea corruptione, quam peccatum gignit, immune invictumque est (1), quia de Virgine conceptum fuit, et cum Verbo Spiritu sancto operante copulatum: « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in » ore eius. » Sicuti autem arcae lignum, quamquam imputribile et integrum, nihilominus sectile lignum dicitur et incendio habile, ita purissimum Christi corpus, etsi neque peccato obnoxium neque mananti ab eo corruptioni, capax tamen patiensque fuit cruciatuum, verberum, caedis, mortis, atque aliarum passionum eiusmodi: nisi enim ita se habuisset, haud esset mortem expertum, qua illum profligavit qui imperium mortis tenebat. Sed tamen ad sepulchrum usque inferosque delatum, nullam ab his corruptionem passum est, propter suam divinam a mortuis resurrectionem: « non enim derelicta est » anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem » sicuti scriptum est. Hinc patet, Christi corpus eatenus fuisse incorruptibile, quatenus ei corruptioni, quam peccatum efficit, prorsus non erat obnoxium; ei vero corruptioni fuisse idoneum, quam mors ac sepultura parit, a qua tamen adeo non fuit detentum, ut eam potius destruxerit, propter suam cum Verbo Dei coniunctionem, qui naturaliter imputribilis, impassibilis, immortalisque est. Ceteroquin comparatio arcae et similitudo, in hoc non congruit, nempe quia divinum Verbum haud ea ratione carni coniunctum est, quo elaboratum arcae aurum ligno adhaerebat (2): etenim infirma est typi imago, neque rei veritatem quaquaversus demonstrare potest,

(1) Heic et in sequentibus consonat Severus dictis a se in tractatu adversus Iulianum.

(2) Haec dicuntur contra Nestorianos, quorum contrariam prorsus doctrinam videsis apud Ebediesum Script. vet. T. X. part. II, pp. 349. et 354.

neque adamussim quadrat; sed praeoccupatio tantummodo quaedam est, et cuicuimodi similitudo. Aliam divinae huius, qua Emmanuel usus est, coniunctionis imaginem Paulus exhibet dicens: « quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem. » Pari nempe ratione participavit Verbum carni et sanguini, minime tamen, ut constat, malitiae humanae.

Similiter pyxis illa, quae in arca concludebatur, invitat me et quodammodo pellicit illo suo radiorum mysticorum lumine, ut aliam Emmanuelis imaginem spectem. Etenim legis ministerium pictorem veluti imitatur, qui paulatim in tabula exprimit, per singularum figurarum effigiem, universam Christi in carne adventus dispensationem, quae nonnisi ex singularum imaginum cumulo dignoscitur, quia singularis figura totum non exprimit. Cum itaque de caelo manna ad instar imbris descendit, atque illa pyxide, quae in hac inferiore regione fabricata fuerat, conclusum est, tunc ipsum manna Verbum divinum portendit, quod de caelo illapsum, haud inde secum carnem gestavit, verum in his inferioribus locis caro factum est, quin tamen semet immutaverit. Et arcae quidem ligno corpus significabatur, auro autem divinitas: heic contra, pyxis aurea corporis symbolum est, manna autem Verbi divini. Etenim manna allegoria Christi est, qui se ipsum pro nobis obtulit in odorem suavitatis, seque fecit victimam et holocaustum, atque a morte surrexit, et idcirco caelestis panis ad vitae nostrae alimoniam vocitatus est. Erat Verbo quidem humanis infirmitatibus atque huiusmodi adfectionibus corpus obnoxium, fami, inquam, labori, siti, cruciatibus, quae omnia per dispensationis rationem sponte pertulit; idem tamen, ad instar illius auri, vivificum prorsus erat, indelebile, imputribile, (utpote Dei corpus, qui est naturaliter vita) gloria quae Dei propria est insignitum, quin tamen naturam suam corpoream immutaverit, aut ad divinam transtulerit: mansit enim corpus, cuiusmodi erat, in quo demum semet ostensurus est, de caelo redux, iis qui eum crucifixerunt. Quod Paulus utique ait: « si cognovimus Christum in carne, » nunc non amplius cognoscimus. »

Age vero adhuc in arcam introspiciens, tabulas vidi in ea repositas, virgamque Aaronis quae mirabiliter floruit, et amygdalarum fructum protulit, arida licet. Hoc significat, arcam esse Christum, apud quem condita est ea, quam olim levitae apud se habuerunt, lex et sacerdotium, quibus ambobus demum infirmatis et arefactis foecunditatem Christus restituit per institutionis evangelicae germen. Quamobrem ipsemet ait: « ne putetis, quod venerim solvere legem aut pro- » phetas; non veni solvere, sed adimplere. » Iam quinam hi fructus erant? Nempe amygdalae. Praeclare, etenim fructus proprius virgae legalis et castigatoriae amygdala est, quae extimo tegitur cortice tenaci admodum et acerbo, rursusque alio crasso duroque; qui ambo tenerum illum continent nucleum, cuius iucundus gustus est: « omnis enim disciplina, » in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed maeroris; » postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam red- » det iustitiae. » Rursus virga, quae sponte germinavit (ut varia spiritalium sensuum copia utamur) Christum ipsum denotat, qui de Iesse ac Davide pullulavit in carne; cuius ope genus nostrum olim culpa infirmatum et marcidum floruit, germina protulit, caput erexit; de quo vaticinans aiebat Isaias: « egredietur virga de radice Iesse, et flos de ra- » dice eius ascendet. »

Praeterea propitiatorium arcae impositum, super quo nemo sacerdotum sacro opere perfungebatur, neque sanguinem effundebat, quodque alae duae cherubim utrimque velabant, perspicue Christum significavit, quem Deus praevio consilio propitiationem posuit, per fidem in eius sanguinem, ut Paulus ait. Erat autem propitiatorium illud arcae impositum, ut causam Christi adventus in carne, seu ipsius dispensationis, denotaret: dispensatio enim eò sursum tendebat atque aspirabat, atque in hoc scopum suum attingebat, nempe ut Christus, prout scriptum est, propitiatio pro nostris peccatis fieret. Prohibebantur insuper sacerdotes propitiatorii tactu; nulli enim concessum est hominum, praeterquam Christo, semet offérre, prout reapse is semel fecit, ut multorum peccata tolleret. Nunc vero nos sacerdotali officio fungentes, haud ipsum

immolamus ea ratione qua in vetere figura fiebat, sed per ea quae in mysteriis operamur, memoriam oblati ab eo sacrificii peragimus (1). Quod denique a cherubin propitiatorium tegebatur, nonne aperte demonstrat, ipsum fuisse Deum eo quoque tempore, quo pro nobis in dispensatione propitiatio erat, et pro nobis in carne patiebatur? eundemque tum etiam terribilem supernisque virtutibus inaccessum fuisse, sicuti antea quam prateretur erat? Immo vero et honorabilior magisque adorandus evasit, ob suae illius manifestationem sapientiae, quae teste Paulo multiplex est nostrae salutis causa.

Haec ego dum mecum meditor, cerno thymiamatum ascendentem vaporem, qui lucem ignis eripit, oculos meos obtenebrat, meque ulteriore aditu prohibet; ita tamen ut lentum mihi innocuumque recessum concedat, donec quiete taciteque, suspenso ac directo gressu, ex eo loco caute discedam. Attamen vel ipse exterior Deiparae ornatus satis est luculentus, atque ipsi propemodum interiori comparandus. Ipsa enim fermentum est formae nostrae; radix eius verae vitis, cuius nos extitimus palmites, pares facti in baptismatis germine, quod est reconciliationis Dei cum hominibus complementum. Idcirco canebant angeli: « gloria in excelsis Deo, » et in terra pax, inter homines bona voluntas (2). » Debet igitur Virginis commemoratio nostros animos excitare, reputantes in quanto quamque inconciliabili odio fuerimus, et ad qualem quantamque pacem atque concordiam per eius intercessionem vocati. Quid ni vero omnes ita nos gerimus vi-

(1) Sacrificium vere fieri in missa non negat Severus, sed eius rationem diversam esse dicit a prisca victimarum mactatione. Confer Theodosii alexandrini dictum de hac re apud nos Spicil. T. III. part. II. p. 716.

(2) Ita Severus *bona voluntas*, ex graeco εὐδοκία, uti habent passim codices graeci cum patribus compluribus. At enim vulgatus textus latinus habet *bonae voluntatis*, ex graeco εὐδοκίας, cui lectioni suffragantur duo antiquissimi omnium et nobilissimi graeci codices vaticanus et alexandrinus; quamquam in vaticano secunda manus frustra scripsit εὐδοκία: neque enim tanti erat antiquam lectionem ad recentiores codices reformare. Graecus igitur homo, non latinus aliquis, varietatem hanc in codice vat. fecit.

vimusque, uti par est decetque gloriam Dei incarnati, qui tanta nos caritate dignatus est?

Vobis item, qui a me edocti, Deiparam sanctum illud sanctorum esse, quod post alterum velum iacet, cupiditate incensi estis, ut eius anterius tabernaculum, id est sacra eius aedes, additis columnis amplificetur (1); vobis, inquam, quid aliud superest, nisi ut efficaci voluntate manuque rem aggrediamini, captoque ab Israhelitis exemplo, copiosa dona offeratis? prout illi, dum testimonii tabernaculum instruebatur, certatim omnes seduloque materiam ac munera suppeditarunt: quorum oblationes recepit Deus, ne caprarum quidem pilis exclusis, utpote operi tentoriorum idoneis. Idem quadrantes duos a vidua oblatos recepit, atque horum prae quovis opulento munere mentionem fecit, quia nimirum totus donantis feminae victus in his duobus quadrantibus vertebatur. Nemo igitur pauper, tenuitatis propriae pudore victus, a sui muneris oblatione abstineat; sed pro copia et viribus offerat: nam qui recipit Deus, unde ea res sibi offeratur, probe scit: qui sane laeto animo aspiciens sacerdotalis huius consessus fervorem atque honorandi sanctam Virginem studium, videtur mihi hunc elata voce compellare, veluti Isaias ecclesiam, his verbis: « dilata tentoria tua, et pelles tabernaculorum tuorum; prolixos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida; ad dexteram enim atque ad laevam penetrabis. » Quam ob rem nos ei quoque gratias agentes, benedictionem sancti Spiritus vobis largimur. Deus utique patrum nostrorum copias vestras millies augeat, et prout promisit benedictionibus adficiat! Cui nos quoque gloriam atque honorem sursum attollimus, Patri scilicet, Filio, et Spiritui sancto, nunc semperque et per cuncta saeculorum saecula. Amen.

(1) Mos fuit Severo, ut in fine concionum suarum ad conferendam stipem audientes hortaretur, uti videre est in calce amborum de sancta Droside sermonum a nobis editorum Script. vet. T. IX. p. 753. 757; quibuscum conferre licebit S. Ioh. chrysostomi de eadem martyre homiliam in ed. Montf. T. II. p. 688, qui de Drosidis gestis nihil dicit aliud, nisi quod martyrium igne consummaverit. Quamobrem quaerendum superest undenam tot alias Severus hauserit circa Drosidem notitias.

DE SEVERIANI HOMILIA

MONITUM.

Severo Severianum subiungere libet. Etenim in codice prisco sessoriano, observante P. Amatore, nec non in alio exemplari homilia extat de kalendis ianuarii, cui sancti Severiani *nomen inscriptum est. Hunc ego sermonem, facta collatione, diversum esse comperiebam a sermonibus per easdem kalendas dictis* 1. *S. Augustini serm. XCVII. et XCVIII.* 2. *S. Petri chrysologi serm. CLV.* 3. *S. Ambrosii serm. VII.* 4. *S. Asterii amaseni apud Combefisium nov. auct. T. I. p.* 65. 5. *S. Maximi taurin. serm. XVI.* 6. *Attonis vercell. serm. III. apud me Script. vet. T. VI. part. II. p.* 13. *Quid agerem? Satis ne quaesivisse me de hoc scripto crederem, an ipsum adhuc suspicarer alicubi editum, sive sub Severiani sive sub cuiuspiam alterius nomine? Certe de gabalitano episcopo Severiano vix cogitandum putabam, etenim latina elocutio talis est, quae de graeco fonte manare non videtur. Num Severini potius nomen sub Severiano latere arbitrarer, quae reapse commutatio in nonnullis codicibus fit, ubi aliquot S. Petri chrysologi sermones, modo Severino inscribuntur modo Severiano? Verumtamen ne Severini quidem episcopi ullus quod sciam sermo extat. Nam Severini sententiae illae a Sirmondo opp. T. II. editae, et a Pezio thesaur. anecd. T. IV. ceu ineditae repetitae (quamquam is postea errorem suum agnovit) nihil habent quod ad hunc referri sermonem queat. Verumtamen ne pretiosum fugientis vitae tempus in hac meditatione diutius tererem, heic velut in libri angulo eruditum hunc sermunculum collocare decrevi, de quo otiosiores et curiosiores homines pro sua industria disquirent et iudicabunt.*

SEVERIANI EPISCOPI

HOMILIA

DE PYTHONIBUS ET MALEFICIS.

Evangelica modo claudenda nobis tuba (a) est, modo tacendi nobis sunt apostolici sensus, ut illa tantum lamentationis propheticae resonet cantilena, quae dicit: « obmutui et » humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus » est. » Renovatur dolor pontificis christiani, quando gentilium error nec veterescit tempore, nec tanto fidei fulgore dispergitur. Ecce veniunt dies, ecce kalendae veniunt, et tota daemonum pompa procedit, idolorum tota producitur officina, et sacrilegio vetusto anni novitas consecratur. Figurant Saturnum, faciunt Iovem, formant Herculem, exponunt cum venantibus (b) suis Dianam, circumducunt Vulcanum verbis hanelantem turpitudines suas, et plura quorum *quia* portenta sunt, nomina sunt tacenda; quorum deformitates quia natura non habet, creatura nescit, fingere ars laborat. Praeterea vestiuntur homines in pecudes, et in feminas viros vertunt, honestatem rident, violant iudicia, censuram publicam rident, inludunt saeculo teste, et dicunt se facientes ista iocari. Non sunt ioca, sed sunt crimina. In idolum transfiguratur homo. Et si ire ad idola crimen est, esse idolum quid videtur? Ad Dei imaginem factus est homo. Quicquid in te impie propria deformitate intuleris, ad Dei pertendit iniuriam. Plane non sunt haec usquequaque tua vota, sed ex parte maxima sunt iudicia Dei; ut eorum, quorum per Deum perit cultus, per te saeculorum pertendatur et maneat turpitudo.

Namque talium Deorum facies ut pernigrari possint, carbo deficit; et ut eorum habitus pleno cumuletur horrore,

(a) In alio codice *lectio* pro *tuba*. (b) Codd. *vernantibus*.

paleae, pelles, panni, stercora, toto saeculo perquiruntur; et quicquid est confusionis humanae, in eorum facie collocatur. Et peius operantur qui gyrant bestiola sua ubi ignem accendunt, et in tali insania confidunt: putant bonum opus facere sibi, et sic incurrunt grave delictum. Quia ille inter tales Deos magnificentior creditur, qui inter turpes turpior invenitur. Et ille magnificus habetur, quem pro deformitate singulari potuerint ipsa monstra mirari. Impletum est in illis propheticum maledictum: « similes illis fiant qui faciunt ea, » et omnes qui confidunt in eis. » Et hoc Christiani vident, Christiani expectant (a), admittunt in domos suas, Christiani in domibus suis recipiunt? immemores illius apostolici dicti: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.

Sed dicis: qui faciunt ea, moriantur. Non te excusat sermo quem voluntas accusat, nec separat officium quem constringit et adiungit adsensus. Audi quid sequitur: « non solum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt facientibus. » Rogo vos, vel inter mala cessent mala. Credite, credite, deficerent, si ea Christianorum simulatio non transiret (b). Fugite ista, o Christiani, fugite: claudite vos ut non videatis talia insanientes: claudite vos vestrasque domos, quia Deus qui in occulto videt, circumveniri non potest in aperto. Exite, exite, sicut dixit propheta de medio eorum, et separamini ab eis, et ne immundum tetigeritis: ut tandem nostro resipiscant studio, qui hactenus nostro conludio sunt decepti. Fugite ergo daemonica ista, si divina desideratis audire.

Exin continuatur in uno e codicibus, tamquam pars praedicti sermonis sic: quamquam non dubitem vos, karissimi, per paternam sollicitudinem etc. *qui videlicet est S. Maximi sermo decimus sextus in romana Bruni editione, perperam in codice cum Severiano contextus.*

(a) Ita codd. pro *spectant*, ut alibi. (b) Nempe *toleraret*.

EX CHRONICO SYRIACO

DIONYSII TELMARENSIS

FRAGMENTUM.

Placet nobis vacuam forte paginam occupare narratiuncula de imprudente quodam Phocae imperatoris iussu, qui salutare baptismi mysterium sacrilegio et perfidiae invitorum Iudaeorum, contra morem christianae ecclesiae, polluendum obtulit. Rem hanc quinque tantum verbis attigerat Assemanus bibl. orient. T. II. p. 102: Phocas imperator Iudaeos baptizari compulit. *Verumtamen integer Dionysii textus in nostram linguam conversus ita se habet.*

Anno Graecorum 928 (*Christi* 617) iussit Phocas imperator ut omnes ditioni suae subiecti Iudaei baptizarentur; misitque Hierosolymam atque in universam Palaestinam Georgium provinciae praefectum, ut Iudaei cuncti in ea civitate finitimisque locis morantes ad baptismum adigerentur. Is primores illorum sibi adstantes interrogavit, num servi imperatoris essent? Quibus adfirmantibus, ait: mandat terrae dominus, ut baptismum admittatis. Silentibus ipsis; quid ni, inquit praefectus, respondetis? Tunc e primoribus unus, nomine Nunus, respondit: quicquid terrae dominus iusserit, confestim exsequemur, hoc uno excepto, quod praestare nequimus, quia nondum suscipiendi sacri baptismi tempus advenit. Hoc audito, magnopere excanduit praefectus, surgensque alapam Nuno inflixit dicens: qui servi estis, cur vestro domino morem non geritis? Mandavitque eos baptizari: atque ita volentes nolentes baptizati omnes fuerunt.

POGGII FLORENTINI

EPISTOLAE SELECTAE.

I. NICOLAO V. PP.

Non posset aut verbis aut litteris exprimi, sanctissime ac beatissime Pater, quanto gaudio quantaque laetitia intellexerim assumptionem tuam ad summi apostolatus culmen, et te a Deo ad eam dignitatem assumptum, in qua bene administranda salus Christi fidelium continetur (1). Videtur profecto Altissimi providentia statui et conservationi ecclesiae catholicae consuluisse, cum eum sibi successorem in terris constituit, qui oves suas hoc est Christi populum tamquam pastor bonus sciret pascere, et ab incursu malignantium defensaret. Cognovi te semper virum doctissimum esse, et ea doctrina excellentissimum in qua iustitia et aequitas continetur; ut non aliorum, ut multis contigit, arbitrio, sed tuo iudicio verum discernens, remp. Christianorum sanctissime gubernares. Scio te optimis moribus et vitae sanctimonia ita aetatem omnem ad hanc diem transegisse, ut ne suspicionis quidem locum ullum malivolis praebueris ad detrahendum. Scio te variis in rebus gerendis ita versatum diutius, ut summam prudentiam summamque laudem fueris con- Cod. f. 215. b.

(1) De electione Nicolai V. pontificis sic Poggius etiam in epistola inedita ad Benedictum aretinum iurisconsultum, lib. XII. ep. 3. *Habemus Pontificem virum doctissimum atque optimum, et cui nihil desit eorum quae in bono principe requiruntur. Sed imperium difficile suscepit multis in rebus conturbatum, et quod est difficilius, egenum. Itaque distrahitur tanto rerum turbine ac varietate, ut neque sibi, neque amicis vacare queat. Me certe diligit, et in primis honorat, carumque habet; verum utor modeste hac licentia. Credo declinabit a moribus multorum hominum, quibus carior pecunia quam virtus fuit. Principia quidem sunt optima, et ut spero non erit alienus a priori vita; quamvis difficillimum sit in principatu servare modum, et amicorum priorum meminisse. Sed hic superabit difficultates omnes, et partas virtutes bonis operibus illustrabit.* Item in epistola inedita, quae ibi praecedit ad Petrum Thomasium. *Te gaudere electione hac novi Pontificis, admodum probo; et recte et iure id facis. Est enim hic, ut noster ait Terentius, homo perpaucorum hominum, et quem caelitus datum nobis credam ad ornandos atque excitandos egregios doctrina viros.*

secutus. Scio in te summum consilium esse summamque animi moderationem, ut haec tot tantaque dona ab Altissimo in te congesta, non spem mihi tantum sed firmissimum testimonium praebeant, te a creatore nostro prae ceteris nobis datum, qui optimis consiliis et singulari virtute religionem augeres, fidem defenderes, pasceres oves Christi, teque omnibus praeberes tamquam divinum aliquod bonitatis et sanctitatis exemplar (1). Scio tuam prudentiam, quamvis tempora mala sint, et difficillimum videatur in tam corrupto saeculo sequi verae virtutis iter, tamen difficultates omnes cum nihil sit volenti difficile superaturam. Semper in arduo virtutis actio constituta fuit; cuius opera quo sunt difficiliora, eo praeclariora videri solent. Aderit tibi propterea auxilium eius, qui non elegit tuam Sanctitatem in hunc tam excelsum locum, ut eam relinquat sua ope destitutam, sed ut perficiat quod incepit.

Sed stultus ego qui tam sapientis aures verbis meis inanibus obtundere audeam. Sed caritas, quam annis quinquaginta ad sedem apostolicam gessi, benivolentiaque et devotio qua erga tuam personam dum erat in minoribus affectus sum, cogunt me esse in scribendo impudentem. Tua enim humanitas patienter feret hanc insulsam verbositatem, ac stultitiae meae quae a bona mente proficiscitur indulgebit. Ego servulus tuus sum, meque commendo Sanctitati tuae. Unum supplico, beatissime Pater, ut dignitatem officii, quo amplius quadraginta annos functus sum, in me conserves, adscribasque inter ceteros. Cum enim quatuor Pontificum fuerim secretarius, id non quaestus sed honoris conservandi gratia cupio. Habes hic servum sine impensa, qui omnia aget prout facultas erit, quae spectent ad laudem honorem et statum Sanctitatis tuae, quem conservet Altissimus sospitem ad regimen ecclesiae suae sanctae. Florentiae ·XIII· aprilis.

(1) Nicolaum pontificem laudat Poggius etiam in epistola inedita lib. XII. 4. (cod. f. 145. b.) ad Dalmatium archiep. caesaraugust. sic. *Pontificem habemus virum optimum ac sanctissimum, ab omni vitio alienum, doctissimum vero inter omnes quos noverim in omni genere litterarum. Mihi autem amicus est iam viginti annis elapsis.* Rursus Poggius lib. XVII. ep. 31. ined. (cod. f. 226.) laudat Nicolaum PP. sic. *Explicavit* (episcopus mutinensis) *longo sermone virtutem, sapientiam, humanitatem, doctrinam, et mores optimos S. D. N. Papae, ipsiusque erga nostrum temp. benivolentiam singularem. Qua ex re factum est, ut nomen eius celebretur et colatur ab omnibus, et merito iustus et prudentissimus iudicetur, ut omnes spem certam concipiant, ecclesiam Dei sub eius patrocinio ab eminentibus tempestatibus emersuram.*

II. NICOLAO V. PP.

Veni Florentiam, beatissime Pater, incolumis cum familia, excepto eo qui canonicus est florentinus, quem adhuc tertiana febris vexat. Magna omnium civium alacritate et plausu receptus sum, ita ut mihi videar aliqua in existimatione me apud cives esse. Insuper mihi, quod multi facio, libertas est meo more vivendi concessa. Adeo tamen curiae consuetudo et iucunditas dulcis fuit, ut videar non redisse in patriam sed a patria recessisse. Refero animum saepe ad Sanctitatem tuam, quae me unice semper dilexit, ita ut in eius commemoratione vix scribendo contineam lacrymas. Refero mentem ad antiquam multorum consuetudinem ac suavissimam, quae efficit ut haec novae vitae institutio iniucundior videatur. Tamen paulatim haerebo moribus istorum, et continuo usu obsolescet paulatim curiae desiderium quod me nunc implicitum tenet. Fui et adhuc sum occupatus in comparanda domus supellectili, quae non parum molestiae attulit mihi. Nunc cum incipiam esse paulum liberior a curis, redibo ad mortuorum consuetudinem, et cum nostris litteris redintegrabo gratiam, a quarum familiaritate abfui diutius quam vellem. Te oro per tuam in me caritatem, ne abicias memoriam hominis tibi deditissimi. Opto te bene et ex sententia valere. Florentiae ·XI· kal. iulias. C. f. 174.

III. NICOLAO V. PP.

Cum antea, sanctissime Pater, tum vero nunc expertus sum maxime, quam suave sit et quam ceteris praeferendum rebus ocium, quod legendo scribendoque impenditur, quamque laudabile sit tempus quod consumitur in eo exercitio cuius munere agitur ne ipsum tempus nobis effluxisse tamquam dormientibus videatur. Vivo enim absque ullo rerum strepitu procul ab iis molestiis quae mentem conturbant et curas ingerunt inanes, quibus implicitus animus cogitationem deflectere a verae virtutis indagatione cogatur. Nulli rumores vulgi, qui ut plurimum sunt insaniae mixti; nulla praesentium temporum gesta, quae potius oblitteranda sunt quam tradenda memoriae; nulla rerum consilia, nulli bellorum apparatus, nullae acies ad me deferuntur. Quid reges agant, quid principes, quid populi concertent, inscius sum: ipsius reip., in qua sum educatus, curas praeter quam praestandi census, et hae satis molestiae adferunt, ignoro. Denique romanae curiae, in qua omnem ferme aetatem C. f. 160.

consumpsi, cura iam fere mihi delapsa est. Vacuus molestia, liber a supervacaneis curis animus versatur in lectione eorum, qui praesentium rerum studium abicere, et ad futura tempora mentem convertere exhortantur, eaque meditari, ea discere, ea tractare iubent, ex quibus aliqua elucescere queat virtutis laus: quod vero virtutis opus esse eximium solet, medentur animi morbis, monent modum cupiditatibus imponendum, arcendas voluptates, futurae vitae incumbendum, consulendum animae saluti, unde venit, quo sit reditura, praemeditandum: iis autem praeceptis mentem instituunt, quibus si pareremus, continua felicitate vita hominum frueretur. Et certe haec vitae ratio, quae litterarum studiis, quae doctrinae, quae sapientum praeceptis, quae virtuti impenditur, est longe anteferenda reliquis, sive regna fuerint, sive principatus, sive opes, sive divitiae, sive quaevis alia bona quibus fortuna dominatur: sunt enim fragilia, imbecilla, momentanea, laborum, sollicitudinis, insidiarum plena, quae verissime infelicitatis instrumenta nobilia dici possunt: haec vero solida, firma, stabilia, quae libertatem animo et corpori largiuntur, quae sollicitudines insanas demunt, patentem aditum virtutibus praebent, omni mentem abstergunt molestia, vitam omni dignitate dignam praestant, et praeditam laude sempiterna.

Huius sententiae, quam vera sit, tu ipse copiosus es testis, quem sola virtus nullis fortunae adminiculis adumbrata, sola praestantissimarum doctrinarum scientia, sola litterarum studia, ex quibus virtutis fluxerunt incitamenta, ad eam quam merito tenes dignitatem pontificiam extulerunt: ut cum omnia Deo nostro, cuius providentia te fidei nostrae antistitem videmus, plura iis qui tua virtute ac probitate moti hunc tibi gradum tribuerunt, plurima tamen meo iudicio doctrinae et litterarum studiis debeamus, quae et te insignem reddiderunt virtutibus omnibus, et mentem iniecerunt ut quod aliquando precibus ambitionique concessum vidimus, nunc probitati virtuti sapientiae tribueretur. Itaque nunquam satis dignas gratias bonarum artium studiis agere possumus, a quibus hoc tantum donum nostra haec saecula susceperunt. Ut enim omittam cetera, pacem, tranquillitatem, a bellorum fluctibus quietem, quae quidem praeclara sunt, a te nobis impensa, tua profecto virtute prudentiaque effectum conspicimus, ut vulnus nonnullorum stultitia, ne dicam nequitia, Dei ecclesiae infixum, quo paene religio nostra conciderat, sanaretur. Quae omnia si vere aestimare pensitare-

que voluerimus, soli scientiae, doctrinae, litteris, accepta referre debemus.

Quamobrem, Pater beatissime, si paulum temporis libris impertior, siquando mentem a sensibus legendo revoco, si a defunctis disco vivere, et ea ago ac tracto aliquando, quae tum mihi tum ceteris aliquid ad bene vivendum praesidii valeant afferre, rectius mihi agere videor, quam iis negotiis impediri, in quibus magis fortunae bona quam dotes animi versarentur. Verumtamen eatenus haec a nobis tractari decet, quatenus etiam rei domesticae consulatur. Durum quippe est egere, cum apud inferos egestatem turpem Virgilius describat, et contra officium sit abduci a rebus necessariis, ut litteris vacemus. Quamquam bono animo me consolor, nullam egestatem, nullam inopiam, nullam fortunam te vivente extimescens. Sed eo maiori cura studiis nostris incumbam, quo ampliorem mihi spem, uberiorem voluntatem, mihi tua liberalitas praebuit.

Sed nolo amplius obtundere insulsis verbis aures tuas, quas scio esse occupatissimas et plurimorum importunitate vexatas. Vereor praeterea ne mihi possis dicere: sus Minervam. Tua tamen fretus humanitate, postquam tecum coram loqui non datur, volui his litteris tecum loqui ut aliqua fruaris portiuncula otii non penitus ignavi. Commendo me tuae Sanctitati, et ut filii memineris oro, si tempus detur. Timeo Aristotelis sententiam, amorem usu et consuetudine conservari. In Terra nova die ·XXVI· augusti.

IV. NICOLAO V. PP.

Vellem aliquid posse litteris mandare, beatissime Pater, quo tuae Beatitudini persuaderem, ne mei memoriam deponeres, prout multorum mos est qui parvam habent absentium rationem. Sed nullum occurrit scribendi argumentum; ita rerum verborum ac sententiarum inops sum factus: neque de rebus publicis scribere possum, neque in privatis volo tibi esse molestus, quas in commodius tempus reservo. Illud mihi superest ut te orem atque obsecrem, ut aliquando in mentem veniat Poggii tui, eamque erga me benivolentiam benignitatemque conserves, quam bonis quondam optimisque coeptam principiis diutius non conservasti solum, sed etiam multis tuis in me meritis auxisti. Similitudo enim studiorum morumque nos consuetudine primum tum mutua benivolentia devinxit: neque vero mercede aliqua aut quaestu nostra consuetudo contracta est, sed litterarum studiis

et bonarum artium disciplina, ut certe confidam ita radices suas fixisse altius tuam in me caritatem, ut nullo neque tempore neque vento convelli possit. Hoc ego ita mihi persuasi: tuae nunc est sapientiae id agere ne frustra videar mihi persuasisse. Verum ne mihi defuisse videar, scis duo mihi tuam Sanctitatem pro summa eius humanitate pollicitam esse; utriusque debitum a te exigo cum tempus erit, ut simul et honori meo consulatur, et ne videar a te deiectus aut destitutus. Domesticae insuper quieti provideas, oro, qua saepius careo, uxoris molestia pro patre et fratre intercedentis, meque culpantis negligentiae, ut qui ei videar remissior in petendo. Non credunt has importunas vexationes, qui non norunt neque sunt experti. At Petrus noster secretarius tuus mihi testis optimus esse potest; quem, te oro, testem cites cum de meis postulatis fueris acturus. Recommendo me Sanctitati tuae, quam incolumem conservet Altissimus! Florentiae die . . ianuarii.

Aliam ad Nicolaum PP. f. 191. b. ob argumenti tenuitatem omittimus. Aliam rursus ad eundem f. 197. b. ob Poggii pruritum maledicendi quibusdam hominibus.

V. NICOLAO NICOLIO DE IMPERATORIS CORONATIONE. (1)

C f. 166. b. Quamquam sciam, mi Nicolae, non admodum probari tibi huius nostri temporis facta, referenti ut opinor animum ad illa priscorum virorum gesta magnifica quidem atque omni laude digna, tamen recentiora etiam minime tibi arbitror contemnenda, ea praesertim quae perraro et cum aliqua aestimatione nominis ac rerum dignitate fieri solent. Scio quippe permaximi iudicanda illa quae legimus, quae admirari citius quam imitari nostri homines possunt; sed tamen nonnihil ad eorum dignitatem atque amplitudinem scriptorum ingenia contulere, qui etiam parva quaedam ita luculenter describunt, ut habeantur pro maximis. Nostra vero et nos ipsi spernimus atque verbis et indignatione quadam animi insectamur: et siqua aguntur digna memoria, inopia scribentium absolescunt: ut non tam sua culpa, quam nostro vitio parva ac ridicula videantur. Verum sentiant ceteri quod volunt, ego parvis istis quae dantur, quaeque longo intervallo temporum videmus, delector; et si quando contingat aliquam nobis in ipsis pristinae imaginem gloriae repraesentari, duplici fruor voluptate; altera cernens quae oblectant

(1) Nempe Sigismundi anno MCCCCXXXIII per Eugenium IV. PP.

oculos, cum non sint procul ab usu nostro remota; altera complectens cogitatione, superiora illa videlicet quae legendo admiramur. Referam tibi igitur adventum Caesaris nostri ad Urbem, eiusque coronationem, ut tu quoque inter legendum avocans mentem a curis privatis, a quibus aliquando te angi necesse est, aliqua mecum fruaris voluptate, audiens ea quae paucissimi nostrae aetatis viri meminere. Tu vero velim, ut obmissa illa acri censura, qua praesentibus in rebus uti soles, si reliqua displiceant, vel saltem me confabulantem patienter auscultes.

Qua die Caesar introiit in Urbem, ingressus est autem et ascensionis Domini die, et ea porta secundum antiquas caerimonias, quae est penes sepulchrum Hadriani, omnis populi multitudo, viri pariter ac mulieres, se ad conspiciendum qua iter facturus erat effudit. Urbs Roma in ·XIII· regiones nunc descripta est paulo minore hominum numero quam olim fuit, cum erat in ·XIIII· descripta. E regione qualibet annis singulis deputantur electi ex ordine equestri adolescentes octo ad celebrandos publicos ludos, qui varia quisque veste contecti, personati diversam pompam ludorum ducunt. Hi reliquique qui sollemnium sacrorum ludis adesse consueverunt, Regem praecedere diemque festum agere iussi sunt. Praeibant ergo Regem primum omnium varii generis longo ordine impedimenta partim ad cultum corporis, partim ad usum militarem accommodata. Sequebatur equestrium virorum ingens numerus tum civium tum peregrinorum, qui extra Urbem obviam ierant: tum diversae regum principumque ac populorum legationes, in quibus graeci Imperatoris oratores erant, attrahentes in se ora atque oculos omnium admiratione quadam tum propter novitatem vestimentorum, capitisque mira quaedam integumenta, tum vero comarum barbarumque prolixitate. His intermixti procedebant proceres permulti, qui variis ex locis ad hanc celebritatem convenerant. Subibant deinceps tubicinum atque tibicinum turba, multique praeterea vario sonorum strepitu aures adstantium replentes. Post hos aderant quos retuli ex singulis regionibus instituti ad ludos, sericea quaedam vexilla tenentes manibus, et ipsi suo ornatu insignes succedebant. Dehinc magistratus omnis Urbis, et qui aliquo publico funguntur munere, suo quisque habitu, nonnulli vero cum aurea veste qua equos quoque contexerant, quem ipsi priscum esse habitum asserunt.

Postmodum sequebatur pedestrium agmen partim gestantium olivarum ramos, partim eas quas ipsi falcolas vocant, nomen

antiquum non reperi, licet res haec sit moris vetustissimi, cum in arcubus triumphalibus coram imperatoribus, et aliis in locis ante consules inter fasces deferri solitas vetustissimae sculpturae testentur, quas cum ipsi manibus simul ad numerum moverent, festivam ac popularem quamdam praebebant ex tintinabulorum sonitu alacritatem. Praecedebat hos, qui priscis temporibus mos fuit, egregius adolescens, veste purpurea atque aurea caesarie, nummos populo spargens, insuetum spectaculum sed imperatorio munere dignum. Postremo sacerdotes antecedebant Regem canentes hymnos. Ipse enim Caesar albo vehebatur equo, sub aureo pallio quod nobiliores deauratis hastis deferebant, ceteris spectaculis excellentior. Est enim aspectu perhumanus, ridenti similis, facie hilari ac liberali, barba subcana: ea inest in vultu comitas ac maiestas, ut qui illum ignorent, ipsò conspectu et oris egregia specie ceterorum regem opinarentur. Post eum secuti sunt armati equites nostrates ex his quibus Pontifex stipendium praebet. Hoc comitatu ad ecclesiam beati Petri maiorum more profectus, atque a Pontifice sedente pro gradibus templi ante porticus exterioris fores exceptus est inter dissonas plaudentium ac tumultuantium diversarum gentium voces. Inde cum ad supremum altare una profecti essent, peracta sollemni missa, alter ad destinatum, alter ad solitum palatium divertit. Habes introitum, nunc accipe coronationem, quae in festo pentecostes pridie kal. iunii subsecuta est.

Scio morem hunc imperatoris coronandi, qui nunc servatur, non esse priscum, sed initium sumpsisse olim a Carolo magno Francorum rege, qui cum Constantinus cum Leone filio apud Graecos imperaret; atque ipse reliquique iam dudum antea imperatores Italiam undique bellis confractam, tum vero hinc a Longobardis gente aspera feraque, hinc a Mauris oppressam omnique praesidio destitutam atque exinanitam reliquissent; Urbs autem in extremis paene esset difficultatibus; vocatus a Stephano romano pontifice in subsidium Urbis Carolus, devicto Desiderio Longobardorum rege, barbarisque subactis, a populo romano ob eius merita imperator appellatus, et a Pontifice coronatus est: quae observata a posteris consuetudo coronandi, ad nostram usque aetatem descendit. Priscis autem imperatoribus, ut nosti, lauream in triumphis coronam gestare mos erat. Concessa enim a senatu potestate triumphandi, et ius laureae coronae deferendae tributum erat triumphantium insigne. Primo Caesari dictatori licentia coronae aureae perpetuo gestandae cau-

sa extitit a senatu, qua postmodum reliqui imperatores pro libidine usi sunt, contempta superiorum auctoritate. Quoniam vero mos ille obsolevit omnino, nec solum ex usu sed ex memoria quoque hominum abiit, hunc recentiorem per septingentos fere annos servatum antiquitus esse arbitramur. At abicientes illa quae iam usus explosit, sequamur quae a nostris maioribus religiose instituta, et ad nos usque traducta consensus Christi fidelium comprobavit.

Nostri imperatores cum eliguntur, ante consecrationem coronationemque Romanorum reges appellantur, perverso vocabulo, quasi pluris existimandum videatur imperatorium quam regium nomen. At vero prisci Romani post expulsum Tarquinium superbum ob odium regum, nomen regium funditus sustulerunt, senatus consulto statuentes nequem deinceps regem in Urbe esse liceret, cum imperatores permulti quotannis re bene ac feliciter adversus hostes gesta, a militibus honoris causa appellarentur. Unde inter ceteros aetatis suae princeps civitatis Lucullus est in Asia a militibus dictus imperator. Iulius autem Caesar cum saepius post partam victoriam esset ab exercitu imperator appellatus, non imperatorium aut regium sed dictatoris nomen usurpavit. Tantum odium sibi regis nomen contraxerat! Cum autem cuperet regis nomen, vereretur autem populi indignationem, molitus expeditionem in Parthos, atque asserens in libris sibyllinis contineri, nonnisi a rege Parthos superari posse, se regem dici procuravit, quod maturandae mortis suae causam praebuit coniuratis. Nullus autem sequentium imperatorum se regem Romanorum appellare ausus est.

Imperatoris vero appellatio perpetua non erat, sicuti neque consulis neque praetoris nec tribuni. Nam et priores illi cum Caesaris et Augusti cognomine continuo uterentur, vario numero, quosdam septies, quosdam maiori, alios minori numero invenimus appellatos imperatores, consules, tribunos plebis: dignitatis enim non officii id nomen fuit; nam rebus prospere adversus hostes gestis, mos erat honoris gratia consules, proconsules, praetores, consalutari et dici a militibus imperatores. A quo autem primo haec nova tum regis tum imperatoris nominandi consuetudo defluxerit, ignoro. Existimo autem hoc a barbaris derivatum, qui priscas historias ignorarunt, neque verborum vim tenuerunt. Cum esset autem frequentius apud eos regis nomen, utpote sub regibus viventes, imperatorem vero unum ac raro viderent, id excellentius arbitrati sunt quod rarius atque

insuetius conspiciebant. Cum utrumque tamen hoc adoleverit, hinc plane constat non satis hanc appellationem recte a posteris introductam. Verum ineptissimus ego, qui auribus doctissimi hominis haec refricare ausus sum.

Cum dies coronationis advenisset, ingressus interiorem ecclesiae porticum Caesar, ante portam quae dicitur argentea iuramentum quoddam Pontifici praestitit, de more superiorum. Tum profecti in templum superius pone maius altare ad dexteram partem assistens, in morem diaconi indutus, ab episcopo ostiensi sacro oleo iunctus est. Hinc existimo Augusti nomen descendisse; loca enim ut scis augurio consecrata, augusta antiqui appellabant, quod nomen tamquam sanctum inditum est Octaviano. Hac observatione et nostri quoque imperatores post consecrationem Augusti vocitantur. Post haec ad Pontificem celebrantem ad altare accessit, a quo osculo exceptus, interque celebrandum primum alba mitra capiti imposita, ita ut cornua eius ad tempora erigerentur, aurea desuper corona coronatus, aureum pomum, sceptrum ensemque nudatum ei Pontifex tradidit tamquam Christi militi, qui armis si opus esset et romanam ecclesiam et Christi fidem tuendam atque defendendam susciperet. Peractis ex more sollemniis, pluviali veste indutus est. Inde tum Pontifex tum Imperator equos ascendentes, una versus pontem Hadriani proficiscuntur. Consueverunt superiores Imperatores olim usque ad id loci ad frena Pontificis pedibus iter facere, quod ne servaret podagra prohibitus est. Cum vero constitissent ad sepulchrum Hadriani, Pontifex domum rediit. Imperator vero ita ut descenderat mitratus coronatusque cum veste sacerdotali ad basilicam lateranensem abiit inter populi laetantis varios plausus. Supra pontem autem cum transiret, descendens equo quam plures strenuos viros atque adolescentes militaribus insignibus donavit. His rebus universa civitas in summam hilaritatem effusa est ad diei tam festi pulchritudinem; et is omnium quos unquam viderim celeberrimus Urbi illuxit, qui ut gaudium summum attulit, ita oro ut pacem concordiamque secum importet. Vale, mi Nicolae; et si longior fui, ne mireris; ociosus enim sum, et tecum loquor libentissime. Tu vero responde, cum libet. Romae pridie non. iunii.

VI. FEDERICO III. IMPERATORI.

C. f. 227. b. Si ea aetas mea esset, quae labores itineris ferre posset, serenissime Imperator, venissem ipse ad te profecto, ut praesens

potius verbis Christi fidelium tecum causam agerem, quam ut te litteris absens compellarem. Citius enim verbis quam litteris scimus solere homines commoveri; viva vox, gestus, oculi, vultus, pronuntiatio plurimum apud auditores proficere consueverunt ad animos commovendos. Verum quoniam annis impedior, nec facultas peregrinandi datur, pro viribus corporis utar qua possum ingenii facultate, ut in eo quod conceditur, adhortationibus scilicet, videar aliquid opis conferre ad fidelium defensionem. Scis, auguste Caesar, duo esse capita praecipua christiani populi, a quibus fidei cura et defensio maxime requiratur. Primum Pontifex est, cuius tamquam animarum patris dignitas et auctoritas eminet adeo inter omnes, ut singuli illum Christicolae venerari debeant, et salutiferis eius monitionibus parere. Secundum Imperator locum tenet, qui tunc suo munere fungitur, cum ea agit quae tantum nomen postulat et requirit; si ecclesiam Dei, si fidem catholicam, si Christianorum salutem tueatur, si hostes fidei reprimat et oppugnet; quae qui negligunt, nomen imperii tenere possunt, veri imperatores esse nullo modo possunt. Huius tantae molis officium multos olim imperatores impulit ad defensionem fidelium, ampliationem religionis, et hostium fidei depressionem. Alii sua sponte in Asiam, alii in Syriam, alii in Aegyptum transiere, alii Africam petiverunt, ut fidem propagarent, ut inimicos crucis Christi aut tollerent aut reducerent ad verae cultum religionis; qui omnes summam et perpetuam laudem adepti sunt. Rari ex his aut Pontificum aut aliorum hortamenta rebus agendis expectarunt; sed quidam ipsi sua sponte longo maris terrarumque tractu permenso, bella Christi hostibus intulerunt, ut sepulchrum Domini et terram sanctam a servitute barbarica liberarent, quod effecerunt nonnulli summis in laboribus ac periculis longe a patria versati.

Atqui haec eo tempore facta sunt, cum nondum Teucri (1) in Europa dominarentur, ut non circa defensionem regionum, quas Christiani incolebant, sed circa invasionem oppressionem expugnationemque hostium nominis Christi illorum opera versaretur. Secutus est postmodum annis paulo amplius nonaginta Teucrorum in Europam transitus, accepta a Graecis Gallipoli; qua ex re universam fere Graeciam, Epirum, Macedoniam,

(1) Utrum dicendum sit *Teucri* an *Turci*, disputat Poggius in epistola ad Albertum Parisium, cod. f. 203. b. Mavult tamen *Turci*; etsi in aliis quoque nonnullis saeculi XV. vel XVI. scriptoribus *Teucri* legitur.

Thraciam possedere: quod tum a Pontificum (1) tum a romanorum Imperatorum desidia incuriaque manavit, cum nascens morbus parvo labore sanari potuisset. Erat tamen tamquam maris terraeque claustrum illis urbs constantinopolitana, situ, magnitudine, et portu insignis. Erat in ea imperatoris nomen, quod sibi Graeci post divisum imperium propter urbis dignitatem reservarunt. Erat illa urbs tamquam firmissimus obex opposita Teucrorum viribus, ut donec ab eo imperatore teneretur, non viderentur canes illi barbari extimescendi, cum esset tamquam frenum quo illorum impetus retardarentur. Nunc eadem incuria ac negligentia tanta urbs a barbaris capta est in obprobrium christiani populi, detrimentum fidei, huius saeculi ignominiam ac labem.

Sed profecto valde admirari cogor et tuam praecipue et aliorum dominantium tarditatem. In vos, in vestrum caput, in vestras opes, urbes, provincias, Teucri cupiditatem inflammatam videmus: vestras res expetit, sanguinem vestrum sitibundus quaerit, ad opprimendos eos qui regnant arma movet. Non tantum de fide quantum de imperio certatur, praeesse aliis cupit et Europae imperio potiri. Scio Teucrum, non ut meas fortunas appetat tantum bellum moliri, sed ut tibi ceterisque imperantibus dominetur, ut a vobis regna et principatus auferat, ut vos habeat servorum loco: pauperes ac mediocres in tuto esse videntur, quibus ubique serviendum est; tua reliquorumque principum bona, et status in discrimine vertuntur: provinciae, urbes, oppida, dominia quaeruntur: tibi aut interitus, aut dura servitus paratur: tibi reliquisque dominis tum fortunarum omnium tum vitae pericula videntur incumbere. Quo magis miror, cum secundus annus iam sit, quo urbs illa in potestatem hostium devenit, te ad quem id onus maxime spectat, velut instantium periculorum immemorem ad hoc usque tempus ociosum ab armis fuisse, nullos fecisse apparatus, nulla subministrasse illis praesidia qui quotidie bellis periculosissimis implicantur, nullos parasse exercitus, quibus illius furentis beluae insania propulsaretur: quam rem omnes admirantur, queruntur que tantam dignitatem nimis tepidam videri ad fidei defensionem. Non sunt tibi, sicut olim ceteris, ulla maria navibus transeunda, nullae longinquae provinciae adeundae, nullae itinerum extimescendae insidiae: hostis fidei in propinquo est, iam in foribus fidei per-

(1) Quicquid dicat Poggius, romanorum quidem Pontificum assiduos conatus ob reprimendos Turcas historia testatur.

sequutor adest, quotidie propius obviam accedit, nostra rapit, spoliat, comburit, caede et sanguine fidelium omnia replet, in christiani nominis contemptum. Neque vero is est hostis qui aut negligendus aut contemnendus aut spernandus esse videatur, neque id tempus ut diuturniorem moram pati possit absque summa pernicie populi christiani. Iam hora est de somno surgere, cum tempora mala sint, et summis periculis plena.

Quamobrem cum Deus omnipotens in hoc te fastigio collocarit, ut scutum fidei sumeres propter pereuntium salutem, nolis deesse officio tantae dignitatis, nolis de te hanc famam vulgari ut discrimina fugias aut propter metum aut propter ingenii tarditatem. Memineris te Imperatorem esse, hoc est omnium fidelium defendendorum caput, ad quod respiciunt singuli, et eius exemplo aut arma sumpturi, aut communem salutem deserturi esse videntur. Memineris, oro, te defensorem fidei a Deo esse constitutum, pro qua tuenda plures aut effudere sanguinem, aut vitam maxima cum gloria posuere. Hoc tui officii est, hoc muneris, hoc dignitatis, ut vexillum crucis etiam tua sponte absque alterius rogatu libens suscipias pro communi causa fidei christianae. Cum autem Pontificem habeas suasorem, hortatorem, impulsorem, qui te requirit, qui tuum auxilium poscit, qui ad te legatum suum prudentissimum magnique consilii Cardinalem sancti Angeli, virum omni virtute praestantem destinat, ut te roget atque oret ad eam expeditionem suscipiendam, qua nulla utilior, nulla gloriosior esse potest, nisi hanc provinciam prompto alacrique animo susceperis, querentur omnes fidei causam ab eo desertam a quo minime oportebat.

Quamquam nullo pacto opinor, tuam virtutem in hoc tam sancto opere remissiorem, quam tantam dignitatem deceat, esse futuram, cum iam multa signa ostenderis tuae voluntatis pronae ad fidelium tutelam. Quapropter si ut coepisti, si ut Pontifex sperat et omnes exoptant, te ducem praebueris ad hanc tam praeclaram expeditionem, tunc existimabunt dignum talem virum tanta dignitate; cuius nomen et pondus suis rebus gestis tueri se queat: tunc vives memoria omnium sempiterna, assequerisque talem laudem, quae sit omnem temporis longitudinem superatura. Incumbe igitur omni studio, cura, diligentia, te eum praebere in hac fidei causa, quem omnes iudicent solum esse dignum qui eius victoriae palmam reportet quae futura sit omnium praeclarissima. Es in eo gradu constitutus, ut nullum tuum dictum aut factum obscurum esse possit. in te unum respiciunt

omnes, tuam operam expectant, tuum auxilium postulant; qui cum huius expeditionis te caput et ducem praebueris, te omnes sequentur, et tibi praesidia subministrabunt. Si vero remissior videberis aut tardior, quam Christianorum resp. requirat, tua negligentior quam officium imperii postulat, vide ne praeter oblocutiones gentium multa discrimina et tibi et imperio et germano nomini subsequantur.

Nosse debes, post Carolum magnum divisum imperium fuisse, et omissis Graecis, alterum imperatorem a Romanis et a Pontifice creatum, ac deinceps et graecum et latinum imperatorem fuisse: demum vero tanti fastigii nomen resedisse apud Germanos. Graecus imperator, amissa Constantinopoli, sublatus est. Tu solus relictus, in quo nunc tanti resideat spendoris nomen, obque ipsum et tibi et Germanis magnus honoris cumulus accessisse putatur. Quo magis cogitandum est ac providendum ne aliquo casu alter imperator in ea urbe aliquando exigatur, qui se verum imperatorem appellet. Nam si per tuam et aliorum romanorum negligentiam aliquis alius princeps eam urbem ab infidelibus liberabit, suscitabit tibi antiqui imperatoris nomen; et ubi nunc unum est, imperii divisio fiet. Et forsan talis erigi posset, cui et Pontifex favebit, et reliqui Christiani ob sua merita haerebunt. Necessarium enim erit ut et is favorem omnium consequatur, et ut eius partes Pontifex tueatur a quo maxime fidem adiutam constabit. Verum nequo id casu accidat, futura enim incerta sunt et inexplorata nobis, videtur esse a tua prudentia obviandum.

Velis igitur pro Christi salvatoris nostri reverentia, pro animarum eius ovium salute, pro tui nominis gloria, pro laude imperii et Germanorum, subire onus quod et salutem fidelibus adferat et tibi gloriam immortalem. Suscipe signum eius qui non deserit in se sperantes, et imperii vires colloca ad extinguendas nationes barbaras quae tam crudeliter in effundendo fidelium sanguine debacchantur. Habes Pontificem hortatorem, faventem, propitium, qui firma subsidia pollicetur. Habes regem Aragonum gloriosissimum promptum in hac tam sancta causa ad classem et terrestres copias subministrandas. Habes Italiam consentientem ad defendendam communem salutem. Habes plures principes, si tu coeperis, ad sequendum paratos: sed omnes fere in te respiciunt, expectantes quid constituas, quid agas, quid laboris quid operis sis suscepturus. Peragravit olim imperator Sigismundus, fortissimus atque optimus princeps, omnem ferme

Europam, omnes reges christianos adiit, ut quaereret ecclesiae unitatem quae postmodum secuta est. Et certe nisi ipse suam operam, studium, diligentiam impendisset, adhuc scissura esset dei in populo christiano: sed eius laboribus et vigiliis est effectum, ut unicus Pontifex crearetur, ex quo nomen eius vivet apud posteros immortale. Magnam profecto utilitatem attulit omnibus gentibus unio et pax ecclesiae fidelium largita: magnum opus et plenum summis laudibus fabricavit, et quod perpetua laude celebretur. Sed non inferior utilitas, non minor gloria erit, si quis victoriam de Teucris reportet: quae res multo magis necessaria est fidelibus Christi, cum maius periculum animabus nostris et patriae immineat a Teucrorum immanitate, quam ab eo schismate fuerit profectum: ab illis enim occiduntur Christiani, in captivitatem deducuntur, desolantur provinciae, civitates et oppida vastantur, abnegatur fides; quae in schismate non contigerunt. Huius virtutes, cuius recens est memoria, imitari debes, ut maiorem gloriam adipiscaris. Tibi per semitas illorum, qui probati sunt, incedendum est, in iis praecipue rebus in quibus fidei defensio consistit, ut ad futura tempora tua recte factorum fama transmittatur.

Surge igitur, et in nomine Altissimi accipe vexillum Salvatoris nostri, quod gentes singulae sequentur et venerabuntur: praebe te exemplum atque auctorem et ducem ceteris: exercitum para, iter aggredere, ut non videaris deesse tam sanctae causae prosecutioni, ut gentes et nationes videant, opes, dignitatem, vires, prudentiam tibi concessas collocare te in eius obsequium a quo illas recepisti. Nulli tuorum praedecessorum data est facultas tantae gloriae apud Deum et homines consequendae, nulla talis occasio tantae laudis comparandae; cum non solum tuis sed aliorum opibus et potentia fultus, eorum opes, operam, impensam, sis in tuam laudem conversurus, traducturusque in tui nominis commendationem. Haec si egeris, quod a tua dignitate requiritur, adipisceris gloriam, humanarum rerum praemium, quam nulla aetas sit obscuratura; Dei vero mercedem, utiliorem et veram retributionem bonorum operum, quae ob eius reverentiam cultumque impendes, hoc est aeternam inter beatos requiem et gloriam consequeris. Florentiae.

VII. ALPHONSO REGI ARAGONUM.

Cum pro mea consuetudine ac benivolentia, qua omnes doctos viros complector, serenissime atque illustrissime Princeps, C. f. 231. b.

visitassem praeclarissimum iuris consultum Michaëlem Ricium oratorem tuum, multa collocuti sumus invicem de virtutibus tuis, cum et ille libenter et copiose illas enarraret, et aures meae nihil libentius audirent: ita enim postulat tuorum gestorum magnitudo, ut cum illa cum tua suprema laude celebrentur a singulis, admirentur omnes in earum commemoratione, ac de tuis laudibus uno ore et sentiant et loquantur. Ut enim omittam res magnifice gestas, in quibus omnium superiorum excellentium regum laudem et gloriam adaequasti, reliqua magnis digna viris, quae in paucis vigere noscuntur, ita in te praecipua ac praeclara sunt, ut aeternam sint tibi prae ceteris rebus famam et gloriam allatura. Nam et liberalitate munificentiaque ceteris omnibus et principibus nostri temporis antecellis, et doctissimos atque eloquentissimos viros ita diligis, ita undique contrahis et ad te advocas, atque honore praemiis beneficiis ornas, ut tua regia, studiorum et litterarum, humanitatis et doctrinae diversorium dici rectissime mereatur.

Magna et grata est omnibus virtus liberalitatis, quam in te novi singularem, quae quo rarior inter principes aevi nostri versatur, eo acceptior, carior, gloriosior esse debet. Sed doctorum hominum patrocinium, quod solus hac aetate suscepisti, ita cumulat laudes tuas, ita illas extollit, ut nihil excellentius, nihil praestabilius esse possit. Nullus enim in quo aliquod specimen vel artis singularis vel praestantis doctrinae existat, accedit ad Serenitatem tuam, qui non liberalitatem tuam praedicet, et exornet verbis, et te in aliorum subsidium veluti quemdam e caelo delapsum genium esse arbitretur. Haec una vox est omnium, et sermo inter omnes diffusus, neminem a te discedere, cui non sit opitulata liberalitas tua. Nemo a te dimittitur tuae beneficentiae vacuus: quae res sunt, non cum saeculi nostri principibus a quibus liberalitas parum colitur, sed cum illis priscis qui habiti sunt et fuerunt liberales, procul dubio comparandae. Itaque cum virtutum via sempiternam tibi memoriam et nomen compararis, perge oro ut coepisti, et te ipsum harum virtutum ducem imiteris: nullius enim alterius exempla tibi sunt ante oculos proponenda, cum ea egeris agasque quotidie, ut a te singularum virtutum opera orta esse videantur. Unum est quod menti tuae insitum atque infixum animo esse debet, omnia superiorum principum gesta ac virtutes in oblivione ac tenebris obscuras fuisse futuras, nisi litterarum lumine in memoriam hominum atque in lucem educerentur. Singula enim opera ma-

nu facta suum fatum sortiuntur, et fortunae arbitrio sunt subiecta; solae hae supra fortunam sunt, et praestant famam egregiorum principum immortalem. Florentiae.

VIII. ALPHONSO REGI ARAGONUM.

Licet antea nonnihil admiratus fuerim, Princeps optime, tuam beneficentiam paulo remissiorem erga me videri (1) quam erga ceteros in quos fuisti liberalissimus, tamen nunc laetor accidisse, id quod hactenus requirebam, cum hanc moram quae tuo dono intercessit uberiorem mihi fructum videam attulisse. Ita beneficii loco haec temporis intercapedo ducenda est, quae secum foenus comportavit multo opulentius quam putarim. Equidem ut ingenue verum fatear, non tam ferebam moleste meos labores nullum praemium consequi industriae et devotionis erga te meae, quam commovebar animo nonnullorum malivolorum atque invidorum verbis disseminantium munus nostrum a te neglectum parvique extimatum esse; quod mihi sane pergrave erat: non quod ullam ingenii iacturam subirem, quippe cum scirem opus meum a viris doctissimis comprobari; sed quia videbantur illi ex tuae beneficentiae dilatione nonnihil dicere apud homines, tibi natura insitae liberalitatis ignaros, et haudquaquam considerantes maximorum principum mores, quos diversarum rerum incumbentium magnitudo persaepe cogit etiam illa oblivisci aliquando quae pertinent ad sui corporis curam: ut nisi quandoque monitores essent, multa necesse esset ab illis praetermitti, quae ad suam utilitatem cultumque vitae pertinere videantur. Verum illi, fuco quodam et simulatione virtutis adumbrati, cum nondum tibi eorum facultas et mores noti forent, ostentatione quadam doctrinae quam prae se ferebant, et verborum iactantia, tamquam personati solent, te impulerunt ut alicuius rei dignos putares. Sed postmodum detracta parvo tempore simulationis veste, cum diutius occultari eorum praestigia non possent, a te reiecti sunt ut omnis virtutis inanes. Ut enim ea quae brevi tempore fructum ferunt, citius arescunt, quam quae maturius producunt foetus, sic apud te ad parvum tempus perdurans tamquam fumus illorum evanuit ostentatio. At in me contra tuus animus evasit: nam temporis diuturnitate, tamquam C. f. 163. b.

(1) De Poggii impatientia ob retardatum sibi donum ab Alphonso rege, cui Cyri paediam a se factam latinam obtulerat, loquuntur epistolae eiusdem ad Facium et ad Panormitam quas infra proferemus, nec non Vespasianus a nobis editus in Poggii vita p. 551.

arbor pomifera radices altius fixit, ut postea uberiores multo efferret fructus, quam si e vestigio floruisset.

Accepto itaque dono, quod tui mihi oratores viri praestantissimi attulerunt, plane perspexi, non oblivione mei aut operis contemptu te fuisse tardiusculum in beneficio collocando, sed agendarum rerum multitudine ac pondere distractum, cum mentem multis curis implicitam ad maiora divertisses, tandem dato tempore, te tibi similem extitisse, hoc est illam tibi innatam liberalitatem ad tempus sopitam, maiorem solere exsurgere atque ampliorem. Addiderunt insuper tuo nomine oratores propensam erga me voluntatem tuam, si quid esset in quo me extollere et ornare posses; hortatique sunt ut bono animo peterem si quid praecipuum a te cuperem impetrare, quae verba uberiorem tuam beneficentiam praestiterunt. Sunt omnes virtutes in principibus praeclarae, maximeque in iis relucent qui rerum potiuntur; sed nulla excellentior beneficentiâ, nulla hominibus gratior, nulla quae maiorem benivolentiam regibus conciliet. Quod verissimum esse, in te ipso potes intelligere, quem omnes propter tuam in singulos munificentiam amant, omnes colunt, et veluti communem omnium parentem salvum cupiunt, summaque veneratione tamquam caelitus demissum principem venerantur. Sed parcius scribam, ne tibi videar adulari: quamquam de tuis laudibus et scripsi hactenus, et si vita suppetet, efficiam ut tua haec benignitas in homine minime ingrato collocata esse videatur. Agerem tibi nunc gratias litteris, si ulla esset tam copiosa dicendi facultas, quae id verbis adsequi posset. Verum a Deo id speres velim, qui non agere sed reddere bene meritis gratias consuevit. Ego quod ad me attinet praestabo ut profitear me quoad vita supererit tanti beneficii memorem, tuarum laudum et virtutum tamquam bucinatorem esse futurum. Vale felix saeculi nostri decus.

IX. ALPHONSO REGI ARAGONUM PRINCIPI OPTIMO.

C. f. 212. b. Si unquam antea prudentia rege digna usus es, serenissime Princeps, nunc procul dubio tantam in hoc perficiendo pacis opere ostendisti, ut non solum prudens ab omnibus verum etiam sapientissimus merito iudiceris. Docuisti profecto in hoc tam sancto communis concordiae negotio, te propter publicam Italiae totius utilitatem magis componendae pacis quam belli gerendi rationem habere voluisse (1). Qua in re quantam laudem,

(1) De hac Italica pace Vespasianus in vita Card. Capranicae p. 188-190.

quam eximiam, quam singularem fueris adeptus, omnes sunt testes Italiae provinciae, quae perpetuo famam tuam tamquam quietis et concordiae opificis grata memoria celebrabunt. Non ignoras quam suave quam dulce quam salutare sit nomen pacis, quam utile singulis, quam omnibus concupitum, ut qui se illius auctores profiteantur, posteritatis memoriae tum litterarum monumentis tum fama hominum commendentur. Sed praeter laudem insignem, quam modo es consecutus, hoc maximi fuit consilii et prudentiae singularis, quod tuo facto tibi simul et publicae Italorum tranquillitati consuluisti. Magnum sane tibi et posteris robur et firmitatem ex hoc communis pacis foedere adiecisti ad regni tua virtute quondam parti conservationem. Quis enim tam potens erit, qui vires Italiae adeo unitas, adeo unum sentientes, non reformidet? Quis tam audax aut tam imperiosus, qui eius partem aliquam conetur lacessere, cum senserit universam Italiam ad mutuam defensionem et auxilium convenisse?

Maxima igitur tua virtus et sapientia haberi debet, ac omnibus saeculis praedicanda, cuius ope et publicae omnium quieti pacique provisum est, et locus tum tibi tum ceteris id optantibus datus vacandi aliquando ad defensionem fidelium contra potentiam Teucrorum. Nam quamvis nonnulli sint in populo christiano principes, quorum potentia praevalida est et virtus praeclara, qui id onus subire possent si vellent, tamen absque Italorum viribus, qui classibus plurimum possunt, difficilis videtur dari aditus ad exercitus hostium terra marique superandos. Quare facilior nunc videtur, Italiam unum sentiente, ratio belli adversus infideles gerendi praesertim maritimi, in quo maxime videntur consistere victoriae fundamenta. Nam cum terra marique armis sit decernendum, utrumque vero bellum minime ab uno administrari possit, maritima utilior expeditio ac multo illustrior et gloriosior est futura. In ea quippe universi belli robur, eventus, et fortuna consistit; ut qui illud ex voto confecerit, maiori ex parte totius operis laudem sit reportaturus. Qui enim classe hostem superaverit, terrestrem victoriam aliis facilem praebebit.

Audivi quosdam egregios pace et bello viros asserentes, nunquam Teucros Europa pelli posse, dum illis mare pervium erit, dum ex Asia praesidia subministrabuntur. Quare necesse esse ut hostium classis superetur ac deleatur, si debilitari vires eorum expugnarique velimus. Europam aiunt corpus esse, ex Asia

animam ac spiritus accersiri. Haec subsidiorum facultas eripienda est, si potiri victoria optamus. Haud procul a ratione abesse quae diximus, facile apparebit tum prisca legentibus gesta, tum cogitantibus etiam quae nostro tempore contigerunt. Xerxes rex Asiae potentissimus cum in Graeciam, cum decies centenis milibus hostium, iuncto Hellesponto navibus, maximo cum terrore Graecorum omnium transisset, Themistoclis virtute classe victus, ne a reditu intercluderetur, relicto exercitu, qui ferme totus fame peste inedia periit, parva navicula cum paucis in Asiam transfretavit. Antiochus ac Mithridates prius maritimis bellis quam terrestribus sunt devicti. Bis paulo ante nostri exercitus et duces ab hostibus caesi, quoniam mare tutum Teucris in Europam transitum dedisset. Itaque haec prior expeditio consummanda est, quo facilius atque expeditius terrestre bellum reddatur.

Verum consideranti mihi quinam aptior reperiri possit inter christianos principes ad hanc causam defendendam, tu certe primus occurristi; cui, cum terrestribus copiis, maxime vero maritimis abundes, ac parvo maris tractu sis hosti propinquus, navalis expeditio prae ceteris suscipienda videatur. Arbitrantur omnes cum Italiam consentientem ac faventem sis habiturus, tibi soli hanc ex hostibus devictis maritimam palmam deberi, in qua totius belli moles videtur consistere. Plures sunt Italiae opes, ut nosti, et magnis in rebus expertae, quae vel solae id bellum, ad quod omnes animati videntur, conficere possent, si virtus aemulatione careret: sed capite illis et duce opus est, et tamquam signifero ad suscipiendam hanc maritimam expeditionem; ad quam nemo te aptior, nemo utilior, nemo accommodatior reperietur, qui rei militaris scientia, qui viribus, qui classe, qui auctoritate, qui consilio rem ex sententia possis perficere, et triumphare de hostibus. Egregia videntur certe quae ad hanc diem et pace et bello a te gesta sunt; sed cum iis, quae pro fidelium defensione agenda supersunt, nequaquam ullo modo comparanda. Sunt illa quidem summa virtute animi, summa fide et clementia gesta magnifice; sed nescio quo pacto bella quae Christianorum caedem et sanguinem secum ferunt, in quibus multorum animae periclitantur; neque tam praeclara videri solent neque tam laudari, neque tam pleno ore a fidelibus commendari. Existimant enim nonnulli, ambitione magis quadam fieri talia et regnandi cupiditate, quam praescripto aut virtutis aut evangelicae doctrinae, quam sequi vere sapientum praece-

ptis admonemur. At vero quae pro religione, pro fide, pro tutela Christianorum, pro Dei reverentia ad salutem animarum geruntur, magnum praebent campum magnumque theatrum, in quo vera virtus exerceri queat, vera laus et gloria vagari. Superiora laudent ii, quibus ea aut quaestui fuere aut emolumento; ceteri non idem sentiunt, sed sunt ad commendationem rerum eiusmodi tardiores: a singulis enim aut extolluntur aut deprimuntur pro animi libidine magis quam ratione.

Te regnum neapolitanum armis sapientia virtute fuisse adeptum, summae gloriae datur: at sunt etiam qui eam verbis minuant, sunt quibus id placet, sunt quibus summe displiceat; ut qui pro animorum affectione in contrarias sententias distrahantur: ut eiusmodi gloria saepius in maledicos incurrat, qui eam verbis labefactare conentur. Expeditio vero contra fidei hostes, contra barbaros inmanes, contra crudelissimas atque efferas gentes, laudem exprimet etiam ab invitis, qui ipsa veritate cogente victoriam tuam concupiscere, bonam fortunam precari, favere votis omnibus, laude celebrare, compellentur. Nullus enim tam iniquus erit rerum existimator, quin in hac tam laudabili tam iusta tam sancta causa non tibi faveat, non salutem optet, non superiorem in bello victoremque concupiscat. Est tanti profecto virtus ut ametur etiam in hoste, ut etiam ab invidis praedicetur, ut eam inimici veneratione quadam prosequi cogantur; cuius scuto qui proteguntur, omnium superant detractorum aemulationem, omnia maledicorum tela contemnunt. Ducem Burgundiae, principem ad omnia praestantissimum, pauci e nostris nisi fama cognoverunt: at is propter affectum quem pro tuenda fidelium incolumitate prae se tulit, propter apparatum quem adversus Teucrum moliri rumor est effusus, omnes diligunt, extollunt, summis ornant laudibus, et in ore omnium gentium vulgo eius fama versatur. Imperatoris vero, ad quem ea cura maxime pertinebat, ut remissioris animi quam publica utilitas postulet, prudentiam requirunt, dolentque illum adhuc negligentiorem videri in ea causa, cuius patrocinium sumere, et se ducem reliquis praebere debuisset (1).

Haec ob eam rem scripsi ad te liberius, ut intelligas quanta laus, quanta gloria te expectet, si vexillum crucis sumpseris adversus fidei persecutores, si nullo modo hanc acquirendae hominum famae et aeternae gloriae occasionem a Deo tibi concessam

(1) Recole sextam epistolam. Quin adeo lib. XIV, ep. v, ad P. Thomasium rursus Poggius Federici imp. ignaviam obiurgat.

vero pro fide Christi, pro religionis incremento fiunt, firma aeternaque permanent, nobisque tunc opitulantur maxime, cum omnium reliquarum rerum auxilia desunt: sola quae pro Christo impenduntur, nos comitantur mortuos: neque quicquam nobiscum ferimus, nisi quae Christi causa damus. Scio Dei indulgentiam plures divitias et fortunae bona in te contulisse, ut nisi ingrati nomen subire volueris, gratiae non agendae tantum sed reddendae quoque sint ei a cuius illa bonitate provenerunt. Sed tunc gratus animus praecipue ostendendus est, cum nostri operis, nostri arbitrii, nostri consilii est agere quae placeant Deo. Vivos enim, non post obitum, decet ostendere pietatem in Deum, misericordiam in pauperes, liberalitatem in ecclesias reparandas, non relinquere aliis facienda. Nam in vita, sponte ea bona, reliquaque, facere videmur; post obitum vero inviti linquentes distribuenda et danda ea quae nobiscum ferre nequimus. Nuda enim anima à corpore evolat, nullis induta vestibus, nullo ornatu tecta, nullis opibus, nullo auro fulta, id solum ferens secum quod Christi gratia largita est. Croesum Lydorum opulentissimum regem poetae ferunt cum post mortem ad fluvium Acheruntem pervenisset, quia obolum secum ferre non potuit qui Charonti daretur ad transvehendum, a flumine reiectum transire scapha non potuisse. Hoc eo spectat ut intelligant opulenti et abundantes in saeculo, parandum esse nobis viaticum futurae vitae, dum in hoc corpore vivimus. Nam quid reliqui pro nobis facturi sint, incertum est. Nobis ergo, dum tempus datur, nostra causa agenda est, et id curandum ut advocato minime egeamus. Nullis certe nostra salus carior post obitum erit, quam nobismet ipsis fuerit in vita. Ea vero in aetate iam es constitutus, ut iam sit omni animo et mente de futura tibi vita cogitandum, disponendumque de bonis fortunae, dum licet, arbitrio tuo, et in iis rebus quas sciamus ad Dei gloriam spectare.

Sed cum mente revolvo qua potissimum in re prae ceteris Deo satis facere valeas, nulla occurrit maior, nulla gloriosior, quam quae ad praesens per sanctissimum dominum nostrum dominum Eugenium summum pontificem omni studio tractatur et quaeritur. Nam cum semper agitasset animo quomodo Teucri de Europa expellerentur, liberarenturque Christi fideles a tam calamitosa barbarorum oppressione, dudum iam, maxime triennio elapso, exquisitam ad id operam dedit. Nam et alterum legatum ad cogendum exercitum per terram adversus infideles, al-

terum per mare cum ingenti classe destinavit (1). Quod si nostris votis non respondit finis, aut hominum error, aut Dei voluntas, cuius inscrutabile est iudicium, fuit. Tamen ita Teucrorum potentia confracta pluribus proeliis extitit, in quibus maiorem partem militum amisit, ita debilitatae vires, ut ex litteris multorum principum se ad id offerentium, Dominus noster confidat infideles futura aestate posse ex Europa exterminari. Sed ad tantam rem adgrediendam perficiendamque non suppetunt vires romanae ecclesiae neque pontificii iuris (2); quippe cum multa alia consumenda et danda sint pro sua et terrarum ecclesiae defensione, quae quotidie ab eius hostibus oppugnantur, plura quoque in reparatione ecclesiarum Urbis, ad quae summo studio intendit, impendenda. In praeterita vero expeditione magna ecclesiae et clerus universae Italiae pro facultatibus subsidia praebuerunt. Solus clerus dominii florentini viginti milia florenorum dedit. Et item singulorum dominiorum clerus pro facultatibus subvenit. Nunc vero pro futura expeditione, ut regum et principum extra Italiam auxilia quaerat, necesse est. Itaque misit ad vos in Angliam, qui pro tam pia causa decimam iam olim indictam in subsidium peterent, quam spero, si estis qui esse consuevistis, vos esse prompto animo concessuros. Verum cum sis primus in regno tum natione tum dignitate tum opibus tum prudentia tum virtute, primus quoque debes esse huius rei fautor auctor et suasor, ut constet tua potissimum opera tantum bonum et pium opus consecutum: utque ii, qui te ceteris in rebus inferiores existunt, in hac una minime videantur esse superiores.

Sed haec tibi impensa erit cum ceteris communis. Id quod a te requiritur, ad quod ego te hortor, amplius est et maius, quam quod ab aliis praestetur. Agendum tibi est quod dux Burgundiae egit, qui propriam armavit classem in subsidium Christianorum. Quapropter sicut olim tuis impensis, tuo sumptu expeditionem fecisti contra Bohemos pro fidei defensione, quae res

(1) Ad maritimum quidem legatum Cardinalem legitur epistola Poggii lib. XVIII. 8. his verbis. *Reverendissime etc. Cum audissem te legatum factum esse ad parandam classem contra Teucrum, et maritimae expeditioni praefectum, pro eo honore qui magni est aestimandus, sane gavisus sum, quoniam eam rem magna gloria consequetur. Sed tamen maluissem te in patria residere, et id laboris alteri demandatum esse. Quicquid tamen futurum sit, oro Deum ut dirigat iter tuum, et eos praestet successus, qui sint ad laudem religionis et fidei suae augmentum etc.*

(2) Nempe *pontificiae ditionis.*

fuit omnibus saeculis memoranda, ita nunc quoniam corpore non potes, tuis pecuniis subveni, et sis auxilio fidelibus Christi, et ad liberandos eos de infidelium servitute manus largas porrigas. Mitte aliquem de tuis qui tuo nomine, tuis signis, tuo insigni classem tanto viro dignam pro hoc tam sancto opere paret atque instruat. Nulla res est in qua laudabilius valeas tua exponere, nulla quae tibi maiorem gloriam, maiorem ceteris utilitatem possit praebere. Quid autem Deo acceptius, quid tibi salutarius esse potest, quam liberare fideles a tam perfida oppressione, quam esse causam ut de faucibus Satanae tot milia animarum pereuntium per tuum auxilium eruantur, pro quibus Salvator noster sanguinem in cruce effundere et vitam ponere dignatus est? Hoc erit salutare semen thesauri tui, qui in caelis seretur, qui in immensum fructificabit, qui servabitur in aeternum. Equidem credo Dei providentiam tibi longiorem dedisse vitam, et ad haec tempora reservasse, ut ostenderes omnibus non cumulasse te thesaurum ut illum in rebus inanibus et caducis consumeres, sed in re sancta laudabili acceptissima Deo, et in multorum salute collocares

Maxima facultas datur tibi imitandi illustrissimos reges Angliae, quorum es sanguine ortus, eos dico qui saepius ad liberandum dominicum sepulchrum de manibus infidelium profecti sunt, qui potentiam a Deo eis datam in eiusdem causa posuerunt. Resuscita igitur illorum gloriam iam oblitteratam, et aliquid egregium in hac re opus peragas, quod sit non solum tibi sed toti regno ad memoriam sempiternam. Multa quondam mortales pro hac caduca et terrestri gloria, pro praemio non admodum duraturo, maximas fecerunt expeditiones, multa proelia commiserunt, infinitas pecunias consumpserunt. Quid tibi pro aeternis praemiis, pro caelesti gloria, pro immortalibus meritis assequendis agendum est? Certe non solum fortunae bona, sed vita quoque pro Christi laude videtur esse effundenda. Plures excellentes viri tamquam ignoti vitam transiere, cum non daretur facultas aut tempus in quo ostenderent virtutem suam. At modo tibi oblata est veluti divinitus propagandae gloriae occasio, qualis multis iam saeculis nemini principi Christianorum concessa. Habes voluntatem et preces Pontificis, qui ad haec negotia semper invigilat, hortaturque omnes ad capessendam defensionem reip. christianae. Habes multos proceres ad id paratos, qui classem expectant, et suam operam pollicentur. Habes tempora accommodata, et hostium debilitatem; ut nunc tempus sit ea agendi

quae antea veluti immatura fuissent, et absque fructu attentata. Velis igitur non omittere hanc aeternae gloriae, hanc hominum laudis adipiscendae occasionem. Da hoc decus regno, ut videatur in te maiorum virtus et gloria revixisse. Da ceteris egregium de te magni animi exemplum, ut tamquam signifer publicae salutis fidelium extitisse videaris. Vellem esse tecum, ut verbis et voce haec potius a me quam litteris agerentur. Nam confido eam esse tuam sapientiam, ut non aspernareris pusilli hominis exhortationes ad eas praesertim res quae essent tibi aeternam vitam et immortalem laudem allaturae.

Haec scripsi manu mea: et quamvis scribendi labor mihi iam sit gravis, tamen causa pro qua scribo, illum reddit leviorem. Te oro, ut quae a me scribuntur pensites diligenter: nam cognosces, nullum melius, nullum praestantius, nullum gloriosius consilium ab ullo tibi posse concedi, quam quod tibi ad praesens a me adfertur. Nam licet quaecumque pro Deo dantur, illi sint accepta, speciosiora tamen videntur quae in rem publicam conferuntur quam quae in privatam. Sunt haec certe ampliora quae, praeter fidei et animarum utilitatem, ad famam quoque hominum spectant et dignitatem. Vixisti semper summa cum laude et honore, fecisti multa commendatione digna: verum si hunc extremum et veluti perfectiorem tuorum operum fructum ad utilitatem Christi fidelium contuleris, nihil addi poterit ad amplitudinem memoriae tuae. Cum enim in rebus ad aeternitatem spectantibus bona tua a temet ipso collocabuntur, et immortalis laus et aeterna praemia rependentur: pro quibus consequendis qui operam suam et diligentiam collocant, merito et apud Deum et apud omnes mortales sunt ceteris hominibus praeferendi. Hi enim soli in hoc orbe vixisse dici possunt; reliqui vitam more peregrinantium transegisse; quorum vitam ac mortem in aequo ponendas sapientes volunt; utraque etenim ignota est. Itaque ad ceteras virtutes tuas accedat hic cumulus in extremo vitae tamquam ad viaticum futuri saeculi reservatus. Romae die ·X· decembris.

XIII. HENRICO PRINCIPI LUSITANO.

C. f. 156. Si forte mirum tibi videbitur, Princeps egregie, me hominem ignotum tibi longeque remotum, hanc veluti supervacaneam scribendi curam sumpsisse, id tribuas velim virtuti tuae quae longe lateque diffusa me impulit animumque praebuit, ut te ad ad id meis verbis hortarer, ad quod tua te sponte nullo impul-

sore video proficisci. Nam Ciceronis est sententia, tanti esse virtutem, ut ea praeditos, etiam quos nunquam vidimus, diligamus. Sicut autem ii qui in stadio cursu contendunt, persaepe acclamantium vocibus excitantur, itidem ego mea cohortatione eventurum existimo, quamvis brevis futura sit, ut paulum te impellat spiritusque adiciat ad ea gesta prosequenda quae ultro egregia virtute animi nullis hominum cohortationibus incepisti. Sunt maxime extollendi qui suo ingenio freti, prout tibi contigit, ad virtutum opera feruntur: sed et ipsi quoque ampliorem laudem suam efficiunt, si non aspernentur aut contemnant eorum consilia quorum verbis ad virtutis perseverantiam commonentur.

Audivi iam dudum a pluribus mihi familiaritate coniunctis Portugallensibus, cum de tuis actis quaererem, te magnitudine quadam animi motum, et virtutis veluti stimulo incitatum, cum certis triremibus per ultima maris oceani navigasse litora, eoque progressum quo nullum ex priscis neque imperatorem neque regem aut audivimus aut legimus penetrasse. Nam et Africae meridiem versus transisse terminos, et usque Aethiopes pervenisse tradunt. Quae res non solum miranda est propter vastos oceani maris impetus exaestuantesque tempestatum fluctus, sed etiam propter eorum quae de iis locis feruntur novitatem, omnium laudibus celebranda. Gloriosum quippe videri debet, te unum tanti animi, tantae virtutis consiliique fuisse, ut quae nulli hactenus aut ingredi aut tentare sunt ausi, tu solus ignota maria, invisas regiones, incognitas atque exteras nationes, immanes gentes in ultimis finibus extra anni solisque vias constitutas, ad quas nullis antea patuit accessus, navali bello lacessieris, multosque inde abduxeris captivos. Magna profecto expeditio et ingentem laudem merita! Quid enim praestabilius quam tantum animi robur atque amplitudinem in te fuisse, ut importuosa littora, tempestuosum mare, efferas nationes ab omnique cultu remotas, non solum adire ausus fueris, quod ipsum ingentis est consilii, sed armis etiam primus omnium gentium superaris? Alexander macedo terrarum orbem suis victoriis lustravit, sed eas provincias locaque aggressus est, ad quae plures antea accesserant: tua vero virtus ad eas se oras orbis extendit, ad quas nemo ante te legitur penetrasse. Caesar Gallias subegit, Britanniam perdomuit, Germaniam lacessivit: at provincias armis devicit partim notas, partim romano imperio propinquas: tua vero classis eas circuit partes, quae neque cognitae erant neque aditu faciles, et propter maris gentiumque barbararum

formidinem navigantibus suspectae. Sed omnes difficultates, omnes labores, omnia pericula tua fortitudo animi superavit, eaque effecit quae sint aeternam tibi laudem paritura.

Sapientissimus ac fortissimus olim princeps Portugalliae, parens tuus, hanc tibi praeclarissimam omnium reliquit hereditatem, arma contra infideles capiendi. Ipse enim singulari virtute animi praeditus, ceteris christianis regibus in salute fidelium oscitantibus, solus ob egregiam virtutis praestantiam Africam ingenti classe aggressus, profligatis hostibus, Septam maritimam ac populosissimam urbem expugnatam vi cepit, quae adhuc a vobis in Saracenorum faucibus detinetur. Haec tu praeclarissimi parentis gesta imitatus, non solum portionis regni sed laudis quoque heredem te relictum existimasti, paternaeque gloriae famam tuis operibus auctam ad posteros demandasti. Verum cum haec, tamquam primitiae futurorum, iis qui maiora a te expectant esse videantur, hortor excellentiam tuam, ut nequaquam gestis rebus acquiescas, sed ampliora quaedam superesse putes, quorum tibi palma et victoria reservatur. Neque enim virtus tua his, quae coepisti, contenta esse debet, sed traducere omnis tuas curas, omnis cogitationes, omnis vires ad subigendas eas gentes, in quarum victoria et laus hominum sequitur, et apud Deum sempiterna praemia comparantur. Christiani enim principis officium esse debet, ut adversus infideles, adversus haereticos, contra fidei hostes, arma convertat, Christi fidelium sanguini parcat: quae qui agunt, pietate et gloria insignes evadunt. Quod si, ut coepisti, imitari volueris, reliquos principes fama et rerum gestarum laude superabis.

XIV. ILLUSTRI PRINCIPI IOHANNI FRANCISCO MARCHIONI MANTUANO. (1)

C. f. 76. Iohannes Cassianus vir doctissimus nostrae religionis illustris Princeps, in quadam collatione (2) prioris operis sui partis scripsit, videri sibi discretionem (eam, ut opinor, prudentiam ceteri appellant) esse virtutum omnium maximam et quasi ce-

(1) De hac epistola adhuc inedita, aliisque eiusdem argumenti sequentibus, satis loquitur Cl. Shepherdius in vita Poggii, interprete Cl. Tonello cap. VII. Rogat heic Poggius Iohannem Franciscum Mantuae principem, ut parcat Ludovico filio, qui ob iuvenilem gloriae militaris amorem, deficiens a paterna auctoritate, ad Mediolani ducem, patris tunc hostem, transfugerat. Reapse veniam tandem impetravit; etenim ei in principatu successit, ut constat.

(2) Scilicet collat. II.

terarum parentem quamdam ac moderatricem. Id multis comprobare nititur tum rationibus tum exemplis. Plures enim fuisse refert, qui non adhibito recto iudicio ad res agendas, cum nequaquam discernerent vitia a virtutibus, se in animae ac corporis ruinam praecipitarunt. Et quidem mea sententia rectissime sentire videtur. Nam cum plurimis virtutibus vitia quaedam proxima et ferme similia videantur; non enim accipiuntur vitia, ut ait Hieronymus, nisi sub umbra specieque virtutum; siquis non recte discreverit, quod aliqua graviori mentis perturbatione commotis solet accidere, quid ratio praescribat, quatenus quid appetendum fuerit aut fugiendum, necesse est delabi in errores permultos, qui postea revocata ratione, adhibito consilio, ipso etiam rerum usu, fiunt nobis notiores: ut iam tandem, licet sero, et ubi paenitentia nihil confert, recognoscamus nos imprudentia lapsos et iudicio rerum perverso. Quo magis sapientis esse videtur, accommodata singulis negotiis discretione, et praesentibus rebus consulere, et prospicere futuris. Neque una quadam in sententia esse ita fixum ac perseverantem, ut multi solent, qui turpe ducunt mutare consilium, ne non recte sensisse videantur; cum id potius obdurati atque obstinati animi iudicetur, quam bene consulti. Illud quippe videtur esse turpissimum accidere in eo praesertim, de quo certa sit opinio sapientiae, ut cogatur dicere non putaram.

Neque vero ea me sapientia praeditum esse credo, ut plus videre me, quam te ipsum arbitrer, praesertim in rebus tuis. Scio enim te principem esse omnium nostrae aetatis doctissimum et prudentissimum: scio te ad ea quae agis, posse adhibere summam sapientiam atque animi moderationem. Sed et illud etiam novi, non solos principes esse sapientes, et eos aliquando labi, falli, et decipi posse. Ducuntur enim saepius in actionibus suis aliqua passione pergravi, quae illos seducat a recta sententia. Magnum est, inquit Cicero, revocare mentem a sensibus. Sed et illud etiam maximum, non cedere morbis animi, non superari a passionibus quae nobis a sensibus ingeruntur; quae ubi dominantur, seducunt nos a recto consilio, auferunt vere iudicandi facultatem, nec ullum relinquunt rationi aut consilio locum. Quod si qui sunt qui variis gravibusque iactentur passionibus, qui suis obsequantur cupiditatibus, qui suae prudentiae blandiantur, ii sunt maxime rerum domini, qui et ipsi sua sponte feruntur aliquando impetu quodam in praeceps, una aliqua iniuria aut cupiditate commoti, neque ab aliis sustentantur: nam

r

quicquid agunt, recte an perperam, laudatur ab omnibus. Adstat adulatorum turba, quae sola natio regibus ac principibus grata esse solet, recte consultum, rectissime esse factum asseverans: id tantum loquitur, quo putet se principis gratiam consequi ac benivolentiam. Potentiores veritatem reticent, offensionem verentes; humiliores non audent efferre ob formidinem poenae. Itaque cum apud eos ut plurimum verum sileat, accidit persaepe ut veritatis audiendae inopia in magnas incidant molestias et calamitates. Augustus Caesar, cuius felicitas per omnes historias decantatur, relegavit filiam ob adulterium, palam proposito edicto, quod illius flagitia continebat. Postmodum ductus paenitentia, quod non illa silentio oppressisset, quod se, quod domum, quod genus suum tam turpi nota sceleris maculasset, saepissime exclamavit, eorum nihil sibi eventurum fuisse, si ·M· Agrippa et Maecenas viverent, quos solos fuisse testabatur qui sibi vera loquerentur. Non autem deerant qui verum dicerent, si illud audire voluisset. Sed mos est regum atque imperatorum, praesentium odio laudare amissa, et id libere atque impune optare quod iam nequeat impetrari.

Ego autem rem ipsam, de qua sum scripturus, considerans diligenter, cum ad te animum verto, addubitare cogor, ne tu quoque in futurum sis culpaturus inopiam amicorum, accusaturusque paucitatem eorum qui apud te in causa filii vera loquerentur, teque traducerent ab acerbitate sententiae ad mansuetiorem ac rectam quamdam iudicandi rationem. Illud vero affirmare ausim, si animadversionem illam ad hanc diem distulisses, mitiorem certe sententiam te fuisse laturum, potiusque obsecuturum pietati paternae, quam ulciscendi cupiditati. Deposuisset tempus ipsum tam severi iudicis personam, induissetque caritatem atque affectionem illam natura insitam, quae patres cogit pios esse in filios ac in eorum erratis misericordes. Sed quoniam veteri proverbio acta agi non possunt, id consilium adhibendum videtur, ut non iracundia sed clementia, non inscitia sed consilio, non ad vindictam sed ad emendationem atque utilitatem tuorum id abs te summa prudentia factum esse existimetur: quod erit, si nimiam severitatem ad clementiam traduces, teque eum nobis restitues in filii errato, quem te esse aequitas iubet, natura postulat, amici optant, divinarum humanarumque legum ratio persuadet. Mulctasti olim filium praegrandi admodum poena, qui militiae cupiditate flagrans te invito abiit, et se ad eum locum contulit, unde aliqua suspicio oriri poterat

apud nonnullos, qui id alio consilio factum putarent. Quod si tollatur e medio, omnis gravioris poenae causa cessabit.

Omitto quaerere aut disputare, sapienter ne factum fuerit, tam aspere ulcisci leve ut existimant filii crimen: varias enim video hominum sententias. Sunt qui filio ignoscendum dicant, qui bellicae laudis opinione motus egregiae indolis adolescens se ad eam negotii rationem contulit, ex quo plurimum gloriae se consecuturum sperabat. Cum enim permultos vidisset etiam infimae conditionis viros, qui sibi maximam famam, magnam potentiam, plurimas opes rei militaris exercitio comparassent, eosque solos haberi in pretio atque in honore quibus arma vires subministrarunt, haud imprudenter id genus vitae videbatur appetere, vivo praesertim patre, qui ad gubernacula principatus vigilaret, quod sibi ac suis tum dominii conservandi tum adipiscendae gloriae facultatem suppeditare arbitrabatur. Quidam secus, nullam spem laudis et gloriae voluntati paternae praeponendam esse censent, praestare aiunt ociosum atque ignobilem domi degere obtemperantem patris praecepto, quam gloriosum extorrem ac rebellem patri. Id tamen commendari ab omnibus sentio, quod in hoc suo sive errore sive lapsu, sive ut gravissime loquar stultitia, nihil se indignum admisit, nullo se maculavit scelere, nullo dedecore inquinavit, nihil secum abstulit, nihil detulit; ut plane constet, iuvenili impetu impulsum nihil nisi de cupiditate honoris et gloriae cogitasse. Qua in re neque solus, neque primus de via decessit. Extitere et nostra et superiorum temporum memoria permulti, qui studio gloriae multo plura ac maiora patraverint, non solum adversus parentes sed etiam contra patriam, quae longe est parentibus praeferenda. Difficile est enim servare modum, ubi illustris gloriae acquirendae facultas videtur esse proposita, praesertim magnis ingeniis, et ad laudem ac virtutem erectis.

Mihi vero ut erratum esse a filio forsan concedatur, ita videtur fuisse castigationem tuam trucem nimis atque inhumanam. Nam quemadmodum non omnes filiorum excessus boni patres familias animadvertendos putant, ita etiam quidam eo pacto sunt vindicandi, ut prosit ad morum vitaeque emendationem. Eam legum mentem vult esse Plato, non ut cives perdant, sed ut efficiant meliores, utque omnis poena ad eorum quibus infligitur utilitatem referatur. Leges enim medicorum more salutem civitatis debent respicere et civium incolumitatem: at vero perniciosi medici cura esset, non ad salutem aegroti sed ad interi-

tum spectantis. Nec minus imprudentis patris esse videtur, malle filium puniendo, ubi spes sit valitudinis, perdere quam servare. Quod si medicos videmus etiam alienissimos homines morbo affectos non destituere, quoad aliqua vitae spes relinquatur, sed afferre remedia quibus restituatur valitudo; nonne omnia sunt tentanda patri, ut animum filii labentem et aegrotum ad meliorem mentem sua cura indulgentiaque reducat? Profecto non minus pro animorum quam pro corporum salute censeo elaborandum. At vero tu quamdam insuetam severitatis normam in filii morbo prae te ferens, ad demonstrandum nescio quam mentis severitatem, id egisti quod ante nemo pater admisit: e vestigio ad extrema et deplorata remedia descendisti. Reiectus est a patre filius, abdicatus, relegatus, reus capitis iudicatus. Quid hoc asperius? quid truculentius etiam erga facinorosum externum quemdam potuit excogitari? Si contra te ille aliquando, si in fratres conspirasset, si patriam hostibus prodere studuisset, si civili aut fraterno sanguine impias foedasset manus, nequaquam ad expetendam a filio vindictam vehementior extitisses.

Vide, quaeso, ne dum prudentis viri aut severi patris in maiorum nostrorum exemplis imitandis nomen subire cupis, crudelis vel minus providi famam consequaris. Neque enim tibi aut Brutum illum superiorem ante oculos proponas, aut Manlium Torquatum, quorum alter natos ad poenam pulchra pro libertate vocavit infelix, ut Virgilius scripsit; alter transgressorem sui edicti filium saevus securi percussit. Non isti suam, sed reip. pro cuius incolumitate certabatur, causam agebant; non suo, sed patriae nomine poenam a filiis exigebant. Nolo enim existimes Torquatum illum, semota patriae utilitate, quae rei militaris disciplina continebatur, tam asperum aut acerbum in filii supplicio fuisse futurum. Non paternum edictum, sed reip. auctoritatem filius contempsit, neque ille parentis sed patriae salutem in discrimen suo exemplo vertebat: non in privatam Torquatorum familiam, sed in universam urbem perniciosum exemplum contempti consulis inferebat. Itaque ut severitas tunc laudata est patris ob publicam utilitatem, ita crudelitas damnata extitisset si illa securi suas non reip. iniurias ultus fuisset. Perscruteris licet veteres ac novos annales, neminem prorsus reperies patrem ob tam leve erratum tam graviter in filium animadvertisse. Tu solus novo exemplo inventus es, qui durius levem filii culpam mulctasti, quam ceteri gravissimas hostium offensiones. Quid enim, per Deum immortalem, commisit quod esset tali sen-

tentia vindicandum? Non ille in remp. deliquit, sed in parentem; non contra publicam venit utilitatem sed privatam (1); non aliorum salutem sed propriam in discrimen adduxit: nullos excitavit seditionum fluctus, nullos tumultus procuravit, nulla arma intulit, non tibi nocuit sed sibi. Vel contempsit quae ceteri appetunt, vel aliis utenda reliquit. Sprevit ad tempus paterni dominii usum, alienis servire maluit quam suis imperare. Adeo ne atrox hoc vindicandum est facinus, ut extremo supplicio dignum putes? Equidem multos novi, qui hoc potius existimant laudandum, qui hanc erectam mentem ad praemia virtutis summopere extollant, qui vel parum errasse filium asserant, vel leviter esse reprehendendum.

Abiit ille contra tuam voluntatem, contempsit edictum patris: at non levi ex causa, non exigua spe ingentis gloriae domum reportandae; non dolo, sed virtutis gratia consequendae. An quia maiora quaedam sibi proponebat ad honorem et decus natus adolescens, quam forsan illa aetas ferebat, idcirco debuit ira patris tantum effervescere ad iniuriam referendam? Nonne cogitasse oportuit, patris esse agere filii causam, tueri etiam errores? Nonne ipso humanitatis iure, ipsa caritate paterna, ipso naturae praecepto, quae filios etiam dyscolos parentibus commendat, fuit abs te ad mitiorem sententiam declinandum? Nonne adolescentiae indulgendum? Nonne erroris ratio habenda? Perspice quid sentiam. Ego hoc excellens ingenium, hanc egregiam virtutis indolem, hanc animi magnitudinem, qua te, qua patriam, qua paternas opes, qua coaequalium studia reliquit, non culpandam sed quodammodo laudandam, non puniendam sed praemio donandam duco. Si de parricidio, quod est omnium scelus immanissimum, filius aliquando cogitasset, leviori certe poena iuvenile erratum ulciscendum fuit. Adhibitus olim Caesar Augustus in consilio a Tito quodam Arrio, qui filio in parricidio deprehenso, de eo statuere de amicorum sententia volebat, audita causa petiit ut quisque suam sententiam scriberet, ut cuiusque liberum esset iudicium: tum postremus omnium censuit relegandum, memor non de quo censeret, sed cui in consilio adesset. O singularem et paene divinam sapientissimi imperatoris prudentiam! Videbat ipsa lege naturae Augustus, etiam in manifesti parricidii reo, quo nihil scelestius, nihil sceleratius excogitari potest, tamen non esse a patre extremum supplicium, cru-

(1) Nimirum Ludovicus indignabatur Carolo minori natu fratri, quem pater praecipue diligere videbatur.

deliorem poenam, meritam cladem filio irrogandam. Intelligebat paternam pietatem, omnem criminis filiorum magnitudinem superare oportere. Cognoscebat quae delicta ab aliis gravissime vindicantur, esse a patre leviter castiganda. Non est enim eadem lex patribus in filios erga se delinquentes, quae in reliquos constituta. Advoca hunc tu quoque virum in consilium amicorum, recita crimen, poenam inquire, sententiam sciscitare; nempe qui parricidii culpam tam clementer puniendam arbitratus est, multo clementius hunc filii excessum aut uti rem nugatoriam ridebit, aut parvi existimandam iudicabit: austeritatem certe tuam, ne dicam crudelitatem, admodum culpabit, qui adeo vehemens atque acer asperius mulctaveris leve delictum filii, quam ipse parricidii grave scelus.

Sed fac, oro, filium graviter deliquisse, admisisse aliquod nefandum scelus, immane facinus cogitasse, fac poenam mereri: nunc sese revocat, facti paenitet, fatetur erratum, veniam petit: et quidem adolescens a sene, imprudens a prudente, miser a fortunato, filius a patre. Numquid est venia deneganda? Lapsus est iuvenili quadam levitate, sed ad gloriam spectante: nunc ad mentem saniorem rediens pedem retrahit, delictum recognoscit, supplex ad patrem venit Numquid est reiiciendus? Deflexit aliquando aetatis cursum a recta via errabundus, nunc ad iter constitutum atque ad meliorem frugem, ut aiunt, se convertens misericordiam filius implorat a parente. Numquid repellendum dicemus? Adest, rogat, obsecrat, filius patrem lacrymis compellat exorans, ut non omnino paternam reiciat caritatem, ut ad se redeuntem patris oculos flectat, mentem ne removeat, errati memoriam deponat. Adeo ne ferreus eris atque inexorabilis, ut te patrem esse obliviscaris, ut veniam deneges, ut asperneris filii obsecrantis preces? Si quempiam fuisse quondam audires, qui filium armis famam quaerentem, quod se reliquisset in militare munus profectus, tam gravi poena adfecisset, petentem insuper patris clementiam repulisset; si novi tuam humanitatem, si prudentiam, si doctrinam, damnares profecto patris illius pervicacem duritiem, diceres filio fuisse parcendum, affirmares imitandum nostri Salvatoris exemplum, quo retulit laetiorem fuisse pastorem propter unicam repertam ovem, quam etiam humeris domum reportavit, quam super ceteris nonaginta. Commendares quoque illius patrisfamilias consilium qui in reditu luxuriosi quondam filii convivium struxit adhibita symphonia, quo patris laetitia ostenderetur. Non inscite poëta comicus introduxit Me-

nedemum illum senem, cuius durities atque asperitas filium adolescentem in militiam proficisci compulisset, se macerantem in agro ac torquentem, docens adolescentiam esse erroribus subditam, concedendum paulum aetati a patribus, nec illos in filiorum delictis debere esse immites aut inhumanos. Hunc secutus Cicero noster in oratione pro M. Coelio (1) scripsit tribuendum esse aliquid aetati, dandam esse aliquando adolescentiae libertatem, non semper rectam illam rationem superare oportere, sed vinci quandoque a cupiditatibus et voluptate.

Sed nolo tecum contendere auctoritatibus et exemplis excellentium virorum, ne fiam longior, quae multa possem in meam sententiam proferre. Id liberius forsan quam mea ferat auctoritas scribam, me persaepius hac de re cogitantem, paulum desiderasse prudentiam ac sapientiam tuam. qui parvam aetatis filii, nullam futuri temporis visus es habuisse in tuis consiliis rationem, sed tantum nonnullorum opinioni, ne dicam suspicioni, tuo damno, satis facere voluisse. Nam pro tua doctrina nosse debes, plurimum posse in hominibus aegritudines animi, nosque subditos esse passionibus permultis, quibus non solum adolescentiores sed etiam robustioris ac firmioris aetatis viri haud facile obstiterunt. Arduum est enim obstare morbis animi undique circumfluentibus, et in omni aetate obtemperare rationi. Principibus vero id solet esse difficillimum in magna rerum licentia ac facultate constitutis. Obsequuntur enim plurimum desideriis suis, dum quod cupiunt, possunt; et quod libet, licitum putant: ut divini cuiusdam consilii esse videatur adolescentem principem compescere ardentiorem aliquem appetitum, et infra honesti metas sese continere. Itaque labuntur multi in varios excessus, qui nisi longius proficiscantur, si se retrahant, non vitio sed aetati, non consilio sed errori videtur esse tribuendum. Etenim compertum est, nonnullorum lubricam adolescentiam extitisse, qui postmodum viri clarissimi et pace et bello evaserunt. Profuit etiam quibusdam aliquando peccasse, cum ex eo emerserint acerrimi hostes vitiorum. Ut enim videmus aliquos in certamine victos, acrius reintegrare pugnam, atque animosius ad ulciscendam iniuriam susceptam certare, sic nonnullos superatos quandoque a vitiis, enixius atque constantius errore perspecto niti postea ad virtutem. Discernenda sunt, inquit Seneca, de-

(1) Cap. XVIII. Ceteroqui loquitur Cicero de eo quod vulgo ob fervorem aetatis, praesertim apud ethnicos, accidebat, non de physica aliqua necessitate.

plorata ingenia ab iis quae sanari possunt: ea in quibus spes inest sanitatis et coniectura quaedam melioris ingenii, non conculcanda aut deprimenda sunt, sed erigenda ac sublevanda, quo possint emergere ad virtutem. Haec si versabis animo et cogitatione, non absterrebis aut repelles, sed allicies atque advocabis filium; existimans, cum sit ingenio et doctrina praestans adolescens, posse illum adhuc evadere magnum virum. Neque oblectabis ulterius, si qui sunt qui hoc vestrum discidium minime moleste ferunt.

Illud vero saepe ac diligenter opinor, si tibi ac tuis recte velis prospicere, a te esse considerandum, solere parentum omnium praecipuam curam ad id maxime incumbere, ut consulant suorum posteritati, ut filiis firmas opes, longaevam quietem, diuturnam pacem, stabile imperium relinquant; quae ubi absunt, labuntur regna nec se diutius conservant. Eam tu hereditatem, nisi pedem retuleris, an sis filiis relicturus, iudicio tuo relinquo. Mihi quidem videtur, te certam causam dissensionis fraternae, non dubiam materiam odii plus quam civilis, non quietis sed turbulentissimi motus, non pacis sed belli semina, filiis praebere. Non est tibi neque vitae neque interitus certa dies constituta; quo tibi magis insperati casus sunt pertimescendi. Continebit se abdicatus filius, dum fervebit aetas, dumque vixeris; postea cum rei militaris ardor crescente aetate resederit, insurget libido dominandi; optabit, cum dulce sit nomen principatus, restitui in eam qua deiectus est fortunam, tanto quidem contentius quanto magis amissi principatus paenitebit: cupidiores enim sumus ad recuperandum amissa, quam ad ea tenenda quae in nostra sunt potestate. Dies ac noctes torquebitur desiderio dominii paterni, dolis fraude insidiis armis denique pro amissa hereditate certabit. Et cum miserorum fortuna multos allicere soleat ad opem ferendam, aderunt qui aut alterius benivolentia, aut odio amborum, aut spe dominandi serant discordias, ignem succendant, flammas subministrent. Ita orta dissensione, bello excitato, contritis opibus, aut turpis alterius victoria, aut utriusque desolatio, quod saepius contingere multorum ruina docuit, subsequetur. Commutantur enim tempora, variantur hominum mentes, beneficiorum memoria defluit, amicitiae consenescunt: qui est amicus, potest fieri inimicus; ut difficilis atque incerta sit futuri temporis coniectura. Multi fidem servarunt quoad occasio defuit fallendi. Quidam qui boni habebantur, data peccandi facultate, labuntur, ac privatam utilita-

lem publico officio praeponunt. Si ius violandum est, inquit Caesar, regni gratia violandum est. Non erit portenti loco, si quis in fraterno odio occasionem aucupabitur utriusque delendi.

Quo magis excidendae sunt a te omnes causae futurae tempestatis, ne dum nescio quid suspiciosum vereris, certam tuis filiis perniciem constituere videaris. Scis magnum esse solere pro regno certamen: scis quam grave sit odium fratrum (1), et quem finem consueverit sortiri; cui nisi obviabis, satis in lubrico versabitur filiorum status. Concordia, inquit Crispus, parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Itaque tibi, cui pax filiorum, quies patriae, posterorum salus cordi esse debet, omnes dubii eventus, omnes discidiorum fomites, omnes indignationum ac simultatum occasiones sunt penitus evellendae, omnes intercludendi aditus quibus ad iram ad odium ad arma possit perveniri. Haec maxima ac certissima a parentibus hereditas filiis relinqui solet. Quamobrem filio existimo esse omnino ignoscendum, dandam errato veniam, indulgendum aetati, non solum recipiendum, sed ultro advocandum esse atque alliciendum, quod suum est restituendum: ut cum cetera quae homini optanda sunt natis tuis reliqueris, etiam pacem concordiam quietem, optimum inter mortales bonum, illis quoque reliquisse glorieris.

Habes epistolam satis verbosam, quam aequo a imo legas oro. Nulla me spes, nullum praemium impulit ad scribendum, sed amor singularis quem habeo erga honorem tuum et tuorum salutem. Nam cum sis princeps deditus studiis humanitatis et doctrinae, confisus non ingratum fore humanitati tuae quicquid ab homine tibi deditissimo proficisceretur, sumpsi laborem scribendi quae tuae dignitati, commodis, famae, conducere arbitrarer. Bononiae die ·XIII· novembris.

XV. VICTORINO FELTRENSI V. CL.

Licet nunquam antea, mi Victorine, ad te scripserim, tantumque nomine ipso, non aliquo officio, noti inter nos simus, tamen pro tua singulari virtute, proque in omnes, qui studiis delectantur humanitatis, benivolentia, audebo tibi paulum oneris his primis litteris imponere, quod aequo animo te suscepturum puto (2). Scripsi ad illustrem principem dominum Marchionem C. f. 80. b.

(1) Revera post obitum patris duo fratres Ludovicus et Carolus inter se armis decertarunt.

(2) Notissimum est, Victorinum eo tempore litteras Mantuae docuisse. Huius quoque vitam scripsit Vespasianus.

mantuanum epistolam quandam, quam confido non ingratam ipsi futuram. Eius reddendae curam tibi iniungere decrevi, quo tradatur diligentius. Fac igitur, si me amas, ut epistola ad dominum ubicumque est deferatur per aliquem qui nobis in ea re satis faciat. Tu modum nosti: potes eam commendare cuipiam ex his qui sunt apud Marchionem, ne aut neglecta abiciatur, aut reddatur tempore incommodo. Mihi quoque rescribas oro, cum certior fueris redditam esse, ut id sciam. Si vero contigerit te epistolam legere, tuum mihi de illa iudicium significes velim. Hoc erit mihi gratissimum, nam plurimi faciam sententiam tuam. Vale, et me, quoniam id mutuum fiet, ama. Bononiae die ·XIII· novembris.

XVI. EIDEM VICTORINO V. CL.

C. f. 83. Parum humaniter, ne dicam prudenter, fecisti, mi Victorine, qui tantam moram adhibuisti ad tradendas litteras meas. Quid enim duorum et amplius mensium tarditate opus fuit, cum primo quo rediit die potuerint reddi? Potuit haec epistola una cum aliis, quas quotidie legit, inculcari. Expectasti credo ut ab alio potius quam a me ipso sciret quae a me scribebantur. Quamvis ea a me dicantur quae cupiam in publicum efferri, sunt enim non imprudenter, neque omnino ineleganter scripta, tamen cupiebam ut ego potius mearum rerum nuntius essem, quam quivis alter. Itaque sive epistolam resignasti quo scires, quae dicebantur, parum amice abs te factum puto: sive tantum tempus expectando contrivisti, negligentia est admodum culpanda. Si verebaris porrigere, cur non remisisti? Si confidebas illum recepturum epistolam, cur tanto tempore distulisti? Occupationes forsan Principis afferes, atque opportunitatem te illius tradendae dices expectasse. At istud tempus in Caesare quidem, Alexandro, Octaviano, quorum animi paulo erant occupatiores et maioribus in rebus, longum nimis extitisset. Si indignationem Principis verebaris, iam non is est quem existimabam: neque enim laudandus est princeps qui nolit verum audire, neque apud quem non pateat amicis aditus ac libertas ad loquendum.

Credebam litterarum studia ipsi adeo profuisse, ut priscorum quorum virtutes legerat, vellet vestigia imitari. Cum in dictatorem Syllam malus poëta epigramma fecisset, tanta fuit modestia, ut ei praemium tribui iusserit, ea tamen conditione ne quid amplius in se scriberet. Non epigrammati incondito mercedem vir prudentissimus tribuit, sed respexit animum poëtae qui

quod poterat obtulit ad laudem eius. Octaviano in curiam introëunti cum sedulus quidam poëta versus saepius in eius laudem referret, et ipse quoque semel conspecto poëta, primus ex tempore versus in eum protulit, non contemnens hominis in se dicta, sed eodem munere respondens. At hic tuus paulum, pace eius dixerim, Sylla Octavianoque inferior, contemnit ac reiicit quae pro se dicantur, non quidem a poëta sed ab eo qui non penitus abhorret a studiis humanitatis. Si gaudet hic Princeps, ut constans, ut perseverans, ut pertinax in sententia esse videatur, utatur sane moribus suis, suo iudicio acquiescat, suo consilio innitatur: neque enim lecta epistola vim ullam afferebat, neque cogebat ad propositum immutandum. Scio hoc illum idem egisse in quorumdam litteris, qui paulum eius prudentiam requirunt. Blandiatur quantum libet sapientiae suae; aliis etiam hoc persuadeat oportet, non tantum sibi; neque quibusvis, sed doctis et probatis viris, quorum si iudicium contemnit, et ipse a pluribus contemnetur. Scripsit Sylla, scripsit Lucullus, pluresque praeterea doctissimi praestantissimique imperatores res ab se gestas: attamen ceterorum magis quam suis scriptis et laudibus clari et celebres apud posteros evaserunt. Nos dignos esse oportet qui laudibus celebremur; verum ab aliis laudes nostrae praedicentur necesse est, et ab iis quorum laudationibus habeatur fides.

Sed ipse de se viderit: ego neminem pluris faciam, quam mea fert opinio: neque homines ex dignitate aut potentia rerum, sed ex virtute et sapientia iudicabo. Hoc tibi persuadeas velim: si hic tuus Princeps ea est prudentia, quam sibi persuasit, et ceteros quoque imprudentes non existimabit. Humanitatem certe maiorem ostendisset in recipiendis iis litteris, quae sibi nihil poterant obesse. Ego me neque doctum profiteor neque prudentem: tamen multa legi, multa audivi, plura ipse vidi, ex quibus saltem coniectura assequor me non scripsisse aliena ab illius dignitate. Certe secutus sum officium boni viri. Haec si ab eo non recipientur, tradentur aliis qui ea cupide ac studiose legunt (1), et cum epistolam reiectam audiunt, remittunt nonnihil de opinione sua. Mihi parta est, quam cupio, laus ex illius epistolae scriptione: quippe quae, ut alios omittam, testimonio

(1) Etiam in litteris ad Iacobum Foscarum (cod. f. 84.) Poggius de hac sua epistola ait: *quod petis ut nescio quid a me editum, ad te mittam, nihil id est, praeter epistolam quamdam ad Dominum mantuanum, quam a pluribus laudari sentio. Eius exemplar tradam Ulixi cum redierit, ut ad te deferatur.*

est etiam Pontificis comprobata. Sed iterum remitto epistolam una cum novis litteris, quas ad eum scripsi, si interim forsan sententiam mutasset: quam si iterum aspernabitur, feram non moleste illum in sua opinione perseverantem. Hoc ad te scripsisse volo, neque propterea eius laudem in aliquo auctam esse, neque meam ulla ex parte imminutam. Vale, et me ama. Ferrariae die ·XIII· februarii.

XVII. EIDEM PRINCIPI MARCHIONI MANTUANO.

C. f. 82. b. Cum existimarem, illustris Princeps, studia litterarum, quibus te deditum ferunt, tibi summam humanitatem et singularem benignitatem attulisse, atque abiecisse fastum omnem atque insolentiam, quae rudibus atque indoctis inesse solet, scripsi ad te dudum epistolam quamdam, prout arbitrabar, honori, dignitati, utilitatique tuae maxime convenire, in qua potius delectari te, quam aliqua in re offendi, existimavi. Stultus enim nimis fuissem, cum ab omnibus etiam infimis diligi quaeram, id agere ex quo tanti viri erga me malivolentiam provocarem. Eam misi ad virum doctissimum Victorinum feltrensem, ut tibi reddendam curaret. At is mihi nunc post duos et amplius tandem menses rescripsit, te illam, ut verbis eius utar, accipere noluisse, et simul epistolam remisit. Fateor me paulo tum fuisse commotum Victorini negligentia, qui tamdiu cunctatus est, litteras reddere, territus quasi esset elephanto assem porrecturus. Tum vero neglectam a te epistolam, nonnihil moleste tuli, praesertim cum a doctissimis et prudentissimis viris maxime comprobetur, neque quicquam inesse dicant quod tuam existimationem, si modo is es quem credunt, merito possit offendere. Me quidem ad scribendum nulla res alia impulit, praeter commodum, utilitatem, et tuam tuorumque quietem. Laetabar enim nomen italicum illustrari unius Principis fama, cuius etiam virtutem et doctrinam filii imitari dicerentur. Quod si me fefellit, aut si quod in rem tuam esset, non satis perspexi, ignorantia atque imprudentia culpanda est, non officium contemnendum.

Sed cum tu ipse negotiorum tuorum sis optimus iudex, non te deterreo a tua opinione, neque cogo quominus persequaris institutum tuum. Mihi cara est tua dignitas, carus honor, carus status, cui fortunam prosperam favere opto: verum cum ea tibi ipsi multo quam mihi cariora esse debeant, tibi tuarum rerum curam atque onus relinquo. Fuisset tamen tuae humanitatis, si non omnem eam abiecisti, legere primo epistolam, et post-

modum vel abicere illam ut inanem, vel quae dicuntur contemnere tamquam minime tuis rebus accommodata. Nam plures scimus maioris et auctoritatis et doctrinae viros, etiam contra se acriter dicta aequo animo legisse, nedum quae in suum usum scribi viderentur. Sed forsan Victorini culpa extitit, qui simulavit reiectam, cum timuerit reddere. Quicquid autem sit, remitto ad te denuo epistolam, quam si legere dignaberis, satis facies humanitati tuae et meae de te conceptae opinioni. Sin autem minus, mea conscientia contentus, aliis legendam tradam, quorum iudicium non contemno. Ea est enim epistola quae secum ferat laudem suam, quaeque suis viribus, non unius commendatione nitatur. Neque vero quod ab homine haud magnae conditionis proficiscatur, spernas velim: nam quamvis sis prudentissimus, quamvis potentiorum iudicia imbecilliorum consiliis praeferantur, tamen scias sub sordido pallio, ut inquit Lucilius, quandoque sapientiam latere. Vale. Ferrariae.

XVIII. CAROLO BROGNOLO.

Ex litteris tuis percepi te febri impeditum, quominus mihi responderis, ac tradideris litteras meas Domino mantuano. Accipio excusationem tuam, et te ex valitudine convaluisse gaudeo. Scribis ad me te cum Marchione locutum inter cetera exposuisse, quanto dolore affectus essem, ut verbis tuis utar, ex illius epistolae scriptione, quae adeo molesta ei fuisset, et nonnulla alia in eandem ferme sententiam. Laudo, mi Carole, affectionem erga me tuam, et quae abs te dicta sunt, summa benivolentia te dixisse puto. Neque ego aliter locutus essem, si fuissem loco tui: tutissimum enim vobis, qui ex alterius nutu pendetis, loqui ad principis voluntatem; et quae ille libenter audiat, proferre: apud quem laudatur a multis et simulare et dissimulare sententiam. Mihi vero alia est vitae institutio, et longe diversa animi sententia. Si dominum tuum allocutus fuissem, aut unquam alloquar, neque me errasse dicam neque epistolae paenitere. Ego boni viri officio functus sum: ille si id aegre tulit, eius culpa non mea est. Nullo quidem dolore affici debeo, rectum consilium praebuisse: quod si molestum habuit, nulla est consulentis culpa: praesertim cum ad virum prudentissimum se scripsisse existimarit. Itaque nequaquam huiusmodi verbis utaris amplius meo nomine. Numquid virum rectum bene egisse paenitendum est? Equidem tantum abest, ut ullo dolore afficiar, ut id me egisse glorier, quod praeter unum so- C. f. 85. b.

lum, ab omnibus comprobatur, mihique adscribam ad laudem prope singularem. Ego iam in portu sum, ut nullius copiis aut opibus magnificari velim. Virtuti iam mihi et bonis moribus serviendum est, non adulationi aut alterius servituti. Cupio me tamen diligi a tali Principe; et ut id meo merito invitatus faciat, operam dabo. Ero tamen posthac cautior, ut potius taceam quam scribam quae non videar sentire. Vale, mi Carole, et de epistola rescribe Ferrariae manu festina, die ·V· maii. Saluta meis verbis Victorinum feltreusem praeclarissimum virum.

XIX. EIDEM PRINCIPI MARCHIONI MANTUANO.

C. f. 81. b. Si te non conveni cum Ferrariam nuper accessisti, sicut tua amplitudo requirebat, praeclarissime Princeps, non arrogantiae aut fastu tribuas velim, sed pudori meo qui addubitabam ne propter eam epistolam quam ad te dederam, animus tuus paulo esset alienior. Etsi enim de tua facilitate, sermonis urbanitate, studiis doctrinae, quae homines ad placabilitatem solent traducere, mihi plurima referrentur, neque quicquam esset a me scriptum, nisi summo cum honore tuo et dignitate, tamen cum variae sint hominum mentes, tum multiplex natura, animi vero recessus occulti et abditi esse soleant, veritus ne tu forsan a me scripta secus atque ego senseram accepisses, nolebam committere ut ultro viderer tibi esse molestus. Est mea consuetudo, ubi me sola species officii movit, non spes aliqua lucri aut commodi consequendi, ut sim et loquendo et scribendo liberior, quam forsan multorum ferant mores. At ego potius quid virum bonum deceat, quam quid ceteri audire cupiant, mihi animadvertendum duco. Qua in re licet aliqui persaepe offendantur, plus tamen apud me, cum ea sim in aetate cui mutatio morum est perdifficilis, vera loquendi recta ratio valebit, quam officium adulandi. Scio tuam praestantissimam in omni virtutum genere sapientiam, te ab illorum numero vindicare, quorum aures moleste ferunt dicendi libertatem, et iniuriae adscribunt quicquid proferatur praeter ipsorum opinionem et voluntatem. Sed cum plures magis considerent quid possint principes, quam quid deceat facere, eorum vero simultas sit plena periculis, dubitanti animo tutior visa est sententia capessenda. Nam sicut sapienter praecipit magister morum Seneca, nihil a nobis esse agendum quod rectum ne sit dubitemus; ipsa enim dubitatio suspicionem iniustitiae secum adfert; ita in ancipiti quoque sententia id consilium capiendum videtur, quod procul absit a suspicione du-

bitandi. Ea vero conditione institutus sum, ut non soleam me offerre nisi iis quorum erga me voluntas et benivolentia perspecta est mihi; quos ipsos, hoc est eorum probitatem virtutem doctrinam, non opes aut potentiam sequor.

At vero postea quam a nobis recessisti, dictum est mihi, cum aliquando coram te sermo inter loquendum de me incidisset, te id audisse sine molestia et absque ulla indignatione, me etiam certa in re collaudasse. Hoc cum audivi, magna affectus sum consolatione, cognoscens te praeditum esse ea benignitate atque humanitate, quam et virtus tua postulat, et litterarum studia requirunt; id quod maximum tibi et praecipuum splendorem laudis adfert. Nullum quidem esse scias, in quo benignitatis atque humanitatis officia magis quam in principe eluceant, et desiderentur ab omnibus. Fretus igitur tuorum morum facilitate, quod tunc non egi propriis verbis, id nunc absens litteris facere institui, ut scilicet te visitem, et quod in primo congressu fieri solet, me tuum esse profitear, tuaeque deditum virtuti. Equidem hominem observantem tui habebis, ac mandatis omni cum diligentia obsequentem. Non sum is qui haec scribam aut respiciens magnitudinem tuam, aut copias, quarum minime egeo, sed amo mea sponte virtutem tuam, prudentiam, affabilitatem, in doctos viros adfectionem, curam et sollicitudinem in discendo. Id autem prae ceteris plurimum in te laudo atque extollo, quod es allaturus latinis litteris magnum decus atque ornamentum. Cum enim, ut Isocrates inquit, regis mores imitari civitas soleat, conspicio multos tuo exemplo atque auxilio excitari ad scientiam et doctrinam, recteque vivendi instituta; qui studiorum nostrorum fructus praecipuus esse debet. Haec me hortantur, admonent, impellunt, ut te colam atque observem, ut me tibi praesto futurum esse pollicear. Haec mihi spem adferunt fore ut ante quam triennium labatur, in me propensiori sis benivolentia futurus. Vale felix. Ferrariae die II. aprilis.

XX. INSIGNI DUCI MALATESTAE NOVELLO DE MALATESTIS.

Etsi mihi verendum sit ne subeam importuni nomen, qui ad te ignotus scribam, tamen tua humanitas et doctrina, quibus te praeditum affirmant, mihi scribendi fiduciam praebuerunt; praesertim cum nihil a te, praeter benivolentiam, quae facillime a praestantibus virtute viris concedi consuevit, sim postulaturus. Equidem multa a multis intellexi, quae ad summam tuam laudem spectarent. Nam et te litterarum studiis deditum C. f. 139. b

ita (1), ut continuae lectioni etiam inter armorum strepitus vaces, et singularem in te esse humanitatem vitaeque modestiam ferunt. Quae virtutes licet sint rarae, tamen bonis principibus necessariae existunt, et certe magis resplendent in persona publica quam privata. Haec cum Nicolao tuo secretario cum inter loquendum communicarem, affirmaremque admodum me laetari tot virtutes in te vigere, cuius familiae ac progenitoribus fuissem deditissimus, multo ea quae de te audiveram suis verbis illustriora fecit. Confirmavit hoc idem cognatus meus, qui pridie ad Urbem venit; ita ut antea sub umbra quadam intellexisse, nunc ipsis oculis ea cernere viderer.

Non scribam quicquam adulandi causa; verum ea de te deque tuo ingenio, studiis, probitate, continentia, humanitate narrarunt, quae si colere volueris, non solum parem te sed superiorem quoque omni virtutis genere tuis superioribus et quidem egregiis viris sint reddítura. Magni exquisitique ingenii est in magna licentia honesti rationem habere, et ita vivere ut inter peccandi facultatem innocentiam serves. Id quoque difficillimum esse consuevit, adolescentiae impetus ita continere, ut non progrediantur extra officii metas. Haec cum tibi non casu sed dedita opera contigerint, cum adolescentiam summa egeris modestia ac temperantia, cum litteris plurimum temporis ea in aetate impenderis quae solet esse lascivior et litteris inimica, quippe variis implicita voluptatibus, procul dubio est sperandum te aetate firma et corroborata, haec tam laudanda a te iacta fundamenta virtutum in magnam molem evasura. Itaque te hortor primo, ut quo summa omnium commendatione coepisti itinere progrediaris, teque tibi imitandum proponas, ut videantur una cum annis in te crescere et virtutes: tum ut me in tuis habeas. Polliceor enim, si perseverabis in virtutis et doctrinae indagatione, quae sola recte vivendi praecepta subministrabit, et cupiditates insanas suadebit esse abiciendas, me non qualem forsan te decet, sed qualem per occupationes licebit, nominis tui bucinatorem esse futurum. Haec paucis ad te scripsi hortatu Nicolai, qui ut scriberem rogavit. Vale, et me inter tuos adscribe.

XXI. EIDEM DUCI MALATESTAE.

C. f. 140. Antiqua est et vera sapientia, Dux insignis, in amicorum causis licere nobis esse aliquando importunos; et quod in nostra

(1) Malatesta Novellus hic bibliothecae insignis codicum mss., quae adhuc Caesenae est, fundator fuit, cuius amplam descriptionem edidit Mucciolus.

re culpandum esset, saeplus est pro amicis concessum. Hoc scribo, ne mireris me hominem ferme ignotum tibi, audere virum tibi notissimum commendare. Sed et satis faciendum fuit amici officio, ne viderer, quod facile possem, denegare, et mihi nomen rustici elatique fugiendum. Fuit hic in curia tuus orator, vir egregius Antonius contribulis meus praetor Caesenae, qui ita diligens in prosequendis tuis mandatis fuit, ut laudem a te mereatur propter fidem et sollicitudinem suam. Non est opus ut tibi commendem eum, quem propter suam virtutem scio esse commendatissimum tibi. Tamen ultra eam, quam tua sponte erga ipsum habes benivolentiam, aliquid addas oro ob preces Poggii tui. Praebet mihi tua humanitas ac virtus fiduciam tecum loquendi domestice, et tibi commendandi eos qui rectius pro me hoc officio apud te uti possent. Sed egregii est ingenii, quale tuum esse novi, aequo animo ferre hominis tibi deditissimi vel importunitatem, vel stultitiam appelles licet, dummodo quae a me scribuntur, potius officio, quam levitate adductum ad scribendum putes. Et quoniam impudens esse coepi, aliquid addam quo forsan me nimis existimes arrogantem. Manentes adolescens nobilis, uxoris meae frater, ad te deferet aliqua opuscula mea tum serio tum ioco a me conscripta; quae si placebunt tibi, reliqua in quibus elaboravi habere poteris. Eum tibi maiorem in modum commendo; et ut in tuis, quod commodo tuo fiat, suscipias oro. Vale Dux praestantissime.

XXII. INSIGNI EQUITI LEONELLO ESTENSI.

Baptista de Albertis, vir singularis ingenii, mihique amicissimus, scripsit fabulam quamdam, quam Philodoxios (1) appellat, summa cum elegantia ac venustate. Eam tibi dicavit, ut in tuo nomine edatur, quod sibi et dignitatem allaturum putat et auctoritatem. Suscipies igitur carumque habebis id munus, quod proficiscitur ab homine penitus tibi deditissimo. Nam certo scias velim, Baptistam nostrum tanta esse erga te affectum benivolentia, quanta esse potest maxima: cui si respondebis in amoris officio, incitabis alios ad te ornandum litteris atque extollendum. Hoc nequaquam existimes parum conferre ad gloriam C. f. 76.

(1) Exploratum est, Aldum Manutium gravi errore fuisse deceptum, qui hanc fabulam olim edidit ut priscam sub nomine Lepidi comici. Detectus deinde fuit verus auctor, uti docet Mazzuchellius in Script. Ital., qui tamen hanc Poggii epistolam ignorat.

consequendam. Solae enim litterae reddunt hominem apud posteros immortalem. Vale, et me ama. Bononiae die XII. octobris.

XXIII. PRINCIPI . . . (1)

I. 224. b. Laetor, Princeps egregie, pietatem dare mihi aditum scribendi humanitati tuae pro re, quae mihi videtur honestissima, et ad boni viri officium pertinere. Scis ipse humanitatis et communis hominum societatis iure cogi nos ad opitulandum tum feminis, quarum sexus natura est imbecillis, tum senibus cum iam viribus deficiuntur, et praesertim in inopia constitutis. Est mihi iam dudum summa familiaritas cum Iohanne, qui dicitur *del Cischio*, qui habitat in Burgo S. Sepulchri, et multis beneficiis non vulgaris inter nos benivolentia contracta. Is est inops, et aetatis annum . . agit, uxoremque habet et liberos prope infantes, ut neque pater filiorum nutriendorum onus sustinere, neque filii paternam senectutem sustentare in rebus vitae necessariis queant. Ideo necesse est ut eo recurrant, unde alimenta vitae illis suppeditentur. Debentur uxori Iohannis iure hereditario, ut asserit, bona quaedam immobilia in terris tuae ditionis sita, quae si assequerentur, esset unde possent parentes liberique vitam ducere. Idcirco te rogo ac deprecor, si quid meae preces apud te possunt, pro tua humanitate des operam, ut quae ad mulierem spectant, restituantur ei, quo eorum inopia aliquo sustentaculo sublevetur, neve mendicare, per eorum qui bona sua possident iniuriam, cogantur.

Scis opus piissimum esse, ut et senectuti et infantiae liberali animo succurramus. Scis caritatem esse Deo prae ceteris rebus acceptissimam. Scis humanitatem laudari ab omnibus ut virtutem gratam singulis, et in principibus admodum laudandam. Scis pietatem virtutum ferme reginam, cum ea omnes alias complecti videatur. Haec tot tamque praeclara nomina pro his pauperibus apud tuam prudentiam intercedunt; quae si quid poterunt, plurimum autem posse debent, maximam laudem consequeris et tua virtute dignam. Si ergo dabis operam, sicut tua postulat beneficentia, ut bona huiusmodi vel saltem maior pars restituatur mulieri, donabis vitam esurientibus, et cibum praebebis famescenti. Dulce est, inquit Cicero, serere beneficium ut fructum fidei possis metere. Non assero, ne videar magis boni-

(1) Quisnam princeps hoc loco sit intelligendus, coniecturam fortasse facere licet ex adnotatione prima ad Bartholomaei Fortinii vitam, quae in his nostris voluminibus legitur.

tate causae quam tua beneficentia confidere, me petere opus quod videatur aut iustum esse, aut pium, aut ex quo multorum gratiam sis initurus. Id tibi confirmo, te rem haud parum gratam facturum tum mihi tum nonnullis amicis tuis: et satis etiam in ipsa virtute gratiae praemiique esse, a sapientibus disputatur. Vale, et me unum ex tuis necessariis adscribe.

XXIV. COMITI PUPII.

Amicus quidam meus, magnifice Domine, retulit nuper mihi, nescio quem maledicum atque improbum detractorem (1) dixisse tibi, me scripsisse nonnulla quae vergerent in dedecus nominis tui; deque hac re certo in loco te esse conquestum. Displicuit mihi sane tum dicta de me esse quae falsa sunt, tum prudentiam tuam fidem verbis nequissimi transfugae praestitisse. Sed vitio naturae accidit, ut facillime quae in nostram contumeliam prolata dicuntur credamus. Vellem scire quis hic nefarius delator extiterit: nam ita eum ulciscerer, ut hanc suam nequitiam non ferret impunitam. Sed quisquis is sit, is ipse mentitus est in caput suum, vir nequissimus omnium qui vivant: et necesse est ut aut perfidus proditor fuerit, aut impius delator. Scio te tali prudentia esse et animi gravitate, ut mihi potius non omnino insulso credas vera, quam levissimo susurroni falsa dicenti. Ego te semper pro tua virtute colui ac dilexi: et rem facerem tibi gratam, excepta patriae causa (2): neque unquam aut dixi aut scripsi aliquid, quod spectaret non solum ad ignominiam sed ad parvam offensionem tuam. Sed ille perditus ac nefarius furunculus sibi gratiam apud te et alios ex mea detractione voluit quaerere: quod quantum sibi succedet, haud multo post intelliget, nisi me deficiat calamus. Rogo te igitur ac deprecor, ut pro tua humanitate nolis de me credere quae falsa nescio cuius hominis, vel beluae potius, immanitas confinxit. Si scirem unde, aut a quo haec prodierint, me tibi satis abunde purgarem, efficeremque ut si quid adversus me suspicionis concepisti, e vestigio deponeres. Sed hoc quid sit, cum nihil sit, quid me excusem nescio. Vale.

C. f. 120.

(1) Ex sequentibus constabit Poggium suspicatum fuisse maledicentiae huius auctorem Henochum asculanum.

(2) Videtur scripta epistola quum Pupii Comes iam Florentinis adversaretur, quae res ei causa ruinae fuit, ut nos ipsi diximus in hoc Spicilegio T. VIII. praef. p. XXVII ubi lamentationem eius edidimus.

XXV. COSMO DE MEDICIS.

C. f. 190. Memor hac nocte cum domum redissem sapientissimi consilii tui, cepi aliquam occasionem scribendi, sumens mecum cogitare, quantum hic dies ab hesterno differret, quantumque animi hominum voluptate quadam et lasciviore vivendi licentia laetarentur, vitae vero modestiam continentiam, temperantiam, respuerent et graviores mores. Hesternus enim dies inter varios mimos, inter dissonos cantus et sonos, inter vinum et epulas uberiores, in luxu, plausu, laetitia, absumptus est, quasi in summa lasciviendi libertate desipiendi occasio quaereretur: adeoque is dies exhilarationi animi vacationique curarum ubique gentium tribuitur; ut velle quemquam in communi stultitia sapere, summa insania videatur. Hodie vero cum abiecta corporis cura, sanctimoniae vitae atque animo colendo vacare admoneamur, mutato vultu maesti silentesque procedimus, et quasi lugentes hesternum tam cito diem evanuisse. Haec cogitanti haud immerito in mentem venit Senecae sapientissimi viri sententiae, qua admiratur quam multi corpori, quam vero pauci animo operam darent. Nam cum plurimi sint constituti dies, quibus partim vacare virtuti, partim corpori indulgere concessum est, animo dicati dies nullo exquisitiore apparatu, nulla pompa, nullo ornatu, velut ab invitis aguntur; quos vero corporis indulgentia sibi conscivit, vultu laetiori, ornatiore cultu, impensiori opera ac studio celebramus: ut mirum sit, ad lasciviam vitae tam promptos esse homines, ad cultum vero animi tam remissos.

Neque ego nunc ludorum iucunditatem, mimorumque usum et curarum intermissionem interdico; quippe qui et his delecter; homo enim sum, ut terentianus Chremes inquit, nihil humani a me alienum putans; et legerim priscos illos doctissimos ac sapientissimos viros ludis publicis interesse solitos, et in scenis mimos et fabulas spectasse, et quaesisse saepius a publicis ac privatis negotiis relaxationem. Sunt enim tamquam ad indicendas animorum ferias ludi iocique adinventi, quibus et ipsi a curis, et corpora a negotiis recrearentur. Sed et illud admirari cogor, cum tam variae artes sint repertae partim ad cultum corporis, partim ad animorum nutrimenta accommodatae, nos ea quae ad corpus spectant summo studio summaque diligentia prosequi, animi vero disciplinam veluti gravem atque asperam contemnere atque abicere, et eam partem nostri sinere incultam atque abiectam esse, quam maxime excoli at-

que ornari oporteret. Sed paucorum est virtutem appetere, et bona animi nosse. Nam maior pars mortalium more beluarum appetitum sequitur, ad id solum prona atque intenta quod voluptatem afferat, nihil ad animum, omnia ad corporis oblectamenta referens.

At vero nos, de his autem loquor quibus Dei bonitas dedit ut praestarent, partim sequi ceteros, partim praeire debemus, et aliis iter ostendere. Id agamus, inquit Seneca, ut non contrariam ceteris, sed ut meliorem vitam agamus. Itaque non aspernabimur ludos, non dies festos contemnemus et stultitiam publicam, non reiciemus hilariora convivia, non parcemus vino, non abstinebimus iocis et liberiore sermone. Dabimus curis ferias, et velut iustitium nobis una cum reliquis indicemus. Hoc inter nos et illos tantum intersit, quod cum illi nunquam resipiscant, semper enim sunt stulti, nos ratio reduces domum faciat, nec ulterius sinat prolabi, quam recta ratio postulet (1). Id enim est maxime prospiciendum nobis, ne dum levare animum volumus, opprimere ac prosternere videamur. Modus, quippe cum omnibus in rebus adhibendus est, tum vero in iis praecipue quae ad animum spectant; cuius negligentia periculosior est, et maiori afficit homines calamitate. Hic autem cum sit rerum omnium difficillimus, omni ope est adnitendum, quo minus ab eius praescriptione dilabamur; cum ii boni haberi possint iuxta veterum sententiam, qui in paucioribus deliquerunt. Vale. Florentiae ·XV· kal. martii.

XXVI. REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO MEO SINGULARISSIMO DOMINO CARDINALI AQUILEIENSI (2) DOMINI NOSTRI PAPAE CAMERARIO, APOSTOLICAE SEDIS LEGATO.

Ago tibi gratias, praestantissime Pater, 'pro litteris quas ad me scripsisti. Est profecto singularis tua humanitas, cui inter tot undique incumbentes curas, inter tot negotiorum strepitus, in mentem venerit Poggii sui. Hoc certe a summo tuo erga me amore proficiscitur, cui etsi ceteris in rebus nequivero, at saltem litterarum officio respondebo. Ruri eram aedificandi curae intentus, cum tuae mihi litterae redditae sunt. Nam post tuum discessum ut plurimum absens fui. Postea enim quam lucri facultas dempta est, malui rusticus quam urbanus esse, ubi et C. f. 108.

(1) Haec una locutio epistolam Poggii, sicubi opus est, sanat.

(2) Fuit hic Franciscus Condulmerius Eugenii IV. propior affinis.

minus curarum et plus consolationis adest, et ea loca ad veram philosophiam et litterarum studia sunt aptiora, quieti quoque mentis magis accommodata: non enim circumstant qui me quotidie percontentur, ecquidnam novi? Neque ego itidem ab aliis sciscitor quid agatur, neque de statu rerum publicarum ultra portiunculam laboro. Libellos quoque meos aliquando consulo, quid mihi agendum sit, cupiditatibus modum ponens; qua vita nihil quietius, nihil dulcius esse potest. Ad hanc ego te vitam vocarem, si aut status tuus aut tempora paterentur. Sed quoniam id fieri nequit, te hortor ut in hoc vitae genere, quod ingressus es, et honori quod semper fecisti consulas et dignitati. Haec optimo cuique vita (de his loquor qui in rebus publicis versantur) proposita esse debet. Vale, et tuum in me amorem conserva. Florentiae, die ·XII· septembris ·M·CCCC·XL· qua die in urbem redii.

XXVII. PATRI MEO PRAESTANTISSIMO FRANCISCO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI. (1)

C. f. 81. Nullam aliam ob causam tamdiu tecum silui, Pater optime, praeter eam quam tibi aliis in litteris descripsi; quam te excusationem pro tua prudentia benigne accepisse laetor: difficile est enim homini libero, et qui dissimulare nesciat, cum scribere coeperit, tacere de tanta rerum indignitate, quantam diutius quam aequum erat a plebe indignissima perpessi sumus. Naturam etiam omnium ferme eam esse videmus, ut promptior sit ac paratior ad culpandum ea quae minus recte agi arbitramur, quam ad laudanda illa quae videntur fieri cum virtute. Itaque ne de rebus vestris cum publicis tum privatis, quae mihi multorum summe displicent, propter earum iniquitatem (nihil enim a vobis nisi turbulentum, seditiosum, et ad interitum rerum publicarum spectans, maiori ex parte proficiscitur (2)) cogererer disputare et conqueri, satius esse duxi omnino tacere, quam ea auribus tuis refricare, quae et mihi scribenti, et tibi legenti, futura essent admodum molesta. Sed ad privata, inquies, publicis omissis te decuit conferri. At ego tua ignoro, mea vero ea existunt, ut potius dediscenda essent, quam scribenda, minuta quaedam et digna oblivione.

Unum fuit, in quo forsan non satis feci nostrae amicitiae:

(1) Franciscus Picciolpassus archiepiscopus fuit mediolanensis ab anno 1433. ad 1443.

(2) Fortasse loquitur de bello Mediolanensium adversus Florentinos.

debui tecum gratulari per litteras ob eam quam assecutus es dignitatem (1): id enim munus mea in te benivolentia requirere videbatur. Sed considerans tum gravitatem temporum, tum morum nostrorum perversitatem, addubitare aliquando cogor, gratulandum ne an condolendum potius sit iis qui gradus eiusmodi ascendunt. Difficile est in hac faece nostri saeculi bonum esse, cum plurima obstent impedimenta, quae praelatum etiam recto itinere proficisci cupientem retrahant ac perturbent. Sed tamen arcta est via quae ducit ad vitam, illis tamen maxime qui tamquam in vigilia quadam ad aliorum incolumitatem sunt constituti; ut multis praestaret propriae saluti consuluisse quam suscepisse ceterorum curam. Quamvis tua virtus ita est perspecta mihi, ut te sciam ex eorum esse numero, quibus vere atque ex sententia gratulari potuissem. Sed tum negotia permulta mentem ab ea cogitatione distraxerunt, tum segnities ac tarditas quaedam, quae una cum aetate videntur augeri. Sed praeteritam neglegentiam compensabimus frequentioribus litteris, quas a me expectes velim, cum hac adiectione si tu quoque rescripseris: aliàs torpescet non solum ingenium sed et manus.

Litterae tuae mihi fuerunt gratissimae multis de causis, sed maxime quia visus sum loqui tecum cum eas legi. Praeterea tuam illam antiquam recognovi humanitatem, neque ita elatam ut despiciat inferiores. Ego nonnulla edidi, quae quoniam desideras, dabo operam ut transcribantur, si librarium reperero. Cupis habere dialogum a me olim editum in avaritiam. Addam etiam disputationem a me habitam cum viro doctissimo Guarino de Scipionis et Caesaris praestantia; orationem quoque funebrem in laudem Nicolai nostri, qui diem suum obiit; epistolas insuper nonnullas adiciam quas arbitror fore tibi non iniucundas. Si quid est praeterea quod a me velis, utere Poggio tuo ea qua solitus es libertate. Vale, et me ama. Legatum quoque cum videris (nosti quem dicam) virum e nostris omnium praestantissimum, me ipsi commenda. Si litterarum forma plurimum videbitur abesse a priori scribendi elegantia, nequaquam mireris; nam et calamo scribo, et oculi sunt paulo quam consueverunt hebetiores. Bononiae die XX novembris.

XXVIII. FRANCISCO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

Dudum cum essem Ferrariae dedi operam, ut aliqua ex meis scriptis, quae te cupere, ex tuis litteris intellexeram, transcri- C. f. 100 b

(1) Ergo anno 1433. scripta fuit haec epistola.

berentur. Ea tradidi Roberto nostro (1), ut curaret ad te quam primum deferenda. Postea timens pestem (2), quae omnes terrebat, veni cum omni familia in patriam natalis soli, ubi rusticando legendoque vacuus publicis negotiis (nam privata nullius operis erant) tempus trivi usque ad Pontificis adventum, tanta animi ac corporis quiete, ut nihil mihi ad felicitatem deesse videretur. Incolebam domum, quam ipse haud vulgarem aedificavi, quae magna esse solet consolatio. Eram in patria omnium quas unquam viderim amoenissima; certe ab Tito Livio prae ceteris Etruriae campis laudata (3), quae omnia ad victum spectantia optima ac suavissima incolis suppeditat. Ipse nullis implicitus praeter quam legendi curis, quae iucundae sunt et animum levant: inde ambulatiunculis per consitos colles, quod a studiis supererat ocium exercitii gratia collocabam. Construxi insuper, quod et ipsum iucunditatem animo praestabat, bibliotheculam quamdam receptaculum librorum meorum: indignum enim videbatur, cum mihi haud ignobilem habitationem parassem, libris qui mihi magno ornamento semper fuissent, nullum proprium diversorium in quo habitarent se dignum in aedibus statuere. Accessit ad reliquas voluptates filioli susceptio, quae maxima habetur inter mortales. Quid quaeris? Adeo quiescebam animo, ut timerem aliquando ne mihi fortuna invideret. Hunc vitae cursum, quem ego omnibus vestris dignitatibus ac magistratibus antepono, interrupit summi Pontificis accessus, qui me rure in urbem avocavit. Ibi Robertum conveni, qui a me rogatus de libello, respondit illum tibi traditum esse, tibique eam rem fuisse admodum gratam. Laetor si quid egi, in quo tibi satisfactum putes. Quid autem de iis meis ineptiis sentias, a te scire velim, cuius iudicium acre et peracutum in talibus esse solet. Scripsi cum essem domi epistolam quamdam ad praeclarissimum ac praestantissimum principem Mediolani eius ad me litteris provocatus. Utriusque epistolae exemplar ad te mitto, ut et Candidi suavitatem dicendi videas, et infantiam meam: quae si tibi tamen digna lectione videbitur, addas numero reliquarum. Haec hactenus.

Sentio vos quotidie aliquid stultitiae cudere ad ecclesiam per-

(1) Est hic Robertus Martellius, qui, ut alibi ait Poggius, erat in mensa de Medicis. De eo Vespasianus in vita Nicolai PP.

(2) Sermo est de peste quae in Eugenii pontificatu fuit.

(3) Livius XXII. 3: *regio in primis Italiae fertilis, etrusci campi, qui Faesulas inter Arretiumque iacent, frumenti ac pecoris et omnium copia rerum opulenti.*

turbandam, quod tamen parvi facimus, a levitate quadam barbarica ex mentis vertigine profectum (1). Quae enim amentia est velle aliquos, omnes aeque ac se, stultos et insanos fieri? et decretis nescio quibus studere rebus novis, fatigare orbem, ut non omnino ociosi ac desides videamur? Sed tanti fiunt, quanti meretur condentium iniquitas. Perverterunt nuper caelum et terram, ut concilium transferretur in Galliam: quod postquam frustra evasit, nunc superioribus erroribus novos accumulant ad ecclesiam lacerandam. Sed non meminerunt quod legunt quotidie, Deum populorum ac principum cogitationes dissipare, ac reprobare consilia. Nisi vererer offensionem aliquorum, quos diligo, acuerem mihi crede calamum adversus impudentiam eorum qui ambitione quadam pestifera, et truci adversus Italos odio, omnia divina humanaque iura perturbant, ut satis faciant cupiditatibus suis. Res quippe nefanda est, christianum orbem nonnullorum barbarorum arbitrio ac temeritate regi debere. Tibi vero doleo, quem scio versari in ea rerum barbarie, in qua nihil adhuc praeter schisma et oppressionem romanae ecclesiae fabricatum videmus. Sed haec Deus, cuius de praeda agitur, viderit. Ego fidem a patribus nostris acceptam servabo. Vale, et me ama. Florentiae, nonis februariis.

XXIX. ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

Reverendissime Pater. Fui tardiusculus in respondendo tuis litteris, quam meus in te amor requirat, tum quia senectus natura omnibus in rebus remissior est, maxime vero in scribendo, tum quia existimabam te abesse longius, prout mihi scripseras esse futurum. Pridie vero redditae mihi sunt litterae a Lodrisio secretario tuo, quibus significat a te epistolam ad me obsignandam, ut eius verbis utar, recepisse, quae minime ad me delata est: et simul suis litteris interclusit schedulam quamdam Candidi sibi a te missam, ut litteris tuis intercluderetur. Ego, mi Pater, dudum a te accepi epistolam pergrandem, qua praeteritam negligentiam resarcire voluisti, et simul libellum plurium epistolarum quas legi omnes summa cum voluptate. C. f. 106

Epistola tua cum de rebus privatis pluribus loquatur, non videtur flagitare responsionem, nisi me de tuo reditu summe laetari, et de illa nummaria causa nihil unquam sensisse, quo ulla opus fuerit excusatione. De villicatione, et item opusculis meis satis sint quae dicta sunt hactenus. Unum scias, me licet mi-

(1) Loquitur de concilio basileensi, et de schismate feliciano.

nime opulentum, tamen in dies quaerere ut mihi aliquod praedium comparem, quo possim semotus a curis curiae, rei rusticae et musis nostris vacare. Nam video naviculam hanc nostram sine gubernaculo fluctibus quassari adeo, ut non sit his diebus tranquillitas speranda. Ad id quod suades vel occulte agendum, saepius apposui manus, et coepi prout rei indignitas postulare videbatur; verum compressi ipse me, postquam vidi etiam quae alterius nomine a me fiunt negligi, quamvis ad defensionem nostram necessaria. Itaque vires meas pensitans, nolui subire onus quod meis viribus nequeam sustinere. Dixi publice nuper, cum me ad id nonnulli ex maioribus hortarentur, si facultatibus iis essem quibus esse deberet vir haud omnino rudis, iam tot annis in curia versatus, sique mihi meae copiae absque ullo quaestu satis essent, me tum pro communi utilitate, tum propria laude, sumpturum onus scribendi, et ut existimo non inutile nostris. Sed cum omnes manus et sacculum claudant, ego quoque epistolis parcens calamum continebo. Sed haec hactenus.

Scribit Lodrisius, Matthaeum tuum dudum dedisse cuidam quatuor meas (1) epistolas ad me deferendas, qui eas nondum misit: quaeram eum cum otium erit, et ut tibi satis fiat cohortabor. Composui, sed nondum edidi, dialogum quemdam de nobilitate, in quo disseritur an sit nobilitas, quid sit, et quibus artibus acquiratur; reicioque opiniones eorum, qui illam aliis in rebus quam in virtute collocant. Plura in utramque partem disseruntur. Puto futurum ut eius lectio non sit futura nostris hominibus ingrata. Cum illum vulgavero, dabitur opera, ut ad te deferatur: et ni plus solito me animus fallit, non aspernaberis libellum, cum varia sit in utramque partem disputatio. Libellus inscribitur ad virum praestantissimum Cardinalem cumanum (2). Quod autem quaeris an Plato captus sit et venumdatus, tibi in ea re satis facere poterit Laërtius Diogenes, cuius verba cum de Platonis vita scribit, tibi mitto; ut Candidum videas non recte sentire, nisi etiam et graecum et doctum auctorem reiiciat. Sed puto cessurum tanti viri auctoritati.

Misit ad me Lodrisius verba quaedam scripta a Candido, in

(1) Ob ipsarum collectionem faciendam.

(2) Scilicet *comensem*. Erat autem is Gerardus Landrianus, prius laudensis, deinde comensis episcopus, postremo Cardinalis. Hic dum laudensem ecclesiam regeret, invenit Ciceronis rhetorica opera. Sequuntur ad ipsum Poggii epistolae.

quibus videtur arbitrari, quae disputaverim, an seni sit uxor ducenda, non quae prudentia aut consilium, sed fortuna aut voluntas suaserit, me scripsisse. Credo iocandi causa haec ab illo prolata: nam si legit libellum, non fortuna aut animi libidine, sed summa ratione a me eam causam sumptam animadvertere potuit. Nihil fortuito a me dictum, nihil nisi summa cum moderatione, de meo aut aliorum appetitu agitur, neque quid a me actum sit quaeritur, aut quid a me probetur, sed quid exigat ratio ab homine eius aetatis fieri oportere ad agendam quietam et civilem vitam. Quae si rationes ab eo non probantur, est spatiosus campus disserendi in partem contrariam, si eum laborem velit sumere: liberum est enim et sentiendi et scribendi iudicium. Neque enim ita amens sum, ut putem quae a me scribuntur, tamquam stoicorum cyrias doxas, ut appellant, ita rata esse debere, ut eis contradici non possit. Credo tamen Candidum nostrum, cum libellum legerit, sententiam mutaturum. Tu vale et me ama. Exemplar duarum epistolarum, quas nomine Pontificis scripsi contra Basileenses, et idolum (1) illud, ad te mitto: quamquam illas quorumdam scrupulosa religio in deterius mutaverit: sed te accipere volui epistolas incorruptas. Vale. Florentiae, die ·XXIIII· februarii.

Superiora sunt librarii manu, nam raptim cum scripsissem, rescribendae litterae fuerunt, quod mihi est difficillimum: laborem enim in dies libentius declino scribendi, manu mea praesertim, cum multa etiam invito ex publicis rebus incumbant. Exempla epistolarum, quas dixi, nequeo ad te nunc mittere, quoniam sunt penes amicum describendi gratia. Aliàs habebis. Heri Dei gratia in me uberior fuit, dedit enim mihi alterum filium, cui cum vita oro et virtutem largiatur. Leve id est: sed mihi gratissimum, hac praesertim aetate quae desiderat puerorum oblectamenta, et ipsa ad pueritiam revertens. Significo id tibi, quoniam mearum voluptatum te volui fieri participem. Prior ita pulchellus scitulusque est infans, ut nihil possit esse festivius: balbuttire incipit, et ipsa verborum corruptio est omni mihi eloquentia iucundior. Quid quaeris? Si reliquis in rebus ipsi aderit Deus, nemo me erit felicior. Sed confido non defuturum illum in se sperantibus. Longius quam vellem progredior tecum loquendi cupiditate. Vale iterum: manu mea; et tuum Lodrisium saluta verbis meis.

(1) Intelligit Felicem Sebaudum antipapam. Confer autem de his litteris Vespasianum in vita Cardinalis Brandae.

XXX. PATRI ET DOMINO VENERANDO EPISCOPO CUMANO DUCALI ORATORI.

C. f 98. Litterae quas olim in tuo reditu Ferrariam mihi significasti scripturum ad me illustrem principem dominum Ducem Mediolani, ad me missae sunt cum in patriam redissem. Hae me delectarunt permaxime, summamque spem tribuerunt, eum futurum esse quem verba tua pollicebantur. Ago tibi gratias, qui illarum scribendarum causam praestitisti. Videor enim quasi quoddam pignus habere eius fidei et voluntatis, siqua fides habenda est verbis. Litteras multi legerunt, quae plurimum profecissent, nisi novitas Burgi sancti Sepulchri (1) nonnullis suspicionem intulisset. Videntur enim facta verbis contraria; neque ego existimo hunc suapte auctoritate has res moliri. Ego rescripsi ad Ducem, et eam epistolam ad te mitto (2); primum ut eam legas, tum ut rescribi facias diligenter, ut exemplar est, ita ut ne quid erretur neque in verborum neque in syllabarum aut litterarum ratione; et eam ad Ducem mittas volo, retenta epistola: est enim haec manu mea oscitanter informiterque scripta. Nam librarius meus, qui me in rescribendi molestia levare solet, abest Ferrariae. Ego autem scribendo, accurate praesertim, admodum gravor, et sumptus calamus praegrandis videtur palus. Haec causa est, cum forma litterarum sit invenusta, cur nolim ad talem Principem deferri. Fuit quondam tempus cum omnes ferme elegantia litterarum superarem (3): nunc aetas efficit, ut ab omnibus videar superari. Verumtamen tu, qui nosti illius mores et elegantiam, facito in ea re ut libet.

Scribo insuper ad Candidum et Franciscum de Landriano, quas litteras resignes et legas velim. Franciscus scripsit ad me perhumaniter, credo tua exhortatione motus, cum sciat te mihi esse amicissimum. Rescripsi autem tardius ad litteras, rusticatione impeditus, scribendique molestia ac negligentia. Tu has cura deferri diligentér, et simul suade Duci, ut obstet his novitatibus nobis adeo propinquis, quae timorem incutere possent etiam intrepidis. Ego sum ruri vacans aedificationi et litteris: circumdant enim me libelli mei, et mihi gratulantur qui tan-

(1) De bello suo contra Florentinos loquitur ipse Philippus dux in epistola ad Poggium scripta anno M·CCCC·XXXVIII· Legesis insuper adnotationem ad vitam B. Fortinii, quam nuper nos memoravimus p. 274.

(2) Extat utraque epistola tam Ducis quam Poggii in vetere operum aliquot Poggii editione.

(3) Id affirmat etiam Vespasianus in Poggii vita.

dem redierim ad eorum conspectum: et ut me facilius abire patiantur, construxi eis diversoriolum in quo morentur non invenuste. Bis autem me Florentiam contuli defendens causam quam semel suscepi. Tu modo fac oro ne eludantur ii qui pollicentur rectam Ducis voluntatem, ne aut mendaces aut creduli nimium stultique fuisse videantur. Rogo ut ad me scribas aliquid de statu rerum communium et nostrarum. Litteras des ad mensam de Medicis, qui curabunt tute ad me quicquid scripseris perferendum. Scribe quoque an has litteras receperis, et quando eas miseris, aut speres missurum. Da operam ut valeas. In Terra nova ·XX· septembris.

XXXI. EPISCOPO CUMANO (1).

Postea quam a nobis recessisti, Pater optime, nihil accidit neque publicis neque privatis in rebus quod requireret ad te litteras meas. Cogitabam tamen aliquid ad te scribere post confectam pacem, et tecum gratulari id secutum esse quod optabamus; nisi videns quibus radicibus niteretur, incertus animi essem quos fructus esset allatura. Nam certe ea sunt ingenia vestrorum, plus ut dubitare multo in dies cogar, quam certae spei quicquam habere. Sed haec fors viderit, qua res hominum magis quam ratione aguntur. Conscripsi post tuum discessum ociosus libellum de infelicitate principum, in quo quid Minervula nostra valuerit, aliorum erit iudicium. Id ea lucubratione sum consecutus, ut penitus vitam meam et victum, qualiscumque is est, omnibus dignitatibus anteponam; feliciorem que me solum existimem quam omnes nostrae aetatis principes: siquidem mihi multa adsunt, illis omnia ad felicitatem desunt. Egi cum Gherardo ac Francisco, ut opusculum transcriberetur, ac mitteretur tibi. Nam postquam fortunae desunt munera, saltem ingenioli mei monumenta ad te curavi perferenda, in quibus certus sum pro tua humanitate te multum legendo voluptatis esse capturum. Nam tum ratione, quae potissima est, tum auctoritate, tum vero exemplis ostenditur, vitam esse principantium infelicem. Qua in re si quis se laesum putabit, is omnium erit infelicissimus. Cum librum legeris, scribito ad me de eo tuam sententiam, ut aut tua cohortatione alia ingrediar, aut castigatione sim vel remissior vel diligentior in scribendo. Et simul archiepiscopo nostro viro doctissimo, et Candido insuper C. f. 114.

(1) Caret inscriptione epistola. Sed vix dubitabis de nostra coniectura, si conferes praecedentem epistolam.

cuius est singulare ingenium in dicendo legendum tradas, si tamen dignam rem iudicabis quae in manus eorum venire mereatur.

Et quoniam ad te mitto quae apud me sunt munera, tu quoque aliquid de tuis ad me rebus velis perferri, et praesertim unum caseum prioris illius annui cibi similem. Id mihi donum gratissimum erit, et tibi, si id egeris, litteris gratias agam. Ego omni negotio vacuus dedo me litteris et rei rusticae: emi enim praedium urbi quatuor milibus passuum propinquum, in quo colendo multum operis laborisque impertior magna cum animi voluptate: est enim haec honestissima prae ceteris senilis oblectatio, qua ita recreor, ut exceptis litteris, nihil agam libentius. Sed hac de re diligentius verbosiusque cum caseum miseris; aliâs calamus arescet.

XXXII. EPISCOPO CUMANO.

C. f. 114. b. Nihil fuit post discessum tuum, Compater optime, quod aut me ad te scribere, aut a me te audire oporteret; neque nunc quidem quicquam est novi quod meas litteras requirat. Nam et res familiaris eadem est quam reliquisti, et de publicis scio te ab aliis fieri certiorem. Curiae vero non idem qui prior status, quae ita exinanita est, ut extremum spiritum ducere videatur. Neque est quod praesentem conditionem aliqua consoletur spes; ita desperatio quaedam futurorum mentes hominum occupavit. Salus ipsa si cupiat, ut ait Terentius, nos salvare non posset: tot angustiis circumsedemur! Nostri ipsi, siqui nostri sunt, nos exhauriunt: ita sunt nostri, ut sui magis quam nostri habeant rationem. Sed ut Cicero ad Atticum scribit, haec fors viderit, quae talibus in rebus plus quam ratio potest. Ego omni negotio publico ac omni lucro vacuus, tum rure sum maxime, tum paulum vaco litteris: neque enim animus perturbatus ratione temporum, cum utriusque reip. molestias et anxietates videat, quiete ea fruitur quam appetunt studia litterarum. Scribendi vero cura omnino adempta est, et omnes meae scribendi rationes refrixerunt. Antea curiae opibus sustentabar, nunc plane algeo, nihil operis percipiens ab ea. Ut autem nosti, non est locus Musis, ubi rei privatae sollicitudo mentem occupavit. Quiete animi et ocio opus est, si quid velis scribere.

Nihil ne litterae, inquies, proficiunt, et ante acta vita? Multum illae quidem. Sed res durissima est egere tum omni aetati et tempori, tum praesertim senectuti, et eo maxime tempore,

quo nulla nos spes sustentat. Ego nunquam pecuniae cumulandae studiosus fui, plurisque semper litteras et virtutem feci, quam quaestum; cuius rei me minime paenitet. Nam divitiae persaepe molestias et curas afferunt: illae semper consolantur et praesto sunt ad curandos morbos animi: laudem insuper et gloriam honestam largiuntur, quae sunt omnibus divitiis potiora Dicitur Pontificem esse discessurum (1): quod si erit, ego continebo me domi, ubi honestius egestatem feram quam apud externos. Est enim antiqua sententia, quam Cicero noster refert: ubi non sis qui esse soleas, non esse cur esse velis. Haec ad te scripsi, tum ut aliquid vel molestum scriberem potius quam nihil, tum ut te ad rescribendum provocarem. Scio enim te esse ociosum, et inter tuos sacerdotulos ius dicere ex priscorum annalium monumentis. Mitterem ad te libellum quem edidi de principum infelicitate, si invenirem qui ad te deferret. Florentiae die ·XII· octobris.

XXXIII. REVERENDO PATRI PETRO EPISCOPO BRIXIENSI (2).

Admodum molestum est mihi, quod cum iam ter ad te scripserim, respondens epistolis tuis, tu ita scribis, ut nullas videaris meas litteras recepisse. Itaque non deprecor culpam quae nulla in me fuit, sed tabellionum perfidiam accuso. Capellanus tuus qui nuper ad nos venit, mihi reddidit tuas suavissimas litteras et summa scriptas cum eloquentia. Ago gratias tuae humanitati, qui me celebrem apud Gallos reddidisti, quodque opuscula mea voluisti nota esse Regi (3), quem dare operam litteris aut libris gloriosum est, et summa commendatione dignum in tanto principe. Gaudeo autem et tibi gratulor, te in eius familiaritatem intimam devenisse. Hoc mihi persuadet, illi litteras et virtutem placere, postquam doctos amplectitur et praestantis viros. Magna est, mi Petre, penuria eorum qui virtutem colant: laudatur ab omnibus, sed pauci eam sequuntur. Itaque magnum extimandum est esse principem, qui saltem non abhorreat a doctrina et doctissimorum hominum familiaritate. C. f. 121. b.

Composui duos libros de varietate fortunae, sed nondum edidi: expectabo enim adventum tuum. In illo comprehendi

(1) Innuit reditum Eugenii Florentia Romam.

(2) Hic erat Petrus de Monte, quem ab Eugenio IV. legatum in Galliam missum dicit Ughellius, et nunc ex Poggio quoque cognoscimus. Poggius lib. XVI. ep. 30. ms. dicit hunc episcopum fuisse aliquamdiu Perusiae gubernatorem

(3) Erat hic Carolus VII.

nostri temporis historiam, eorum scilicet quos fortuna ex alto deiecit; in hunc regni Franciae varietatem fortunae, quae illud diutius quassavit, conieci. Tuo consilio utar, cui dicandus videatur; isti ne quem laudas, an alteri. De publicis rebus tuus capellanus referet tibi. Curia exinanita est. Nescio an accessus ad Urbem plus roboris an debilitatis sit allaturus. Omnia incerta sunt, ut ait Tullius, cum a iure discessum est. Ego haec scripsi manu festina paulo post discessum Pontificis (1). Tu vaca quantum potes, quantum vero poteris ignoro, ad resarciendam Pontificis auctoritatem. Quamvis dubito, ne haec Aragonia in agoniam nos coniciat multorum (2): sed tamen tentanda sunt omnia, et id agendum ut vacemus a culpa, quod solum sapiens praestare debet: reliqua diis permittenda. Vale et me ama. Ego tibi gratias iterum ago pro diligentia quam adhibuisti cum Cardinali remensi pro re familiaris mei (3). Sed rogo ut iterum instes, neque desistas sollicitare: importunitate opus est cum istis, qui non sentiunt nisi stimulo pungantur. Senis die ·XIIII· septembris (4).

XXXIV. SCIPIONI EPISCOPO MUTINENSI (5).

C. f. 90. b. Gratum est mihi officium tuum, mi Compater, quo uteris in me admonendo quemadmodum filiolus a me susceptus, sit vita et moribus instituendus. Et quidem amici caritate et benivolentia uteris in re admodum necessaria. Nam cum omnes nostris faveamus animi passionibus, et erratis filiorum indulgeamus ultra quam ratio patiatur, grata debet videri admonitio eius quem seposita omni graviore affectione, nobis consulere ex animo et recta sententia arbitramur. Etenim si omnes diligere et caros habere, si commodis hominum prospicere humanitatis iure debemus, quanto magis in filiorum educandorum cura pervigiles esse oportet, quos nutrire, erudire, instituere ad rectae vitae iter, naturae vinculo et divinis legibus obligamur? Nulla quippe est res, in qua patrum sollicitudo et studia acriora esse

(1) Scripta est igitur haec epistola anno ·M·CCCC·XLIII·, quo anno Eugenium Florentia per urbem Senas Romam redisse scimus.

(2) Erat enim tunc bellum Florentinis cum rege Aragonum Alphonso.

(3) Puto intelligendum Iohannem illum canonicum remensem, ad quem Poggii epistolam mox recitabimus.

(4) Alia, sed prope nullius momenti, ad hunc brixiensem epistola Poggii legitur ms. in cod. lib. XIV. 21. ms.

(5) Fuit hic doctissimus, unusque e patribus in concilio florentino. Mortuus est anno ·M·CCCC·XLIV· Ughell.

oporteat, quam ut liberi ad honestatem doctrinam et bonas artes per eorum disciplinam alantur. Summam igitur voluptatem suscepi in tuis litteris, quibus me hortaris ad eas res, quae solent esse parentibus tum perdifficiles tum vero maxime necessariae. Nam et amor nimius quo afficimur rectum iudicium impedire consuevit, et nisi frenum aetati quae est proclivior ad vitia adhibeatur, parentum simul et filiorum calamitas subsequetur.

Attamen risi paulum tuam curam non quidem supervacuam, nam semper sanis praeceptis vacandum est, sed neque aetati neque tempori congruentem. Non reprehendo tuam diligentiam, quae longe ante tempus ad consultandum occurrit, sed meam amnistiam, ut Graeci appellant, culpo qui nedum ad futura mentem accommodare possum, et eorum curam quae longe absunt agitare, sed ne praesentium quidem et quae quotidie inculcantur oculis, reminisci. Admones me summa cum caritate et etiam eloquenter quid sequi debeam in eruditione filii per omnem vitam: sanctissimorum ac doctissimorum virorum multa affers testimonia, disputas prudenter quibus sint liberi vivendi praeceptis et studiis edocendi. Sed haec monita, mi Scipio, mihi qui sum paulum obliviosior sive naturae sive aetatis culpa, sunt admodum praepropera atque immatura, quae neque nunc possunt prodesse, cum in usu nequeant collocari, et cum aliquid utilitatis forsan afferrent, oblivione sepulta nullo in loco sint profutura. Non enim neque infantium neque puerulorum aetas ad aliquam rectam normam vivendi dirigi, annis reluctantibus, potest. Quodlibet aetatis tempus studiis propriis duce natura gaudet, quam flectere paulisper et mulcere forsan diligentia institutoris et paedagogi possit; tollere vero aut funditus evellere non magis possit, quam si quis quaereret cum ratione insanire. Non sunt anni pueriles ad disciplinam certam apti, vix corroborati virtutem possunt intueri ac percipere, nedum imbecilles et ad vitia prompti. Itaque cuilibet aetati ius suum tribuendum videtur.

Infantibus ac pueris ludendi ac iocandi facultas concedenda, quam si quis praeripere conetur, reddet profecto illos stultiores atque hebetiores, cum etiam levia ac ludicra quaedam videantur quandoque acuere ingenia puerorum. Vidi ego plures, qui quod in tenera aetate negarunt parentes, in maturis annis postmodum maiori cum licentia expresserunt: bonos tamen mores, et quos anni sustineant, edocendi sunt: comprimendi ac continendi ne

longius efferantur: id agendum ne patris indulgentia lasciviores liberos efficiat, quam aetatis conditio praescribat: neve aut negligentia obsit, aut diligentia inutilis fiat: modus praecipue (quod difficillimum esse omnibus in rebus sapientes volunt) adhibendus est nobis. Sed cum omnia quae cura et ratione agi possunt, fueris mente complexus, Deus ille est qui tribuit unicuique prout vult. Quidam nullo parentum auxilio ad virtutem pervenerunt duce natura, quae plurimum potest. Aliis nihil profuit domestica disciplina, neque patris cura obstitit quominus turpes et flagitiosi essent. Danda opera est, id quod est proprium sapientis, ut procul simus a culpa. Quae honesta ac recta videntur, ea sequi debemus et rationi obtemperare: cetera Deo permittere, qui solus novit quid cuique sit profuturum. Ego cum tempus erit, adhibebo eum animum, eam diligentiam in filio educando ac bonis moribus erudiendo, quam postulat amor et pietas paterna; Deus reliqua curabit; modo, si id melius futurum existat, superstes sit nobis. Vale. In Terra nova. ·XX· decembris.

XXXV. REVERENDO PATRI ET COMPATRI MEO SCIPIONI EPISCOPO MUTINENSI.

C. f 107. b. Licet eadem semper mea sit in te benivolentia, atque idem animus amicitiae nostrae memor, tamen non eadem semper se offert scribendi voluntas, occasio, vel facultas, quorum utrumvis litterarum officium impedit. Haec enim tempora, ut vides, parum tuta rebus communibus, tum praesentia me saepius molestia afficiunt, tum vero magis torquent formidine futurorum. Equidem praeter curam rerum publicarum, etiam me angit sollicitudo domestica, quae malis publicis augetur. Video enim nos in id loci devenisse, ut prudenti viro potius timendum quam sperandum esse videatur. Ego autem cum priorem aetatem multis variisque laboribus consumpsissem, sperabam olim post adeptam unionem, senectutem meam in portum tranquillum pervenisse, in quo quiescere posset secura procul a fluctu tempestatum earum quibus antea iactabamur. Sed cum in pares nunc procellas maiori onere, non eisdem viribus, videam me deduci, conturbor animo saepius, incertus quo nos fata sint delatura.

Haec me invitum etiam meditantem, non solum tepescere a litterarum studiis, sed et amicorum et meimet oblivisci quandoque compellunt. Multis enim antea tempestatibus agitata est haec nostra navis, sed nunquam adeo gravem ventum experta

est, quin vim fluctuum rectorum sapientia superarit. Nunc vero iis ventorum turbinibus conflictamur, ut ad nostram salutem potius divino quam humano consilio opus esse videatur. Accedunt difficultates, quibus patria vexatur, quae si me non moverent, non solum ferreus sed stultus essem. Conficior igitur curis, cum videam me id aetatis virum semper vitam inchoare oportere, nihilque esse exploratum, quo certum vitae genus possim ad quietem et ocium deligere. At, inquies, virtus est advocanda, et se referendum ad ea studia quae nos eiusmodi molestiis vacuos possunt reddere. Satius id esse fateor: sed tum virtus rara est, nostra vero studia leviuscula: tum si homines simus, necesse est, nisi stipites omnino velimus esse, nos rebus turbidis commoveri. Neque enim sum ea mentis atque animi firmitate, ut non perturber cum publicis incommodis tum privatis, quae eo sunt graviora quo minori auxilio sublevantur. Sed haec hactenus.

Credo te audisse casum Cardinalis florentini (1) quem ego addam numero ceterorum. Nolo insectari verbis mortuos, sed miror Dei patientiam, adeo diu tantam iniquitatem, tantam labem saeculi nostri tulisse. Itaque gratias ago, quicumque ii fuerint, auctoribus tanti boni. Vale, et me ama. Florentiae. VIII die aprilis.

XXXVI. EPISCOPO CUMANO.

Gratissimum est mihi, praestantissime Pater, scripta mea laudari a te doctissimo atque optimo viro. Ea enim vera est laus putanda quae ab eis proficiscitur, ut inquit noster Cicero, qui et ipsi cum laude vixerunt. Itaque cum tu ipse sis eloquentissimus, et plurimarum rerum, quae ad sapientiae cognitionem spectant, doctrina excellens, laetor paulum in laudibus, quae in opusculum meum a te elegantissimis tuis litteris conferuntur. Maior est enim multo dicendi ubertas in tua epistola quam in eo quod laudatur. Sed aut voluisti ostendere non quid ipse mererer, sed quid tu dicendo posses consequi; aut certe tanta est tua in me benivolentia, ut quicquid scribam, a te opti- C. f. 118

(1) Intelligit Iohannem Card. Vitelleschium, patriarcham alexandrinum, et ab anno 1435 usque ad obitum anno 1438, archiepiscopum florentinum: quamobrem in epitaphio, quod legitur in patria eius Corneto, diserte appellatur *Cardinalis florentinus*, ut heic a Poggio. Est autem notissimum, hunc illaudabilis ferocitatis praelatum post multa gesta bella in suspicionem perduellionis venisse, ideoque iussu Eugenii PP captum, vitam infeliciter in arce molis hadrianae finisse.

mum extimetur. Utrumlibet autem sit, ut Romanorum sententia est, etiam falsis commendationibus oblectamur. Ego quae mihi ab ingenio subministrantur, conor efferre in communem utilitatem: gratiasque agerem illi, quisquis is, aut quocumque in me esset animo, qui meliora in medium afferret. Nam excitarer paulum ab inertia, et aut victus arma traderem, aut acrius pugnarem: disceptando enim in utramque partem veritas elici consuevit. Quod autem non credis me putare ut scribo, principes omnis esse infelices (1), sed tantummodo malos, id vere sentis: et hoc a me pluribus verbis disputatur, si recte meministi, fuisse aliquos quorum nonnulli a me proferuntur, principes bonos, sed eos perraros, et vix singulos singulis saeculis; eosque ipsos Dei quodam praecipuo dono extitisse, non opera principatus. Non disseritur a me de principibus quos si vis concesserim esse omnis bonos; dicam etiam, ut apertius mentiar, optimos; sed agitur de conditione principatus, quae talis est suapte natura, ut etiam bonos reddat malos usu eius et consuetudine.

Unum tamen paulum risi, quod in tuis litteris scriptum est prudentissime: ais enim, affici ipsos principes saepe numero infinitis prope molestiarum generibus administrationis, et commissae vel susceptae etiam curae gratia. Id ego quidem fieri posse non negarim: sed haec tamen maiori illis laudi et gloriae cedunt, quo prudenti. eorum et gratia (quod fieri posse credendum est) illa ipsa superare et vincere datur. Ego non quid fieri possit pervestigatus sum; nam plura fieri possunt, quae nunquam sunt facta; sed quid hactenus fieri consueverit. Stultum est enim dicere principes bonos esse, quia boni esse possunt. Credendum est, neque id monstrum esset, me regem fieri aut pontificem posse, sed id tum erit cum principes erunt boni. Ego aliquem novi, quem ad hanc diem nulla exceptione forsan appellarim principem bonum: sed nemo a me nominatus est, ne id cedat in contumeliam ceterorum: quilibet enim sibi blanditur et suis moribus: neque aliquem ita scelestum reperies, quin aliquod vitiis suis umbraculum afferat honestatis. Si tamen ipse cogitans recordari volueris tum nostri tum praeteriti temporis, principes invenies eos, qui vere boni appellari queant, corvis albis extitisse rariores. Virtus est quae vindicat homines ab infelicitate: ea quocumque in homine fuerit, id agit ut bonos amet et virtute praeditos, quorum quanta copia versetur apud principes,

(1) Librum de hoc argumento apparet Poggium misisse legendum episcopo cumano. Confer p. 287.

non ignoras. Hoc, quae illorum sit felicitas, magno nobis est argumento. Sed adulatio verum iudicium impedit, et eos pro bonis haberi cogit, qui sunt apertissime mali. Crede mihi, Pater optime, rara virtus est, neque facile possidetur. Ante eam dii sudorem posuerunt, ut inquit Hesiodus. At hanc principes parum norunt, maluntque circa feras aut aves sudare, quam circa virtutum indagationem. Verum haec non mea, sed Nicolai sententia est; qui si viveret, me parum in ipsos dixisse pro eorum in doctos viros meritis quereretur.

Quod autem velles me esse vobiscum, nam confidis me vestrae regionis amoenitatem (1) nostris anteferre; ego me in his locis esse non moleste fero, dummodo haec tributorum collatio abesset. Amoenissima est ora nostra, sed ea census acerbitate exasperatur. Ita ferunt tempora, quae potius quam homines accusare licet. De casei spe iniecta (2), tibi gratiae sunt agendae; cum venerit, agentur ampliores. Sed paene praeterii quod in primis fuerat scribendum. Scias mihi filium nuper esse ortum. Itaque quartae prolis iam pater factus, vere pater familias appellari queo, tum propter liberos susceptos tum maxime propterea aetatem (3). Si hic praesens fuisses, qui mihi pater es, compater extitisses. Vale, et me ama. Florentiae.

XXXVII. EPISCOPO CUMANO.

In ipso motu curiae (4), praestantissime Pater, recepi suavissimas litteras tuas, quae summa cum prudentia atque humanitate scriptae, maxima voluptate me affecerunt. Plura scribis in meam commendationem, multa de meo libello graviter et magna cum dicendi copia disputas: ea sentis et loqueris quae summam doctrinam et sapientiam in te esse ostendunt. Itaque scias velim, multum ex tuis litteris ad meam in te benivolentiam accessisse, cum talem litterae tuae te ostendant, qualem antea sermone hominum et fama perceperam. Ego quod ad me attinet, cupio ut is sim, quem me esse putas; sed certe etsi alia desint, hoc unum certe nobis adest, amo et colo doctos et C f. 119. b.

(1) Intelligit litora lacus Larii, cui Comum adiacet.

(2) Confer p. 286.

(3) Ad Poggii coniugium quod attinet, ipse quidem lib. XIV. ep. 8. ms. ad Fr. Aretinum ait: *ego quinquagesimo quarto aetatis anno uxorem duxi.* Tum lib XIII. ep 18. ms. ad Carolum aretinum ait. *septuagesimum aetatis annum ingressus, kal. maii filium suscepi, ceteris quos mihi Deus largitus est pulchriorem et maiorem.*

(4) Nempe in discessu Eugenii papae Senis Romam.

bonos viros; et cum multi doctrinam faciam, tribuo plus tamen virtuti, cuius minor copia inter homines versatur quam nostra ferat opinio. Eo fit ut siquando cum rerum scientia, honesti quoque ratio coniungatur, mira quaedam accessio homini fiat; ut in quo haec sunt, quae tamen rara sunt, is mihi dignus amore omnium et commendatione videatur. Sed plures videri, quam esse malunt, non fructum virtutis sed ostentationis adulationem quaerentes. Multa et gravia et sapienter scripta in tuis litteris continentur, quibus si singulis velim respondere, longus mihi libellus esset conficiendus. At nunc satis est significasse tibi me tuas litteras recepisse, ne me existimes in contrahenda amicitia sollertem, in conservanda ignavum et inertem fuisse.

Quod me hortaris ut de gloria principantium aliquid scribam, quo magis illi ad bene imperandum animentur, agam id forsitan si ocium et requies animo erit: scis enim ista quietem requirere et vacationem curarum. Sed eorum, qui rerum potiuntur, aures ita mihi surdae ad huiusmodi voces videntur, ut mea verba parum sint illis profutura. Trahit enim sua quemque voluptas et affectio: neque cum multis incommodis premantur, et in primis stultitia, quod malorum omnium est extremum, sentiunt ulla ex parte pondus suorum malorum: et quamvis persaepe proferant verba et sententias sapientum, tamen longe abest eorum vita a praeceptis sapientiae Sed de se ipsi viderint. Mihi quemadmodum hoc vitae reliquum cum laude et virtute degam, curae erit. Libellum meum ad utilitatem legentium scripsi, ut homines abiecta ambiendi cura virtutem appetant et sequantur, in qua sola bene vivendi ratio consistit. Quod si secus senserint, sentiant ut lubet; dummodo sciant, quod luce est lucidius, honestum esse rebus ceteris praeferendum. Vale, Pater suavissime, et me, ut coepisti, ama. Senis, die ·X· maii.

XXXVIII. REVERENDISSIMO PATRI MATTHAEO EPISCOPO ALBIGAUNENSI (1).

C. f. 102. b. Recepi tuas litteras, et simul exemplar epistolae quam dicis te scripsisse ex Mediolano. Fuit mihi utraque gratissima, sed superiorem nemo antea ad me attulit; propterea non respondi prius: rescripsissem enim tibi e vestigio, quae mea est in amicos observantia, cum nullus sit me in officio litterarum diligentior:

(1) Matthaeus de Caretto Albigauni episcopus ab anno 1429. Hunc et apud concilium basileense, et Florentiae etiam apud Eugenium PP. fuisse, tradit in eius notitia Ughellius.

nam tum sponte mea scribo ad eos, quibuscum est mihi vetus amicitiae consuetudo, tum vero praecipue litteris provocatus. Dedissem quoque operam, ut, quod petis, transcriptio tibi fieret epistolarum mearum. Quamvis enim me ipsum satis noverim, sciens quae a me scribuntur levia quaedam esse, neque digna quae legantur a viris doctis, tamen satis faciam tuae voluntati potius, ne me defuisse putes tuo desiderio, quam ut existimem commendationem aliquam mereri. Sed amor in me tuus singularis te cogit aliter atque aequum est sentire de rebus meis. Accidit enim ut amicorum virtutes excellentiores nobis videantur, vitia vero minuscula, ut persaepe amor nos a recto iudicio distrahat. Attamen ne mihi succenseas, obtuli exemplar capellano de quo scribis, modo ille onus suscipiat transcribendi. Sunt enim plura a me scripta post ea quae notas in tuis litteris, quae qualia sint tuo iudicio relinquam; certe a multis probantur secundum horum eloquentiam et doctrinam temporum. Sunt quoque in manibus quaedam, quae graviora superioribus videantur nondum a me edita: postea enim quam mea scripta aliquibus placere sentio, factus sum paulo audacior ne dicam impudentior ad scribendum. Ego tuus sum, siqua in re mea vel opera vel diligentia uti velis. Unum te pro mutua inter nos benivolentia hortor, ut Italorum nomini et gloriae consulas, neque te vel odium vel amor cuiusvis eo impellat, unde pedem non possis cum volueris referre. Satis a barbaris quibusdam, qui latini nominis splendorem ferre nequeunt, invidetur nobis: ii ne animum contra nos sumant, deterrendi sunt potius ac coercendi, quam vel cohortandi vel adiuvandi (1). Hoc pro tua prudentia satis

(1) Sine dubio intelliguntur congregati basileenses: namque ad illud concilium oratores suos episcoposque italici quoque principes miserant, quos inter Mediolani dux et Ianuae dominus Philippus, cuius duae extant ad basileenses litterae apud Mansium in Supplem. ad concil. Labb. T. IV. p. 248. 250. Eiusdem Philippi ducis alia epistola anno 1437. scripta ad archiepiscopum Mediol. (Franciscum) simulque ad episcopum Albigaun. (Matthaeum) vetantis ne concilium Florentiam transferretur, legitur apud eundem Mansium T. V. p. 11. Hinc Poggii adversus Mediolanenses ira pp. 280. 281. Multae quoque in iisdem tomis sunt Eugenii IV. PP. ad concilium basileense epistolae ac mandata, quae partim Poggii secretarii dictata fuisse necesse est. In his puto fuisse duas illas a Poggio p. 283. memoratas epistolas, quas ut videtur Branda Cardinalis ad iuris canonici normam reformavit (Spicil. T. I. p. 155.) O quantum illa quoque aetate laboravit Christianorum pax et religio! Quantum molestiarum pertulit fortissimus ac pientissimus pontifex Eugenius, donec iusta victoria potitus est! Equidem si talia saepius mente revolveremus, religiosas temporum nostrorum miserias et calamitates paulo facilius solaremur.

nosti. Certe scis consulendum esse communi bono, potiusque particulare odium deponendum propter publicam utilitatem, quam communi commodo detrahendum propter malivolentiam alicuius. Multi quondam praeclarissimi viri privatas inimicitias deposuerunt, quoniam id reip. utilitas postulabat, quorum tibi exempla cum notissima existant, laudem mereberis, si quorum facta laudas, vestigia fueris imitatus. Vale, et me ama. Florentiae, pridie kal. aprilis.

XXXIX. EPISCOPO ELIENSI (1).

C. f. 193 b. Vetus ac iucunda consuetudo, Pater optime, quae mihi tecum diutius in romana curia fuit, amor quoque meus in te singularis, quem saepius perspicere potuisti, postulare videntur, ut sicut olim praesens tuarum fui particeps curarum, ita et nunc absens tecum gratuler ob eam dignitatem, quam nuper intellexi summi Pontificis in te benivolentiam contulisse. Eo autem magis ob hanc rem gaudere decet, quod non ambitioni aut precibus (aberas enim) sed virtuti tuae praestantique in omni vita probitati intellexi Pontificem nostrum meritorum tuorum memorem ultro Eliensem ecclesiam tribuisse. Magni est dignitas extimanda omnis, quae in dignum virum confertur; sed illa certe videtur uberiori quodam favore esse praeferenda, quam cognitae perspectaeque virtuti mandatam videmus. Et quamvis amplitudo generis meritaque tua tardius quam aequum videbatur fructum ingenii et laborum perceperint, tamen eius gratia, qui nunquam deserit in se sperantes, abunde tibi suo tempore tribuit, ut non dilata sed amplificata tua laus et gloria videatur. Nunquam enim quod bene fit, tardum esse videri consuevit; sed votis ac desideriis nostris, qui mente futura praeoccupamus, etiam quae celeriter fiunt, plerumque videntur esse tardiora. Quo autem diutius expectata res est, eo solet iucundior esse cum venit. Haec vero dignitas multo carior nunc tibi debet esse cum pace et benivolentia omnium collata, quam olim futura fuisset in dissensione et cupiditate multorum, qui plus quam viri boni officium pateretur, ambitione nimia tenebantur. Mihi quidem tua haec amplitudo maximae est voluptati, et tam grata est, quam quae res potest esse gratissima. Vellem (nam id facerem libentius) ut coram possem verbis tecum gratulari, quod

(1) Willelmus Graim hic fuit, britannicorum regum stirpe ortus, et valde doctus, de quo scripsit Vespasianus.

quoniam non conceditur, id egi paucis quod temporis ratio et facultas permisit.

Verum cum huiusmodi dignitates soleant multorum mentes ad varia consilia impellere, difficileque sit recte ferre secundam fortunam, te rogo ut te unum ex his praebeas, quibus magis bonae mentis, quam rerum externarum cura esse solet: utque inter cetera memineris te hominem esse, hoc est et mortalem et fortunae imperio subiectum. Id autem maxime cogites, virtutem solam esse quae nostri sit iuris, nec vivis auferri queat, et mortuos sequatur. Scis, quoniam es doctissimus, quae ad officium eius spectent, qui ad multorum regimen et curam est positus. Scis alieni patrimonii dispensationem tibi creditam esse, quae quam sit difficilis multorum declarant opera, qui nullam rationem in posterum eorum, quae egerint, sibi reddendam putant. Itaque suadeo tibi, licet homo pusillus, sed tamen senex, ut illorum more qui esse quam haberi viri boni malunt, bene vivendi officia tibi colenda proponas, efficiasque ut dignitas tibi commissa tamquam calcar existat ad ea opera complectenda in quibus beatae vitae ratio consistit. Illud egregium erit, si conaberis ut plus honoris ex tuis ornamentis accedat dignitati qua fungeris, quam tibi ex dignitate. Praeclarum est enim dare operam studiis honesti, et id eniti ut non casu sed consilio, non fortuna sed prudentia, non intercessoribus sed vitae meritis, quis in altiorem gradum ascendisse videatur. Scio te uti posse Graecorum proverbio, sus Minervam; sed mea in te benivolentia videtur exigere, ut quia suffragio aliquo tibi adesse non possum, his paucis ea scribam quae honori tuo sum conducere arbitratus. Accidit enim vitio, ut opinor, conditionis nostrae, ut multi multa de se spondeant ante quam exaltentur in altiorem gradum: cum vero ad id quod quaesierant pervenerunt, prioris obliti voluntatis, communique hominum errore ducti, ea speciosa et laudanda putent quae vulgi opinio et plebis inscitia facit mortalibus admiranda. Vale, Pater optime; et nisi molestum fuerit, an has litteras receperis, rescribe. Florentiae.

XL. IOHANNI CANONICO REMENSI QUONDAM EX FAMILIA MEA.

Quamvis ex multorum excellentium virorum praeceptis, et C. f. 211.
plurimis meis collocutionibus percipere potuisti quid in sacerdotibus requirendum, quae vita, qui mores in eis maxime probandi essent, tamen nunc cum longius absis ecclesiae remen-

sis canonicus, volui litteris quoque, si forsan praeteritorum oblivio te cepisset, commonefacere quae agenda tibi quaeve vitanda potissimum arbitrarer. Scis te a me amari tum propter virtutes tuas, quae effecerunt, ut te non secus omni benivolentia complecterer, ac si te genuissem, tum quia cupio verbis meis quam plures fieri compotes vitae melioris. Intellexisti enim cum mecum diutius fueris domi, laudari a me semper eos quibus virtutis cura esset ac probitatis, cum absque his nec recte degi vita praesens ullo modo possit, nec bene extimari de futura. Verum difficilis et ardua virtutis cognitio ac possessio semper fuit, propter multiplices morbos animi, qui rationem impedientes ab recta nos deducunt rationis via. Quamobrem si qui ad virtutem, hoc est ad vitam beatam aspirant, primo effugere et expellere vitia oportet, et ea in primis ex quibus maior pernicies nobis imminere videtur. Non enim possunt virtutes ingredi in animum scelestum et vitiis occupatum, quoniam contraria nequeunt invicem permanere.

Prae ceteris autem avaritiae non solum crimen sed suspicio fugienda est, quae ut dicitur omnium radix est et principium malorum. Nullum enim scelus, nullum flagitium tam grave est aut tam absurdum, quod non leve avaro et concessum esse videatur. Non prosequor longius, nam multorum exemplis comprobatum est, quot ex ea provenerint hominibus mala. Hoc dixerim, avaritiam solam, si sapientibus credimus, cetera omnia maleficia complecti. At ea tum in omnibus hominibus culpabilis est, tum maxime in sacerdotibus abhominanda. Nam cum in reliquis quamdam aliqua ex parte probabilem aut verisimilem causam avaritiae afferre quandoque homines soleant, tum propter natorum, tum propter familiae curam, tum propter varios sumptus, ut non solum parcum sed avarum esse interdum quodam modo videatur esse concessum, in solis sacerdotibus, qui patrimonio Christi suffulti, nullius rei egere possunt, nequaquam ulla avaritiae tolerabilis causa afferri potest. Tu ergo ab hac labe morum et vitae corruptela omni cura caveas velim, tantum desiderans tantum appetens, quantum satis sit futurum ad sustentaculum vitae. Nam quae stultitia est sollertem esse et occupatum in iis rebus comparandis quae nullius usus nobis erunt? nec solum non profuturae post obitum, sed etiam nociturae? Pecuniarum certe et reliquarum rerum fructus in usu consistit. Si tamen aliquid ad incertos temporum casus et fortunae impetus servares, ut tibi et aliis prodesse queas, non est vitupe-

randum. Tamen modus adhibeatur rerum omnium moderator. Nolo effundas siqua adsint fortunae bona, neque inconsiderate proiicias tamquam illorum odio motus, sed utaris ope ipsorum ad tuam et egentium sustentationem. Non sunt haec proicienda, sed collocanda. Nolo te avarum esse, sed ne prodigum quidem. Parcitatem sequi laudabile est, quae res videtur esse difficilis, cum sit arduum tenere medium, quod sapientes volunt: sed id non videtur abesse longius ab eo qui proxime accedit.

Sequitur hanc veluti pestem luxuria, multiplex vitium; cum in vestibus, in cibo, in cultu corporis, in ornatu domus, in carnis concupiscentia, luxuria dici queat. Sed ea perniciosior quae ad corpus spectat multarum causa calamitatum: a qua eo magis cavendum est, quo magis videtur esse secundum naturam. Multi ab avaritia integri fuere, quos luxuria fregit, blandum malum, et quod ab omni genere animantium expetitur Hac in re nullus est tutus, nisi fugiendi, modus, declinandique omnem illius contagionem. Hoc solitudo, abstinentia, cibi vinique parcitas praestabunt, quae multum proderunt ad libidinem perdomandam. Praecipue autem consuetudinem et familiaritatem feminarum tibi interdicas. Nam oculi ad concupiscentiam invitant, quam difficulter reprimes, nisi removeris aspectum earum rerum quas naturae quaedam licentia videtur appetere. His duobus vitiis si diligenter obstiteris, facilior tibi aliorum expugnatio erit. Nam invidiam, aemulationem, obtrectationem, odium, iram, parvo negotio poteris compescere. quae cum numquam in te esse conspexerim, non monebo ut ea caveas, a quibus semper abstinuisti. Ad illud vero te hortabor, quod omnium est virtutum caput, ut cupiditates fugias, sub quibus cetera latent mala. Omnia tibi satis abunde erunt, si compresseris cupiditatem. Illa rerum fugiendarum libidinem subministrat, ex ea malae omnes descendunt cogitationes, illa virtutum est omnium inimica. Quid est enim avaritia, nisi rerum fortunae cupiditas nimia? Quid luxuria, nisi cupiditas explendi corporis voluptates? Quid iniustitia, nisi dandi aut auferendi aliena cupido? Quid ira, nisi cupiditas iniuriae ulciscendae? Itaque si cupiditatem a te propuleris, omnem vitiorum materiem amputabis.

Illa praeterea tibi animadvertenda sunt, si nostri Salvatoris praeceptis haerere velis, quae ad pietatem et caritatem pertinere videntur; quae qui colunt, legem Altissimi adimplerunt. Nam in caritate ea omnia continentur, quibus Salvatoris

misericordia allicitur ad salutem nostram. Non te hortor (nam supervacaneum videtur) ut ea facias, quae si omiseris, magno scelere te adstringes: ut memineris ita te vivere ex altari, ut ei servias, ut celebres, ut divinis horis intersis, ut Deo continuis orationibus pro sua in te munificentia gratias agas, ut ores pro populo, ut cogites te sacerdotem esse; haec enim et levia sunt, et clericorum professioni accommodata. Nam quid ego te admoneam ut crapulam fugias? quod vitium tum in omnibus tum maxime in viris ecclesiasticis est detestandum. Non potest vigere animus, neque ratio suum officium exsequi in corpore cibis et potu referto. Quare danda est diligens opera, ut in te animus imperet, corpus serviat, quod in maxima parte mortalium, quorum Deus venter est, secus videmus contingere, cum deduxerint animum in vilissimam corporis servitutem. Tibi vero qui militiam Dei suscepisti, enitendum est ut animi imperio guberneris, ut ratio superet sensuum cupiditates, ut virtutis instituta quid tibi sequendum sit subministrent, ut ea fugias quae in aliis videris esse culpanda. Nam optime instituet vitam suam qui quae in aliis errata cernit, sibi proponit esse propulsanda; quique alium tacite reprehendens, mentem revocat ad errores suos. Quare eam tibi normam ante oculos proponas, quam in aliis requiris. Haec si egeris in diem te castigans et corrigens, melior profecto evades, et tum hominibus satis facies, tum consules animae saluti quae prae ceteris rebus optanda est. Haec ad te scripsi paucioribus quam rerum gravitas requirat, tum sponte mea, tum etiam rogatu tuo, quem confido ita instituturum deinceps et vitam et mores, ut nequaquam frustra a me admonitus fuisse videaris. Vale mei memor. Vale.

XLI. PRUDENTISSIMO VIRO, MAGISTRO RICHARDO PETTEWORT, DOMINI MEI DOMINI CARDINALIS (1) SECRETARIO, FRATRI CARISSIMO.

C. f. 109. b. Gaudeo, mi suavissime, Richarde, litteras meas et eam praesertim particulam, qua tibi te ipsum commendabam, placuisse tibi (2). Signum id quidem et argumentum est animi resipiscentis a supervacuis curis saeculi, et iam de se ipso cogitantis. Id quoque mihi placuit in tuis litteris, quod asseris te iacturam

(1) Nempe Cardinalis angli Beaufort episcopi Wintoniensis, cui ipse quoque Poggius olim familiaris in Britannia fuerat.

(2) Aliae duae, praeter has, extant morales Poggii epistolae ad Richardum in editione florentina pp. 110. 139.

declinantis aetatis sentire, et iam oculorum aciem hebescentem. Sed accipe a Poggio tuo medelam, quae in libris medicorum, minime continetur. Levis oculorum est hebetatio, si mentis lumine roboretur: hi enim sensuum defectus tolerantur facillime ab iis, in quibus animus viget et vires exercet suas. Unde et apostolus ait, cum infirmaretur se esse potentem. Itaque visus debilitas, mentis animique valitudine sustentanda est. Aequo animo ferimus, mi Richarde, id damnum quod maiori commodo resarcitur. Quare vaca deinceps bonae menti, et consulas futurae vitae.

Quod mei libelli tibi placeant, gratum est mihi, gratiusque erit si sensero illum praesertim qui contra avaritiam est, tibi profuisse. Ego ne omnino sim ocio inerti, vaco litteris et libris meis quantum datur temporis a publicis ac privatis curis, et aliquid ago tum pro mea tum pro communi utilitate. Edidi nuper librum de infelicitate principum, docens tum ratione tum exemplis, et bonos siqui fuerunt et malos principes omni felicitate privari: neminem eorum qui habiti sunt, fuisse felicem: felicitatem vero (de ea autem loquor quae inter homines versatur) magis in privatis viris esse, quam in eis qui ceteris dominantur. Id agitur a me ut ostendam, virtutem esse felicitatis omnis originem et firmamentum, sine cuius possessione nemo esse felix potest. Sed ita rara videtur societas principantibus cum virtute, ut seclusi ab hac felicitate esse putentur. Dabo libellum transcribendum poenitentiario tuo, ut spretis potentium liminibus te compares ad consequendam felicem vitam cum legeris librum. Sed vereor an ita constans sis futurus, ut totum libellum perlegas. Si mihi credes, consules canitiem tuam et albentes capillos; hi enim te hortabuntur ad lectionem, et ad doctrinam libelli invitabunt. Sed haec hactenus. Commenda me domino communi domino Cardinali, quem divitiis supero. Vale mei memor. Florentiae, die ·XXIIII· maii ·M·CCCC·XL.

XLII. RICHARDO EIDEM.

Scis, mi Richarde, me pro nostra amicitia iam saepius te C. f. 131.
per litteras hortatum esse ad melioris vitae cultum, et ut deposita paulisper earum rerum cura, quae fortunae munera appellantur, ad ea vacares quae nostra sunt, hoc est ad virtutem respiceres, et ea bona quae nos etiam post mortem comitantur. Id ut etiam communi nostro domino diceres, aliquando suasi; quod utrum abs te factum sit, nescio: ego certe et boni viri et

amici hominis officio functus sum. Nunc vero cum sentiam aetatem ingravescere, et hebetari corporis vires, iterum pro mea erga te benivolentia scribere volui, quae et animae prodesse, et corpori non deesse videantur.

Est mos illis, qui longius iter sunt ingressuri, ut pecunias sumant quantum longitudo viae requirat, vel paulo amplius etiam propter incertos casus. Ii cum quasi ad finem itineris pervenerint, minus multo de viatico quam antea solent esse solliciti, cum videant se iam parum quid viae confecturos. Stultissimum quidem esset, magnam sollicitudinem curamque impendere, ut plurimum habeas ubi minimum est necessarium. Hoc idem nobis debet accidere, qui iam prope decursa aetate sumus, ut quo minus viae conficiendum est, eo minor sit viatici cura. At vero et tibi et communi domino contrarium videtur accidere, si vera sunt quae feruntur fama: quo propius finem spectatis, eo plus vacatis rebus non profuturis, sed potius nocituris. Quid est hoc, mi Richarde? nam tecum liberius possum loqui: num tu ex Indis es, qui secum aurum, argentum, vasa, vestes sepeliri iubent, quo illis apud inferos uti possint? Num tu has pecunias ferre putas? Relinques omnia, mihi crede, et nudus absque ullo advocato causam pro te dices apud supremum iudicem, neque te auri copia defendet, immo accusabit, qui non illud in usus debitos erogasti. Marcus Antonius, qui una cum Octaviano duodecim annis regnavit, ante quam se interficeret id solum secum ferre dixit ex tanto imperio, quod amicis dederat. Id erat liberalitatis et beneficentiae laus, quae etiam mortui famam prosequeretur. Nolo ecclesiastica referre, quae tu melius quam ego nosti: hoc unum ob eam causam retuli, ut cognoscas nullam laudem et gloriam in cumulando et congregando, sed in dando et largiendo sitam esse.

Quod sicui aetati id convenit, certe maxime senescenti. Etsi enim quaelibet aetas incerta est, tamen senex est propinquior fini, quem iam conspiciens, non praesentem sed futuram vitam debet prospicere; atque id agere, ut sponte non coacte praesentia bona distribuere videatur. Quae est enim merces id dare socio itineris, quod ipse gravatus ferre nequeas; quod si ille non caperet, esset in via relinquendum? Es ne vero ita stultus, ut aliquem amiciorem animae tuae, quam tu ipse fueris, existimes futurum? Aut quod non libens vivus feceris, id alios libenter facturos putes? Vertent se profecto ad praedam ii quibus confidis: et postquam crudelis in te fueris, nulla dignum

te misericordia iudicabunt. Quid enim crudelius dici potest, quam ita abire e vita, ut numquam de salute animae cogitaris? Nullum tibi ad futuram vitam subsidium, nullum viaticum praepararis, cum tot supersint, quae vix videntur in religioso viro fas esse optare? Verte igitur mentem si sapis ad meliores curas, et extremum diem ante oculos propone, et illum expavescens (tremendus enim est) tuarum rerum dispensator existe: velisque potius ut dicatur, te pecunias, quam pecunias te reliquisse. Nemo melius ex hac egreditur vita, quam qui expeditus egreditur ac liber. Multi ita exeunt tamquam ad tormenta trahantur: nihil enim praemiserunt, in quo spem ullam habeant futuri auxilii. Praemittas ergo tamquam iturus ad convivium ministros, qui tibi mensam in vita futura parent, qui sentes de via auferant, qui lumen ministrent, qui tibi praesidio sint adversus raptores atque homicidas. Solus enim proficiscèris, nudus, mops, tremens, et tunc cum tempus non erit misericordiam implorabis.

Declina ergo paulum ab inanibus curis, et diverte in habitaculum mentis, et ei consule paulum quae iam diu nimium absque ullo consultore fuit. Adhuc enim tempus est, si eo scieris uti. Est locus resipiscendi: ne negligens fueris; sera enim poenitentia est post vitam. Tu ne eam in id tempus protrahas oro, sed dum sanus es, dum suppetunt vires, dum vita dulcis, dum mens viget, ita utaris praesentibus, ut magis cogites de futuris. Nunc virtuti vacandum est, nunc abicienda vitia, et inanes cogitationes repellendae, nunc maxime danda opera ut praesens vita non damno sed praesidio sit nobis post obitum futura. Etenim si adolescentes erravimus, aetati tribui potest; si viri, ambitioni. Senectus vero, in qua corporis vires decrescunt, hebetantur sensus, deficit appetitus, et multa vitiorum irritamenta desunt, si fuerit dissolutior, aut si non componat se ad meliorem vitam, aut futuram spernat, quam erratorum suorum excusationem poterit afferre? Cogita haec, mi Richarde, quae ad te munusculi loco scripsi. Si consilio meo obtemperabis, et quieti corporis consules et animae saluti. Has litteras, si videtur, legendas trade domino Cardinali, quem cuperem videre et secum loqui, prius quam alter nostrum migret e vita: diligo enim ipsum ex corde, sed aetas et familiae cura impediunt. Vale, et me ama, et domino commenda plurimum. Et *di' che serri pur bene la borsa, che altri l' aprira poi* (1). Romae, die ·XXII· iulii ·M·CCCC·XLV·

(1) Iniuste Poggius Cardinalem accusat, cuius liberalitas exploratissima

XLIII. EIDEM RICHARDO SUO.

C. f. 150. b. Si vales, bene est; ego quidem valeo. Ex epistola quam pridie a te accepi intellexi meas litteras aliquid tibi profuisse, et te vitae prioris pertaesum, mores ad virtutis normam componere, ac iam cogitare quid metas, quid iam instans peregrinatio requirat. Gaudeo ob amorem quem semper erga te gessi, mentem tuam ad meliorem vivendi cursum conversam, de futura vita curam suscepisse. Et quidem rectissime facis, exuto veterum errorum habitu, novum hominem induere, et virtutem beneque vivendi rationem pluris facere, quam cetera ad quae homines veluti caeci insano studio deferuntur. Virtus sola est, quae nos etiam mortuos comitetur, et participes faciat vitae beatae. Itaque prosequere ut instituisti, et vitam felicem puta quae sepositis animi morbis, ad honestum omni cura et diligentia contendit. Liber de rebus Indiae a me editus, est quartus eorum quos conscripsi de varietate fortunae. Si totum opus habere cupis, dabo operam ut transcribatur; neque magna erit impensa, quam cures penes aliquem ex mensariis curiae, si desideras librum.

Quod scribis visum esse honestum executoribus testamenti communis quondam domini (1) ut aliquid pro me servetur, haec ut video mera voluntas fuit, neque ulterius progressa est. Hoc tantum velim dixisse, melius id rectiusque quicquid futurum fuerit, apud Poggium collocatum fuisse, quam apud multos qui neque famam neque infamiam illi mortuo praebere possunt. Si ostendissent illi, ad quos spectat, aliquid liberalitatis, fructum aliquem illius defuncti fama reportasset. Scis litteras esse quae viros egregios non sinunt mori. Nam omnia praeterita oblivione perpetua sepulta iacerent, nisi doctorum virorum beneficio in memoria hominum versarentur. Sed plures corpus quam animum, et praesentem vitam quam futuram, curant. Paucorum est veram laudem appetere. Tu autem cum illis loquere, ut libet; ego eius parvam spem habeo. Scis quae hactenus scripserim Cardinali viventi, et quod praedixerim quae secuta sunt: sed numquam credidi eum ita immemorem mei fore, cum ita saepe meas litteras legeret. Sedet nunc cum divitibus saeculi. Sciscitare an

est. Lege Ciacconium in eius notitia, ubi dicit de expeditione quoque illa bohemica quam memorat Poggius in epistola ad eumdem p. 252.

(1) Cardinalis Angliae Beaufort praedicti. En autem cur Poggius in superiore epistola liberalitatem Cardinalis requirebat, quia testamento illius inhiabat.

aliqua spes habenda sit. Et vale mei memor. Scribas mihi ubi moreris. Expecto te in futuro iubileo, ut labore itineris abluas praeterita. Romae, die ·XII· iulii ·M·CCCC·XLVIII·

XLIV. CINCIO ROMANO A SECRETIS PONTIFICIS V. CL. (1)

Cum essem nuper ruri apud patrios lares, reddita est mihi C. f. 98 b.
epistola prudenter et summa cum eloquentia a te scripta, in qua et gratularis mihi prout amicum decet de filio suscepto, et quae ad eius institutionem spectare videntur, gravissime ornatissimeque prosequeris. Utrumque mihi gratissimum fuit, et gratulandi officium pro nostra amicitia a te sumptum, et quae de educando filio admones: cuius consilia pondus et auctoritatem apud me maxime habere debent, tum quia ab homine amicissimo proficiscuntur, tum vero ab eo qui in liberis educandis summam curam et praecipuam diligentiam praestitit. Equidem quod ad me solum attinet, in nutrice deligenda is fui quem me esse hortaris. In vitae vero institutione, cum per aetatem licebit, nihil a me omittetur eorum, quae a te ceterisque doctissimis viris de nutriendis filiis traduntur. Erudietur, quod omnium est primum, in timore Domini, imbuetur moribus quos nostra fert aetas, demonstrabitur virtutis iter, id agetur ut parentum eruditio et cohortatio nulla in re defuisse filio videatur. Satis nobis erit quod sapientis est praestare. Si secus is evaserit, ut procul simus a culpa.

Sed, mi Cinci, natura hominum ita iam dudum suo vitio corrupta ac depravata est, ut nisi nobis Deus adsit, nisi labentes sustentet, vani atque irriti videantur esse labores nostri et cogitationes. Sunt quaedam ingenia hominum ita crassa atque obtusa, ut nullum ne inculcatum quidem queant percipere doctrinae genus. Sunt plurium animi ita perversi, ut omnem respuant honestatem. Sunt alii natura leves, inconstantes, impuri, mendaces, improbi, absurdi, ut nullam in his institutionem vitae proficere videamus. Nam veluti in arena si quis frugem serat, irritus fiat labor, sic quorumdam depravatae naturae mentes, nulla eruditione, nullo cultu ad virtutem instituuntur, alieni ab omni bene vivendi ratione. Verissimum quidem est quod scribis, neque sidera neque caelorum cursus, praestantes hominum naturas bonarum artium studiis, et optimis moribus

(1) Respondet Poggius epistolae Cincii, quae extat in appendice ad eiusdem Poggii per Shepherdium vitam p. XLIII. Nihil autem adnotandum erat ad Vespasiani vitam Cincii, quoniam hic secretarius notus fuit Bonamico.

corroboratas pervertere ac depravare posse: sed ante assumptum robur, ante adeptos optimos mores, ante quam bonarum artium institutis homines formentur, cum nondum aliquid est perceptum, plus sidera et caelos (1) valere arbitror ad disponendum animum nostrum, quam hominum praecepta et suasiones. Nisi enim sidera et caeli, sive potius Deus, nobis faveant, postea quam in lucem editi sumus, nisi tamquam laborantibus porrigant manus, nisi nos accommodatos ad percipiendam virtutem in lucem educant, frustra atque inanis ferme omnis erit parentum affectio et cura. Nolo nostri temporis quemquam referre, nequem mea oratio offendat. Ciceronem certe filium ·M· Tullus quanta cura nutrierit, quanto labore erudierit, quantam sollicitudinem in eo bonis artibus et philosophiae studiis instituendo adhibuerit, minime te fugit. At vero is a paterna virtute et moribus adeo degeneravit, vino et somno deditus, ut uni maxime Tullio praestiterit filiis caruisse. Refertae sunt historiae illorum exemplis, qui nulla in re parentum virtuti responderunt: et eorum quoque, qui paternam gloriam superarunt, plurima sunt exempla: sed tamen neque illis parentum disciplinam scimus defuisse, neque his studia adfuisse, ut natura ipsa sola dux esse videatur hominibus ad virtutem. Sed hanc ipsam fateor adiuvari plurimum posse studio et domestica cura. Maxime autem prodesse arbitror arceri procul a teneris annis, ut scribis, illecebras voluptatis, ne corroborata iam aetate animus blandimentis illius delinitus, durior fiat ad capessenda verae vitae praecepta. Ego tamen, quem Salvator noster sua sponte, nullo parentum studio, paulo altius provexit quam merita mea paterentur, spero in filio quoque, adhibita a nobis cura, satis facturum honestis parentum votis, quae sola erunt ut illi bonam mentem tribuat, et animum memorem beneficiorum eius. Nos quidem quae in nostra potestate erunt, sedulo curabimus, prout parentis pietas et officium postulare videntur. Cetera praestabit spiritus ille qui ubi vult spirat; optabimus certe quod parentes solent propitii. Quicquid fors tulerit, aequo animo feremus. Vale. Ex Terra nova, die ·XVI· novembris.

XLV. MARCELLO CINCIO V. C.

C. f. 225. Ita me salvet Deus, mi Marcelle, ui nihil est quod aeque cupiam ac satis facere desiderio tuo, et favere quantum facultas

(1) Vel errore vano astrologorum vagatur Poggius, ut tum vulgo fiebat, vel illorum more loquendi utitur.

ferat iis rebus quae tuum commodum respicere videantur, tum propter tuum tuorumque in me amorem, tum propter memoriam praeclarissimi omnique laude dignissimi Cineri quondam parentis tui, quem unice dilexi, nunquam intermissa inter nos benivolentia, et quocum dum vixi fuit mihi iucunda vitae consuetudo. Vir perhumanus Abel noster reddidit mihi suavissimas litteras tuas, et simul adventus sui causam explicavit. Respondi ex tempore quae mihi videbantur ad rem pertinere, hanc scilicet nostram remp. exhaustam esse pecunia, et adhuc laborare ea aegritudine quam contraxit ex praeteritis bellis, a qua nescirem quo tempore esset valitudinem recuperatura. Eadem conditione externi sunt apud aerarium nostrum, qua cives omnes qui non solvunt tributa neque subeunt onera civitatis. In ea comprehenduntur singuli ecclesiastici viri, et pia loca quaecumque civitatis et dominii eius, qui iam dudum nihil emolumenti perceperunt. Diligentia tamen Abelis, consilio amicorum, quaedam conclusio agitata est, prout is tibi referet, quam suadeo sequaris: tempora enim dubia sunt, et futuri incerta ratio, ut satius videatur semel aliqua tolerabili conditione cadere, quam semper pendere: et in dubiis semper exploratior conditio est praeferenda. Ipse Abel rem vobis totam diligentius exponet: cui pro eius diligentia, studio, cura, quae in hac re vestra praestitit, gratias agas: ita enim eius opera et erga te affectio requirit; quoniam non sollicitus tantum, sed persaepe molestus visus est in huiusmodi negotii prosecutione.

Quae ad te scribo, communices oro cum domino Nicolao Laelioque ac reliquis fratribus mihi amicissimis, meque in eorum arbitrio futurum pollicearis, quantum facultatis erit. Diligo enim ipsos non communi usu sed praecipua affectione, quoniam et me ab eis amari semper cognovi, ad quos non scribo propter frequentes occupationes. Quod tu ceterique veteres socii movemini quandoque desiderio mei, id accidit tua ceterorumque humanitate et non vulgari in me benivolentia. Sed ego quoque saepius ad curiam meas cogitationes solebam flectere, cum nostrae consuetudinis et varii inter nos sermonis veniret in mentem, ut aliquando optarem dari mihi non tempus solum sed alas quo citius curiam viderem, in qua consenui cum honore et dignitate. Nunc autem cum cernam profanatum dignissimum officium (1), ita vulgatum omnibus, ita ut meretricem publice pro-

(1) Loquitur de officio secretarii apostolici, quod nonnulli inimici eius impetraverant. Confer epistolas ad Petrum de Noxeto.

stitutum, adeo ut nil indignius, nil turpius, nil abiectius, nil contemptius videatur, abiicio omnem videndae curiae voluntatem. Nolo plura de hoc scribere, ne reprehendam tempora, quibus parendum est; et quicquid fors ferat, aequo animo ferendum. Socios veteres saluta verbis meis, quibus credo satis otii superesse tum ad studia humanitatis, tum vero patientiae qua multis opus esse scio. Tuis autem fratribus optimis atque praeclarissimis me commenda. Vale, et me ut soles ama. Florentiae, die ·VIII· octobris.

XLVI. BERTO CANCELLARIO SENENSI V. C.

C. I. 39. Carissime frater. Vellem alia ex causa initium mearum ad te litterarum profectum, aliamque ad te scribendi datam esse facultatem, quam calamitatem et miseriam hominis indigni hac tanta fortunae iniquitate; qui cum agrum meum coleret, mihique esset carissimus, nuper direpta, incensa, eversa patria, amissis rebus omnibus cum uxore afflicta, miserrimis liberis in potestatem hostium venit, et Senis cum adolescente filio in durissimis vinculis detinetur · alter quinque annos natus nescitur aliqua ne clade consumptus an vivus sit. Quid ad hanc flebilem conditionem addi acerbitatis potest? Utinam haec mala in auctores redirent! Sed miseri atque inopes rustici aliorum poenas luunt. Impedior non solum dolore, sed lacrymis ne sim in scribendo longior, referens mentem ad eorum, pro quibus intercedo, iniquam vicem. Versatur enim ante oculos confecti maerore parentis ingens dolor, afflictae uxoris deformis squalor, maestus luctus filii infelicis, quibus nihil praeter turpem et odiosam vitam reliqui superest. Parenti ·X·, filio ·XL· florenorum redemptionem adscripsere, gravem et supra vires eorum, quorum calamitati nullam nisi spirandi flendique ac plangendi facultatem crudelitas militum reliquit. Et nisi aliquorum misericordia eis opituletur, in carcere et compedibus misere pereant licebit. Hos tibi maiorem in modum commendo tamquam ipsum me. Si quid mihi pro coniunctione communium studiorum, quae plurimum valere consuevit, si quid mihi pro tua humanitate gratum aut acceptum cupis facere, rogo obtestorque ut in his liberandis elabores, agasque ut quam minimo redimantur. Si quid meae preces apud te valent, si quid te pietas movet, etiam atque etiam rogo, ut horum miserrimorum curam suscipias; efficiasque ut bonis omnibus eversi, summa inopia ac mendicitate oppressi, tua ope atque opera extremam sortem evadant,

ne in vinculis viles animas exhalent. Id facile consequentur si egeris ut parvo redimantur et id parum quicquid futurum sit, a me proficiscatur oportet. Assume ad hanc rem tecum, si opus fuerit, dominum Petrum, quem confido tibi adfuturum cum me diligat. A te peto ut mihi respondeas quid agere hac in re possis, vel potius quid egeris; scio enim te posse, velle non diffido. Sed festinatione opus est, ne illi trahendo tempus male crucientur. Vale. Romae, die XXIIII maii.

XLVII. BERTO CANCELLARIO SENENSI V. C.

Licet doctrina et scientia praediti sua sponte commendati esse C. f. 106
debeant apud doctos et praestantes ingenio viros, propterea quod ipsa studia litterarum summa homines inter se benivolentia coniungunt, tamen pro viro doctissimo, mihique in primis amicissimo intercedere decrevi, ut id ad quod tua humanitas te invitat, cumulatius fiat mea intercessione. Benedictus de Aretio iurisconsultus peritissimus (1) adeo est in eo genere facultatis, ut meo iudicio priscis illis viris doctissimis sit procul dubio comparandus. Sed quoniam saepius accidit, ut ubique magis quam in sua patria virtus hominum sit acceptior atque illustrior, cupit hic, quod solent praeclara ingenia, versari in aliquo tamquam celebri theatro in quo possit suorum laborum fructus consequi, quos non in quaestu et lucro, sed in gloria et laude sitos putat. Id se assequi facillime existimat, si in iis ut aiunt studiis se exerceat quorum est egregium apud Italos nomen, inter quae cum vestrum obtineat praecipuam famam, vellet apud vos fungi legendi ac docendi munere in ea scientia, quam profitetur. Idcirco te oro atque obsecro per amicitiam nostram ut des operam neque eam vulgarem, sed quam tuus in me amor requirit, ut Benedictus futuro anno eligatur ad eam iuris lectionem, quam eius virtus meretur. Non praescribam tibi quo modo, qua via, quibus rationibus id sit agendum, nam sus Minervam; sed peto a te ne desis spei nostrae et iam conceptae de tua prudentia opinioni.

Scio te facile assecuturum quod cupimus, si animum intenderis. Primum res honesta est, quae spectat ad honorem civitatis et utilitatem communem: tum Benedictus ea est fama ac virtute, ut merito impetrare debeat quod cupimus. Magnum est pleno, ut aiunt, ore posse loqui de iis qui scientia et virtute

(1) Benedicti huius aretini vitam habes apud Vespasianum. Idem postea successit Poggio in munere cancellarii reip. florentinae.

antecellunt. Est insuper summa praeditus humanitate, ut mirum in modum alliciat homines ad se diligendum. Neque est quod aetatem requiras, non enim de annis agitur sed de iuris doctrina. Si ad gubernacula reip. vestrae adhibendus esset, in qua multa agenda et providenda sunt, in quibus continetur civitatis salus, forsan aetatem maturam et multis annis gravem requirendam putarem, ut esset in eo summa prudentia plurimo rerum usui coniuncta. Sed cum tractetur de iure civili et legibus publice docendis, non aetas in eo sed scientia et virtus animi investigari debent. Ad quam rem cum hic noster sit aptissimus, nihil opus est annorum accumulatione. Multos senes deliros, indoctos, stultos, vidimus; iuvenes e contra maturos, compositos, et annorum paucitatem virtutibus superantes. Quamquam ea est tamen aetate, ut multos episcopos aut Cardinales inferioribus annis fieri videamus. Itaque facessat aetatis causatio, siqua est, qua qui utuntur, ipsi parum prudentiae prae se ferunt. Confice igitur, si fieri potest, quod cupimus. Poterit autem, si solitam diligentiam adhibebis. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale, et me ama. Florentiae.

XLVIII. INSIGNI VIRO FRANCISCO ARETINO IURISCONSULTO.

C. f. 164. b. Non respondi, mi Francisce, prius tuis litteris, quibus significabas te Xenophontem recepisse, propterea quod persaepe stomachor ex continua scribendi occupatione. Sive enim publicis in rebus verser sive in privatis, id omne negotium ferme in scribendo consumitur: quae res summam affert persaepe molestiam, praesertim seni, qualem me esse fateri iam aetas iubet. Itaque tardiusculus in respondendo privatis epistolis evasi. Et ut negligentiam meam cognoscas, saepius statui significare tibi hanc meam traductionem et curam adhibitam, ut a magistro Thomasio tibi redderetur; sed tamen nunc oblivio, nunc occupationes, quae oblivionem augent, scribendi memoriam et tempus eripuerunt. Nunc paulum expergefactus sum litteris viri doctissimi praestantissimique Guarini nostri, qui te veluti bucinatorem mei nominis et interpretationis scribit, et ipse multa insuper addit in meam commendationem. Testatur sane opus id sibi admodum placere, comprobatque sua sententia, quam ego gravissimam judico, et tanti facio, ut videar neque operam neque impensam ut dicitur me perdidisse. Opus certe luculentum est, si modo assecutus sum ut absque nausea legi possit.

Certe servata rerum gravitate effugi verbositatem, qua Graeci ut plurimum referti sunt, et quoad potui haesi orationi nostrae, non ut interpres verborum, sed veluti historiae scriptor. Difficilis profecto labor, mihi praesertim, qui parum eloquentia, minus ingenio possum, et multis occupationibus molestiisque impedior, ne virtus laudetur et algeat.

Ego, mi Francisce, plurimum gaudeo non displicere tibi laborem scribendi a me susceptum, et si vita suppetet, conabor prodesse litterarum studiosis in eo quod facultas dabit. Coepi transferre aliud opus; quod si perfecero, confido te illud comprobaturum. Ammianum Marcellinum ego latinis musis restitui, cum illum eruissem ex bibliothecis ne dicam ergastulis Germanorum (1). Cardinalis de Columna habet eum codicem (2), quem portavi, litteris antiquis, sed ita mendosum ut nil corruptius esse possit. Nicolaus Nicolus illum manu sua transcripsit in chartis papyri. Is est in bibliotheca Cosmi: potes agere cum Carolo aretino ut vel transcribi faciat tuo nomine, vel codicem mittat: nam nisi a docto scribatur, non historia sed somnium videretur. Vale, mi Francisce, et me ama. Romae.

XLIX. a. (3) FRANCISCO BARBARO EQUESTRIS ORDINIS VIRO PRIMARIO.

Si tecum silui diutius quam ius nostrae amicitiae postulabat, C. f. 110.
id quidem Hermolao nostro tribuendum est. Nam cum iam dudum libellum de nobilitate edidissem, eumque cuperem ad te quam primum perferri, ut de eo sciscitarer sententiam tuam, tradidi exscribendum Hermolao, et simul dixi, me ad te litteras velle scribere, ut una cum libello tibi traderentur. At is ita negligens in scribendi cura fuit, ita tardus in mittendo, ut iam non solum tui, sed mei quoque oblitus essem. Sollicitavi eum quandoque, sed nolui esse molestus, ne viderer res meas pluris facere quam sint extimandae. Pridem vero cum vir doctissimus, tuique amantissimus Petrus episcopus brixiensis (4) ad vos veni-

(1) Rem dixerat epistolographus quidam, immo et ipse Poggius in laudatione funebri Nicolai Nicolii apud Bandin. Bibl. laurent. lat. T. II. p. 433. Nunc id Poggius confirmat.

(2) Vix dubito quin hic sit antiquissimus nunc vaticanus, olim fuldensis, ut ego ipse in eius margine legi.

(3) Hanc et sequentes quatuor epistolas substituo uni prolixae ad Andream Alamannum, postquam editam agnovi. Idcirco nota numeralis ·XLIX· sub se quinque comprehendere epistolas debuit.

(4) Confer epist. XXXIII. et LXXII.

ret, libellus ei datus est ut tibi redderetur. Scripsi quoque laudationem Laurentii de Medicis viri optimi mihique amicissimi, dum vixit: eam quoque ut legeres cupiebam, sed eam Hermolaus domi retinuit, oblivione ut videtur atque incuria. Spero fore, si eam legeris, ut placeat tibi: nam non fictas sed veras laudes collegi, addens ornatum verborum non fucatum, sed qui ex eius virtutibus prodire videatur. Postules eam volo; et aliis legendam trade, ut eius viri quocum tibi summa necessitudo fuit, quique summa fide et humanitate amicos semper coluit, virtus non delitescat. Ego quod potui officium mortuo praestiti: tui est, hominis famam hac mea laudatiuncula explicatam, notam reliquis facere, ut illi honor debitus tribuatur, et tu ex pietate laudem consequaris. Vale, et si litterae informes sunt, annis tribuito: nam ut sapientissime ait poëta noster, omnia fert aetas. Florentiae kal. iuniis.

b. LUDOVICO PETRONIO EQUITI SENENSI.

C. f. 188. Ago tibi gratias quas possum, pro tuis humanissimis ac suavissimis litteris, quas legi summa cum voluptate. Amicitiam tuam caram habeo, ut hominis iam dudum mihi cogniti et mutua benivolentia coniuncti. Ego semper unice dilexi viros doctos, et eloquentia excellentes, et praesertim ubi video doctrinae virtutem esse coniunctam; quae cum in te eluceant, te semper toto animo sum complexus. Quod mihi gratularis de officio assumpto, facis amice; quod cum mihi iucundum sit, ut qui iam laboribus itinerum sim positurus finem, tamen iucundior est liberalitas et benivolentia civium, qui me sua sponte, nulla mea intercessione, elegerunt. Ut, sicut Cicero inquit, si minima maximis licet componere, videar humeris reip. in patriam reportatus: nam summo favore, summo omnium plausu sum exceptus. Hoc ob eam rem scribo, ut aliquid addam gratulationi. Ego tuus sum, et cupio aliquid tuo commodo accidere, quo meum in te animum perspicere queas: vincam ipso opere et existimationem tuam. Vale. Florentiae, die ·XV· iunii.

c. LUDOVICO PETRONIO EQUESTRIS ORDINIS V. CL.

C. f. 222. b. Recte facis, vir clarissime, cum laetaris ex hac nostra pace, quam divina pietas errorum nostrorum miserta concessit nobis. Suaviorem certe reddunt eam bellorum discrimina, quae incertus sum magis ne generi hominum noceant, quam prosit amoenitas pacis; quamvis ea tanta sit, ut Silius Italicus scri-

bat: *pax optima rerum, quas homini natura dedit;* quam deserere bellorum cupiditate stultissimum esse videtur. Etiamsi cetera mala cessarent, hoc unum belli tempus affert, quod eos quodammodo disiungit quos et morum et studiorum similitudo coniunxit: silentium enim praestat inter amicos, et litterarum consuetudinem aufert, quibus inter absentes maxime amicitia continetur. Itaque nobis quam ceteris pax gratior esse debet, qui maiorem quam vulgus ex ea percipimus voluptatem. Nam quae maior voluptas esse potest, quam colere omni officio amicitiam, quae efficit nostra omnia inter nos esse communia? Deo igitur gratias agere debemus, qui dissidentium corda ad mutuam concordiam et benivolentiam reduxit. Tu da operam, quantum potes, ut magis utilitati vestrae quam aliorum libidini, consulatis. Nulla maior miseria esse potest, quam subditum esse superbiae atque avaritiae militari, a quibus magis Dei misericordia nos quam humana prudentia liberavit. Vale. Florentiae.

d. CAROLO BORNIOLO.

Recepi abs te litteras mihi quidem gratissimas, quibus mecum agis, ut transcribi faciam residuum epistolarum mearum, quas dicis tuo volumini deesse. Ego, mi Carole, tum in omni re, tum in hac praesertim quae meae laudi (siquam ex scriptis meis colligo) est coniuncta, libentissime satis facerem desiderio tuo, si librarios reperirem; sed eorum tanta est apud nos inopia, ut et quaedam quae noviter edidi contineam, cum desint qui transcribant. Verum si quis se offeret, utar opera eius ut satis fiat tibi. Non autem incipietur scriptio ab ea quae sequitur epistolam Angelotti, sed a principio libri, quem aliter partitus sum quam antea erat. Ego sive impudentia, sive quorumdam in me amore, qui eas epistolas pluris faciunt quam mereantur confisus, illas in volumen coëgi quod decem libros continet. Detraxi autem omnia quae praeter epistolas in priori volumine inserta erant; hoc vero ex solis epistolis constat. Coepi quoque secundum epistolarum volumen, cuius libri tres iam sunt confecti, et nescio an id consummabitur; sum etenim factus tardior in scribendo, tum culpa aetatis quae scribendi laborem refugit, tum vero negotiis quae plurimam scribendi operam requirunt, ut iam id exercitium sit mihi admodum odiosum: manus praeterea non satis firma est. Itaque etiam tecum brevior ero quam fuerit moris mei. Si vero quid est praeterea in mea supellectili quod velis, id petito a me tamquam ab ho-

C. f. 163. b

mine tibi amicissimo: ego tuae voluntati quae honestissima est obsequar, efficiamque ne me frustra postulasse aliquid videaris. Diligo enim ingenium tuum et humanitatem suavissimis moribus coniunctam: nam dicendi copia ita excellis, ut cuiuslibet eloquentissimi iudicio cum doctis in ea facultate viris sis computandus. Vale, et me ut facis ama. Romae, die III. februarii.

e. HIERONYMO (1) GUARINO V. CL.

C. f. 200. b. Recepi a te duas epistolas, priorem pluribus verbis, alteram paucis versiculis, scriptas. Commemoratio meae erga te pristinae benivolentiae, tuaeque erga me observantiae, est mihi gratissima: quippe qui te semper ut filium dilexerim propter imitationem paternae virtutis, quam semper in te conspexi. Ego, ut olim veterani milites solebant, emeritis stipendiis et exacta iam aetate, me in patriam recepi, in qua et ocio fruor et animi quiete. Sum praeterea in ea dignitate, qua nullam hic ampliorem vir a studiis humanitatis minime alienus posset consequi. Itaque et laborum et peregrinationis finem feci, vacans maiori ex parte quieti et memoriae futurae vitae. Quod autem a me petis, ut certum numerum epistolarum ex omnibus meis excerpi atque exscribi faciam, esset mihi nunc difficile perquirere, quae elegantior, quae minus inepta videretur. Orationes vero funebres sex tantum edidi, quarum quae sit melior, non est mei iudicii sed aliorum qui acrioris sunt ingenii ad iudicandum. Quare si omnes cupis habere, dabo operam ut non magno pretio transcribantur. Si propinquior esses, mitterem ad te codicem epistolarum, ut excerperes quas velles; sed cum longe absis, non est committendum, ut possint incidere in latrones. Feci exscribi unum volumen in decem libros distinctum, misique ad Albertum Parisium cancellarium bononiensem: eius impensa ad quatuor florenos nostrates ascendit. Si tu idem fieri a me velis, scribe, et obsequar voluntati tuae. Vel si tibi cum Alberto aliqua necessitudo est, roga illum ut libros ad te mittat: quid a me fieri cupias, me facias certiorem. Florentiae.

VALTURIO

L. ROBERTO VULTURNO ARIMINENSI.

C. f. 220. Scio Sigismundum (2) nostrum cupidum esse laudis et gloriae, prout solent appetere ingenia praeclara, quale semper ipsius esse cognovi. Percepi ex verbis eius et aliorum qui eidem

(1) Erat hic Guarini senioris filius.
(2) Intellige principem Malatestam.

adsunt, desiderare aliquid a me scribi in eius commendationem. Huius honestae cupiditatis memor, quemdam dialogum de miseria conditionis humanae a me duobus libris explicatum ad eum inscribere institui, si modo ei digna res videbitur, quae edatur nomine suo. Ideo mitto ad te quemdam contribulem meum mihi fidum, qui libellum ad te ferat, quem oro confestim legas, et diligenter notes singula: et si tibi videbitur res quae sit futura grata Principi, addas titulum exordio libri quem praesentibus interclusi. Certe existimo, etsi non reliqua, at saltem prohoemium te probaturum. Si vero minus opusculum placeret aut tibi aut illi, remitte per eundem, quem biduo expectare iussi et librum referre, ut alium eligam cui labor meus non sit molestus. Ante quam librum tradas, exquire diligenter animum eius; et si videbitur haesitare aut titubare accipere munus, aut sua virtute indignum iudicare, remitte oro librum. Sed mihi crede, nulla est firmior laus, quam quae mandatur posteritati scriptorum opera, qui soli reddidere homines immortales. Tempus forsan se dabit, in quo alia scribens, potero incidere in laudes eius, et illas uberiori stilo prosequi. Hoc ad praesens munusculum, tamquam degustationem mearum rerum, apud eum esse volo. Quod si placebit, erit ut gaudeam me operam susceptam non perdidisse: sin vero minus, aequo animo feram me tempus inani negotio consumpsisse. Vale, et rescribe, nam praecepi huic expectare litteras tuas.

LI. HENOCHO ASCULANO.

Dictum est mihi te dudum dixisse magnifico viro comiti Puppii (1) nescio quae contra eum a me esse conscripta, ipsumque ex hoc admodum conturbatum. Cupio scire abs te, an id verum sit: nam non facile adducor ut credam te adeo impudentem, ne dicam dementem fuisse, ut tam aperte sis mentitus in meam detractionem, praesertim cum nulla in re unquam a me vel parum laesus fueris, sed semper adiutus ac sublevatus. Neque autem tale ingenium est tuum, non talis doctrina, non talis dicendi facultas, ut tibi expediat contra me falsis maledictis insurgere, quem scis parem gratiam et aliquando cumulatam solere referre. Nescio an tibi gloriam aut benivolentiam quaeras per meam detractionem. Ideo aut te purga ita, ut mihi constet te procul esse a culpa, aut ego mihi prospiciam et honori meo, et te ita ex- C. f. 120. b.

(1) Ergo scripta fuit haec epistola ante Comitis e ditione sua expulsionem, quae accidit anno 1440. Confer autem p. 275.

agitabo ut pudeat, si quid in te pudoris est, tam aperte esse mentitum. Florentiae die VIII aprilis.

De Henocho rursus lib. XIV. ep. 22. cod. p. 176. b. ad Franciscum Coppinum V. C. Ego minimum fidei habendum duco: totiens enim sum huiusmodi ostentationibus et pollicitationibus (*inventorum codicum*) delusus, ut nesciam quid aut quatenus sit credendum. Est vetus historia, et usque a tempore Martini (*pontificis*) coepta, Nicolai cuiusdam gothi (1) asserentis decades Livii litteris longobardicis scriptas, nonnullis gothicis admixtis characteribus, esse in Dacia seu Norvegia, in quodam monasterio, quod dicitur Desora, ad quas perquirendas nonnulli meo rogatu profecti sunt; qui mihi postmodum retulerunt, nullos eiusmodi libros se in eo monasterio reperisse. Alii aliud nominant, ad quod quidam meo rogatu licet in cassum accesserunt. Novissime a summo Pontifice (*Nicolao*) missus est ad eos libros perscrutandos Henoch asculanus, qui adeo diligens fuit, ut nihil iam biennio invenerit dignum etiam indocti hominis lectione (2). Nescio igitur quantum huic novo inventori credendum sit. Tu tamen pro tua prudentia hominem convenies ac scrutaberis diligentius quanam in provincia libri sint, si audivit, si vidit, si legit, quot sint volumina, et utrum transcribi an pretio afferri possint. Si videbitur aliquid certi afferre, ut nonnihil sperandum sit, dabitur opera ut libri in lucem e carcere eruantur. Hoc ei meo nomine promittas, etiam sub nummulariorum fide, pro qualibet decade quam ad me primum detulerit, centum aureos daturum. Vereor ne hic homo aliquas pecunias expiscari velit, quibus ad patriam se conferat, numquam postea rediturus (3). Ideo perquire ab homine quam potes diligentius quid sperandum sit, et an videatur verba ad fallendum fundere, an serio et consulto loqui, et ad me eius responsum perscribas: neque enim rem omnino negligere oportet, neque nimium credere.

(1) Hanc Nicolai gothi futilem narrationem de Livii decadibus decem a se visis et lectis in monasterio quodam in Dacia, refert Poggius etiam in epistola trigesima inter editas Parisiis. Item Poggius in epistola vigesima lib. IV. apud cl. Tonellum, curam perquirendi Livii Cardinali sancti Angeli committit.

(2) Hinc fortasse sumpsit quae de Henochi imperitia dixit Vespasianus in eius vita.

(3) Idcirco Henochi epistola quaedam contra sibi maledicentes extat in codice regio vat. 1612.

LII. PHILIPPO SUO (1).

Recepi duas eodem tempore a te epistolas, mi Philippe, summa cum humanitate et benivolentia erga me scriptas. Mitto quod ea dicendi facilitate, eo ornatu tum sententiarum tum verborum constant, ut sint eloquentissimis comparandae: mihi quidem ita placuit scribendi suavitas et copia, ut nil elegantius scribi posse videatur. Itaque scito, multis ex causis, tuas litteras fuisse mihi carissimas, gratiasque hac una in re habere balneis cum ad reliqua nihil; quod nos ea consuetudine devinxerunt, quae facile in amicitiam possit evadere. Est enim, ut nosti, morum studiorumque similitudo bonorum, maximum vinculum amicitiae comparandae. Verum haec tibi notiora quam mihi esse certo scio. Te nomine meo visitasse salutasseque praestantissimos viros Augustinum Villam, Guarinum veronensem, Franciscum Marescalcum, gratissimum est mihi, officiumque in ea re tuum valde commendo: est enim Guarinus iam solus ex prisco illo nostro antiquo litterarum consortio, quem diligam propter eius virtutes et summam in me caritatem: itaque in nomine eius et memoria requiesco, mecum ipse cogitans quam pauci ex illa antiqua schola supersint, quae tot egregios viros produxit. C. f. 169.

De aliquo ex meis liberis ad eum in gymnasium litterarum mittendo, per Hieronymum filium suum mecum egit. Ago ei gratias pro hac tanta humanitate, sed pueri apud me domi, et a me ipso maiori ex parte erudiuntur quoad latine sciant: postmodum alteri exercitio tradentur, excepto quem Deo dedicavi (2) quem litterarum studia prosequi volo. Nam de libris investigandis egi quod potui; sed vereor ne opera et impensa perierit. Ille enim Henoch adeo sollers et diligens fuit, ut ne verbum quidem ad me adhuc scripserit, vivus ne sit an apud inferos situs. Itaque parum spero illum aliquid boni facturum, nisi ei magis fortuna faverit, quam prudentia et industria perquirendi. Franciscum Marescalcum scio esse amantissimum mei, idque iam dudum cognovi cum coram colloqueremur. Vir bonus est et admodum doctus, sed ut plurimum fortuna viris est invida for-

(1) Puto ad eundem Philippum, ad quem alia extat epistola in editione basileensi p. 317.

(2) Ergo vitae ecclesiasticae destinabatur is Poggii filius, de quo loquuntur ipsius ad Guarinum litterae. Sed enim non hic tantummodo, sed alii tres Poggii liberi genus idem vitae amplexi sunt, ut vides in genealogica tabula quam Recanatus praeposuit vitae Poggii apud Murator. S. R. I. F. XX p. 164.

tibus. Ut nostro Hieronymo praestantissimo praeclarissimoque viro (1) satis facias, mittam tibi per primum qui commode ferre possit dialogum, de quo tecum fueram locutus: sed vereor ut is respondeat, expectationi tuae: nostra suppellex tenuis est, neque res a me copiose pro earum gravitate disputatae. Itaque opus est ei favore tuo et acclamatione quadam, ut in vulgus approbetur. Rogo te, meis verbis illum virum quem summe diligo salutes, et me eius virtutibus deditum confirmes.

Respondi primae epistolae, venio ad secundam. Confabulationibus quotidie aliquid additur. Scribas ad me velim quae sit earum ultima earum quae apud vos habentur: ego curabo ut quae vestris desunt, scribantur, et ad vos mittantur. Epitaphia quae petis, sunt in patria cum reliquis meis libris; sed ea parum quid sunt: unicus parvus est quinternio, quem inter pulverem repertum, in manicam conieci cum libros quaererem apud Alamannos. Multa quae habebam ex variis locis in volumen coniecta, concedendo aliis perdidi. Vale, et me ut coepisti ames velim. Romae ·XXII· ianuarii.

LIII. CANDIDO DECEMBRIO.

C. f. 96. Cum ex Ferraria cum omni familia in patriam, hoc est ad natale solum, revertissem, misit ad me vir clarissimus Cosmus de Medicis praestantissimi ac optimi principis Ducis Mediolani litteras allatas ex curia romana, quae multis ex causis maxima voluptate me affecerunt. A te autem summa cum elegantia ita prudenter et graviter scribitur, ut a Candidi officina ipso dicendi ornatu et dignitate emanasse epistola videatur. Verum ut fit redeuntibus longo postliminio domum, ita multa mihi incubuerunt (multa enim audienda, plura videnda, nonnulla agenda erant), rusticationi insuper, et rei familiari constituendae in primis vacandum fuit, ut nulla fuerit respondendi facultas. Coepi etiam aedificatiunculam quamdam pro diversorio studiorum meorum, in qua libri mei absente me quiescant: appellarem bibliothecam, si librorum paucitas mereretur. Cum tamen inter occupatiunculas meas e vestigio respondissem ad litteras, rescribendi postmodum laborem fugiens, nam coepit propter aetatem ingravescere calamus, distuli epistolam diutius quam aequum erat. Tandem exaravi epistolam, cum paulum a negotiis quievissem, et eam mitto ad episcopum cumanum (2), qui de-

(1) Erat hic Guarini filius.
(2) Recole p. 284.

ferendam ac tradendam curet. Ego pestem fugi ad penates meos, ubi me oblecto cum meis libellis: querebantur enim paulum me tamdiu ab illis abfuisse: itaque in eorum consuetudinem rediens do eis paulisper operam vacuus curis. Vale, et mihi rescribe quid tibi de epistola videatur, et an Principi sit accepta: scripsi enim quae eius dignitati et communi utilitati apta esse videbantur. In Terra nova, die XVII septembris.

LIV. POGGIUS PL. SAL. DICIT ALPHONSO SUO.

Vir clarissimus Velascus (1) tuus, vel noster potius, retulit dudum mihi reperisse in monasterio Alcobassi (2) A. Gellium noctium atticarum integrum (3) neque lacerum, ut noster est. Gavisus sum tum propter communem utilitatem doctorum virorum, tum propter honorem tuum. Non enim parum gloriae accedet tuo nomini ex hoc tam uberrimo lucro, quod multo pluris quam auri thesaurus extimandum est. Est quidem immortalis sola gloria litterarum, quae ceteris rebus praestat ne sint mortales. Equidem me profiteor fore bucinatorem tui nominis, si tua opera hic egregius auctor, quem negligentia hominum laceravit et paene discerpsit, sanus atque integer restituetur nobis. Da te igitur huic operi potissime, ut liber transcribatur, vel pingatur potius ad alterius similitudinem, et id cura ne quid desit litterarum graecarum (4). Tum autem incumbe et id effice, ut liber quam primum ad nos mittatur, et eo modo ut salvus adveniat. Praeterea te rogo maiorem in modum, ut rursus pervestiges diligenter, qui libri sint gentiles in eo monasterio, in quo plurimi esse dicuntur (5). Praecipue vero Ciceronis nostri librorum curam habe, an ibi essent libri academici, de consolatione, de gloria, de legibus qui est omnibus membris intercisus. De Livio insuper et ceteris historicis perquire. Plura insuper volumina epistolarum Ciceronis, et orationes quoque multae desunt. Fac, te oro., inventarium librorum omnium qui gentiles appellantur, et ad nos C. f. 108. b.

(1) Est hic Valascus lusitanus, cuius vitam habes apud Vespasianum. Huic fuit primum amicus Poggius, postea inimicus, ut ostendunt duae Poggii ad Valascum epistolae in editione parisiaca.

(2) Haec quoque fabula fuit, etenim in diligenti de bibliotheca alcobacensi commentario, quem ill. ac rev. eborensis Archiepiscopus nostra aetate edidit, nihil huiusmodi apparet vel memoratur.

(3) Idest sine lacuna libri octavi, qui in editionibus adhuc desideratur.

(4) Iusta admonitio; nam in palimpsesto etiam vat. palatino, de quo ego alibi locutus sum, Gellii verba graeca a latino amanuensi praetermissa fuerunt, relicto vacuo spatio.

(5) Vanam hanc pariter fuisse famam, ostendit praedictus commentarius.

mitte: non enim dubito quin aliquid lucremur ex hac tua industria, si solitam diligentiam adhibueris. Hoc nihil praeclarius, nihil laudabilius, nihil tibi honorificentius potes agere. Quod ut facias, te docti omnes et litterarum studiosi summopere deprecantur. Vale, et ne obliviscare antiquae consuetudinis nostrae. Florentiae, die ·XX· septembris 1441.

LV. PETRO DE NOXETO SUMMI PONTIFICIS SECRETARIO.

C. f. 175. b. Mi Petre. Impensa qua premimur in hoc praesenti bello, et calamitas civitatis constantinopolitanae (1) quae vereor ne ad plures descendat quam opinemur, abstulerunt iocandi facultatem. Non enim possum in communi maestitia non et ipse maestus esse. Confugio tamen ad studia nostra, et cum mortuis loquor. Video praeterita tempora et suas non parvas molestias pertulisse: video semper multos adverso fortunae flatu naufragium perpessos: video terrarum orbem semper variis tempestatum fluctibus agitatum. Vereor ne Vandalorum aut Gothorum tempora redeant: quibus nisi communi consilio atque auxilio quam primum obvietur, et Italia omnis et reliquae Christianorum provinciae dubitandum est ne veniant in rerum omnium discrimen. Octoginta miliaribus prope Italiam Teucrorum potentia versatur; cui quantum periculum immineat, facile est perspicere etiam stultis. Multa essent dicenda, si pericula nobis a Teucris imminentia vellem recensere. Id dicam, Teucros si victoriam prosequentur, brevi Italia potituros (2): nam et propinqui sunt, et ad bellum prompti, et nos invenient intestinis bellis dilaceratos. Sumendus tamen est animus, et vires praeparandae ad communem defensionem, et tantum incendium restinguendum. Ad hoc incita et hortare summum Pontificem unicum fidei caput. Nam omnes in eum respiciunt: et sicut alias ad te amice scripsi, hortare ut cesset ab impensa aedificandi (3), quam ut tecum vera loquar omnes non culpant hoc tempore sed detestantur. Non tamen hoc ei dicas; nolo incurrere indignationem eius. Quamvis mihi gratias deberet, qui ea ad te scribam quibus et culpam et infamiam fugere possit, et laudem consequi. Sed haec hactenus.

Litteras meas et Pontifici nostro et tibi placuisse, magnae mihi est voluptati. Si mitior aura affluxerit, scribam ad te sae-

(1) Intellige captam a Turcis Constantinopolim anno ·M·CCCC·LIII·

(2) Reapse anno ·M·CCCC·LXXX· Hydruntum expugnarunt. Lege etiam Galatei epistolam quintam apud nos Spicil. T. VIII. p. 536.

(3) De Nicolai V. studio singulari aedificandi loquuntur Vespasianus et Manettus in eius vita.

pius, et more meo iocabor. Sed hoc est molestum, quod neque ego facile possum mea manu scribere, neque librarium habeo in quo de rebus privatis confidam. Quod registra mea (1) requiris scio moris esse, ut mortuorum tantum registra ad cameram deferantur, vivorum non item, sed in absentia relinquuntur alicui ex praesentibus. Vidi ego Antonium Luscum, Leonardum aretinum, Michaëlem pisanum (2), multosque praeterea cum abessent aliquamdiu a curia, semper sua scripta sociis reliquisse. Ego ita sum absens, ut non eripuerim mihi facultatem redeundi, si id tempus feret, aut voluntas. Dixit mihi ter Dominus noster ante meum recessum, me non annum horum molestias atque ineptias passurum. Horum verborum memor, domum reliqui Renucio nostro, et registra mea ut essent in promptu volentibus. Si tamen cupitis, illa sumite pro voluntate. Sed videtur mihi honestum esse servare antiquos mores et priorum consuetudinem. Sed isti vestri de camera et plus possunt quam soleant, et plus appetunt quam ratio praescribat. Scio vos, hoc est et Pontificem et te, maioribus curis detineri quam ut de meis registris sit hoc tempore cogitandum. Verumtamen fiat voluntas vestra. Emi epistolas Hieronymi quadraginta et uno aureis novis, quorum unum voluit chartularius. Videntur mihi bene hoc pretium et amplius ferre; in curia vero multo plus etiam venirent Si tibi liber placebit, gaudeo me aliqua ex parte satis fecisse tuae voluntati; sin vero minus, ego pretium restituam. Biblia emi ·XXV· aureis, prout alias ad te scripsi, neque eius voluminis magnitudo me terret: manebunt mecum, si ea noles, nam litteris sunt pulcherrimis. Legati expectantur magno cum desiderio; quamquam nihil est opus nos ad eum cursum hortari, ad quem sumus nostra sponte incitati: sed aliorum superbia et elatio, alterius ambitio frenis eget

LVI. PETRO DE NOXETO (3).

Multae ac variae rei familiaris componendae occupationes, C. f. 181
amantissime Petre, me diutius impeditum tenuerunt quominus scriberem aut sanctissimo domino nostro summo Pontifici prout cupiebam, aut benivolentiae tuae. Nunc a continuis curis sar-

(1) Ea fortasse intelligit, quae nunc partim saltem sunt in codice vaticano, ut non semel dixi in adnotationibus ad Vespasianum.

(2) Ergo hic Michaël pisanus videtur addendus secretariis apostolicis apud Bonamicum

(3) Petri de Noxeto seu Noceto mentionem habes in vita Nicolai V. apud Vespasianum p. 13.

ciendae domus paulum liber, redibo ad pristinam consuetudinem meam scribendi, ne videar nostrae oblitus amicitiae. Ego cum venissem Florentiam, receptus sum tanta civium omnium erga me benivolentiae significatione, ut mihi multos dies omnium ordinum homines etiam gratias egerint, qui hoc munus officii susceperim, ut haec omnium voluntas mihi gratior multo fuerit quam dignitas officii, quod plures extimabant me recusaturum. Sed saepius animum reflecto ad suavitatem iucunditatemque curiae, et ad Domini nostri summam in me benignitatem. Venit in mentem tuae ceterorumque amicorum suavissimae consuetudinis, in qua requiesco ut plurimum, cum mihi adhuc videar esse in patria tamquam hospes. Sed in diem usus haec mitigabit. Unum est in quo consoler, quod isti domini mihi summam libertatem concedunt assumendi et declinandi laboris prout libuerit mihi. Te precor ut roges Dominum nostrum, ut conservet memoriam Poggii sui, neque obliviscatur suae pristinae erga me caritatis: nam multum mihi proderit ad conservandam penes istos meam siqua est auctoritatem. Tu quoque nostram amicitiam fove cogitatione mutuae inter nos benivolentiae. Memor mandatorum tuorum circa libros emendos, inveni volumen epistolarum beati Hieronymi, in quo multa continentur. Liber est pulcherrimus, litteris grandioribus. Epistolarum et rerum, quae in eo continentur, mitto tibi inventarium, ut aiunt, ut communices cum Domino nostro talium expertissimo. Pretium est quadraginta quinque aureorum novorum (1). Scio multa huiusmodi epistolarum volumina, in quibus pauciora scripta sunt, maiori pretio venisse. Consulo illud emas, nam raro venalia reperiuntur. Sunt insuper biblia maioris voluminis inscripta litteris antiquissimis ac pulcherrimis, prout sunt sermones priscorum doctorum, sed desunt psalmi. Pretium est ·XL· aureorum. Si essem dives, esset inter libros meos. Tu tamen delibera quid velis, et satis faciam voluntati tuae. Vale, mei memor. Saluta commatrem verbis meis, dominum episcopum perusinum, omnesque cubicularios.

LVII. PETRO DE NOXETO.

C. f. 181 b. Scis, mi Petre, boni viri officium esse magis conservandae dignitatis curam habere quam pecuniae cumulandae: altera enim res ne mortuis quidem eripi potest, altera persaepe aufertur a vivis. Enimvero bene se res habet, cum dignitas eum ornat ho-

(1) Ergo haec epistola praevertenda erat

minem, qui sua auctoritate dignitati est ornamento. Aliter, ut Cicero noster inquit, cum dignitas ad indignum defertur, non cohonestatur homo, sed dignitas inquinatur. Quorsum, inquis, hoc tam alte petitum prohoemium expectat (1)? ut tibi, si potero persuadeam, ut nostri officii dignitatem, cuius tu quidem caput es, et cuius tutela a te uno dependet, tibi pro communi honore tuendam et conservandam putes; omnique cura et diligentia nitaris ne adeo vulgetur, ut tamquam meretrix expositum communi libidini videatur.

Intellexi ex pluribus litteris, quae mihi ex curia redditae sunt, nonnullos esse a Domino nostro tamquam designatos secretarios, quorum in numero dicitur esse Laurentius Valla, et id opera importunissimi hominis Iohannis aretini (2), de cuius vita plura scriberem quam de Valla; materia est enim copiosior, nisi deterreret me reverentia sanctissimi Domini nostri, qui se forsan iure laesum putaret, si hominem adeo sibi domesticum a somno et tenebris excitarem. Sed quid, te oro, Pontificem movet, ad dandum adeo omnibus ne dicam spargendum officium nostrum? Numquid secretariorum inopia? numquid eorum quos habet inscitia? numquid pleno copia cornu? numquid curiae ornatus aut dignitas? num moles agendorum novos operarios in vineam uvis et pampino desertam requirit? Scio Dominum nostrum virum esse sapientem, sed nimis cedere aliquando petentium molestiae et importunitati (3). Insta igitur opportune et importune, hortare, obsecra Pontificem, ut rationem habeat primum honoris sui, tum officii, personarum, curiae, temporum, eorum qui illud postulant facultatis, utque integram communem hanc nostram dignitatem conservet.

Quid ad te forsan hoc, inquies, qui longe abes, numquam fortassis ad curiam rediturus? Honor primum officii me movet, quod haberi solitum est summa in dignitate atque auctoritate, quarum gaudeo me participem esse; tum hominum existimatio, apud quos plurimi ea dignitas reputatur, quae non consuevit conferri passim omni postulanti: praeterea ornamentum vitae, quod est minime repudiandum; tum ratio patrocinii quo id officium multis prodesse consuevit: quae mihi omnia, quoad vita

(1) Pro *spectat*, ut dixi ad Severianum p. 223.

(2) Retractavit maledicta haec sua Poggius in epistola ad eumdem quam nos ibi edidimus ubi de reconciliatione Poggii cum N. Perotto agitur.

(3) Item lib. XVIII. ep. 5. ms. hanc Nicolai PP. facilitatem reprehendit Poggius his verbis: *si Pontifex esset ex iis, quos iam memini, non omnia officia penitus deplorata et eversa essent.*

supererit, omni ope censeo esse tuenda; ne si quando animus esset curiam videndi, interclusam tamquam sentibus viam cernerem, mihique necessario voluntas, ne cum tali faece hominum versarer, redeundi praecideretur. Fecit iam Dominus noster novos secretarios Philelphum, et Guinifortem (1) pergamensem; quibus si plures adderentur, iam cohortem praetoriam vel derisoriam potius constitueremus, expositam multorum dicacitati. Quapropter obvia ambitioni et importunitati, ne dicam stultitiae, eorum, qui in tempestatibus quaestum sibi facere conantur. Loquare cum Pontifice diligentius ut soles, neque tibi contemnendam arbitreris eam dignitatem, in qua plures doctissimi viri et sapientissimi fuerunt.

Ego tamen, quicquid futurum sit, vacabo studiis nostris, et opus quod est in manibus perficiam, si facultas erit. Unum tamen iam librum absolvi, qui est de miseria conditionis humanae, in quo et secundo, quem e vestigio aggrediar, acuam calamum ad maledicendum multis, et ipsis etiam Pontificibus (2): quae res forsan erit mihi quaestus uberrimus. Nam postquam video Vallam, qui semper in obloquendo et detrahendo tum mortuis doctissimis ac sanctissimis viris, tum etiam vivis, aetatem, animum, vitam consumpsit, ex maledictis pecuniam et dignitatem esse consecutum; Philelphum quoque propter nescio quod satyrarum volumen in maledicendo consumptum, quingentis aureis a Pontifice donatum (3); et ego quoque illorum instar experiar, quid in eo scribendi genere possim, ea spe ut mihi etiam ex maledictis aliquod praemium detur. Si mihi spes successerit, gaudebo: sin vero minus, contentus ero scriptura mea, quae forsan alicui aliquando placebit. Haec scripsi paulum animo ex rerum indignitate commotior. Vale, et me Pontifici commenda, et quid factum futurumve sit, paucis ad me scribas oro. Laetor te expedivisse litteras meas, et tibi ex hoc opere gratias ago.

LVIII. PETRO DE NOXETO.

C. f. 157. b. Carissime frater. Non audeo scribere Domino nostro, quia ad tantum tamque doctum ecclesiae praesulem nonnisi gravia et seria polita exquisitaque deferenda sunt. Hic vero locus et tem-

(1) Addatur et hic catalogo secretariorum pontificiorum.

(2) Hoc indigne dicitur ab eo qui annis plus quadraginta curiae pontificalis beneficiis usus fuerat.

(3) Confirmatur eius doni notitia a Vespasiano in vita Nicolai p. 51. Non tamen ob satyras datam illam pecuniam ait.

poris ratio aliena est a gravitate et facultate dicendi. Ego quoque, ut senibus valitudinariis accidit, fastidiosior sum factus, adeo ut persaepe displiceam mihi ipsi, his praecipue caloribus quos quiete atque otio devito. Vaco aliquando libris meis immemor earum rerum, quas vulgo omnes appetunt non solum magno studio sed etiam ambitione importuna. Et sicut sapientes volunt nos oblectari maxime his rebus, quas ipsi fecimus, ita ego hac in domuncula quam mihi diversorium aedificavi, libenter moror omni vacuus praeter quam domesticae rei cura. Neque mihi hic vitae cursus displicet, cum audio vos veluti Scythas incertis sedibus vagari pestis suspicione. Dixit enim mihi Ianninus olim ex mea familia, qui ad me visitandum venit, varias Domini nostri mutationes, quae omnino sunt adversae et podalgiae et valitudini meae. Itaque quiescam in patria et amoena, et aëre salubri, quoad Deus finem dederit transmigrationibus nostris: quamquam si opus esset opera mea Pontifici, parerem mandatis eius; sed audio ipsum solitudinem appetere, quod est remedium tutissimum ad evitandam pestem. Praeterea audio pauca agenda imminere, quae ad nostrum officium spectare videantur; et siqua essent, Aurispa qui est vir doctissimus, te sublevare potest.

Unum te pro nostra amicitia rogo, ut me intimis verbis commendes sanctissimo Domino nostro, rogesque ut meminerit Poggii, si tempus accidat quo filio meo, prout alias libere et absque exceptione aliqua pollicitus fuit, providere queat; neque velit absentiam meam impedimento esse. Scio vetus esse proverbium, remotum ab oculis, ab amore et amicitia removeri: sed eius erga me benivolentia adeo vetus est, ut existimem radices habere altiores, quam quae parvo vento avelli queant. Sed in multitudine occupationum eius opus est aliquando monitore, cuius officium suscipias oro, si me amas, sique meis bene esse cupis. Praeterea dicas Domino nostro, me absolvisse Diodori traductionem (1): daboque operam ut hic ultimus liber per Dominicum sicut et ceteri transcribatur. Postea extremam manum operi imponam, quamquam difficillimum sit, cum nullum habeam quocum de studiis his nostris communicare queam. Nos hic solis

(1) Pudet nonnullorum erroris aut levitatis apud Fabricium B. G. in Diod. qui Poggio hanc Diodori interpretationem abiudicaverunt. Nam praeter testimonia in his epistolis, et praeter principem editionem lat. anni 1493, extat in bibliotheca vaticana eius operis codex ab ipso Poggio Nicolao PP. oblatus, ut dixi ad Vespasianum p. 61.

calores Iovis nectare mitigamus. Non enim ambrosia illa, quam poetae Iovis potum fuisse tradunt, ita suavis est, ut hic noster noster Bacchi liquor, qui et corpus recreat, et mentem levat, nulla in re nullo in loco difficilis. Cum hoc aliquando leve certamen inire, ita tamen ut superior evadas, haud videtur nostris tribulibus improbandum. Vale, mi Petre, mei memor. In bibliotheca mea Terrae novae, die XIII augusti MCCCCXLIX (1).

LIX. PETRO DE NOXETO.

C. f. 177. Si vales, bene est, ego quidem valeo. Iannotius Manettus, vir ordinis equestris, sanctissimi domini nostri Papae secretarius, accedit ad Urbem ut se exerceat vel in officio secretariatus, vel in obsequiis Domini nostri. Vir doctissimus est, summa modestia ac prudentia, et qui diligi mereatur. Non displicet mihi hunc esse socium nostrum, quoniam eius virtus, et auctoritas reddet dignitatem officii ampliorem. Sunt enim tales homines ultro recipiendi et colendi, qui boni viri officium sequuntur. Ego autem tantum abest ut hunc socium recusem, ut etiam Domino nostro summas gratias agam qui dignitatem nostram huius viri auctoritate ampliavit. Hunc ego commendo tibi tamquam me ipsum. Quamvis enim certus sum, te tua sponte omnia illi praestiturum quae ad eius amplitudinem spectent, tamen te maiorem in modum rogo, ut ipse sentiat meas litteras aliquid apud te ponderis habuisse. Scito te quicquid favoris et benignitatis in eum contuleris, apud hominem et gratum et beneficii memorem collocaturum. Vale, et me sanctissimo Domino nostro commenda, et rem socii mei ne obliviscaris oro, sed effice cum Domino nostro ut post Hanniballum ad officium iam olim sibi demandatum proficiscatur. Florentiae.

LX. PETRO DE NOXETO.

C. f. 160. Laetor admodum, mi Petre suavissime, te, fratrem, tuosque omnis recte valere; et Petrum nostrum lunensem convaluisse, summae mihi est voluptati. Dilexi enim semper eum, quoniam vir bonus, diligens, laboriosus, industrius, plenus fide, semper visus est mihi, et me semper dilexit ut fratrem. Id prae ceteris summa me afficit consolatione, Dominum nostrum recte valere, in cuius incolumitate omnium nostrum salus et vita continetur. Dicam (sed verum dico, quod forsan multi non credent) hoc meum honestum otium, haec scribendi legendique

(1) Haec quoque epistola praeverti debet.

facultas, hoc natale solum, ita me oblectant, ut vix mihi curiae cura supersit. Tamen ita ardeo cupiditate Dominum nostrum videndi, secumque colloquendi, ut nil potius expetam, nil cupiam magis. Verum quia libenter utor quiete corporis, equitandique labor est mihi molestus, patiar aequo animo, feramque hoc meum desiderium quoad Urbem revisatis. Scio, absolutis his quae ad perficienda promissa diversorum hominum in isto comitatu spectabant, parva tibi paucaque agenda imminere. Itaque tu solus horum pondus ferre potes quae remp. spectant. In privatis adiutorem habebis Lunensem. Nam Aurispae nostro, ut video, non vultis labores adferre: et recte agit Dominus noster quod eum non implicat negotiis quae possent mentem eius avertere a studiorum ad quae incumbit cura. Sed intellexi Blondum cito reversurum. Spem forsan maiorem conceperat in aliorum fortuna, quam casus attulerit. Sed aerem mutavit, et pestem fugit absque discrimine: nunc redibit tibi auxilium laturus. Ego hic cum libris meis et filiolis me oblectabor, quoad in patriam certam curia revertatur. Si vero isthic firma sedes erit, istò proficiscar. Interim *mi rodero el basto*. Sed ago gratias Deo, qui a me maiorem cupiditatem amovit. Vivo enim vacuus tum aliarum rerum tum lucri cura. Commenda me Domino nostro quam intime. Saluta Soldanum et cubicularios domesticos omnis. Ariminensi (1) me commenda. In mensa, etsi essetis inter mille marchas, supero vos suavitate bibendi. Ex Terra nova, die ·XXVI· augusti.

LXI. PETRO DE NOXETO V. C.

Scio, mi Petre, hanc meam dignitatem aeque tibi ac tuam esse carissimam, teque non secus ex ea laetari quam si tibi idem honor contigisset. Ita enim postulat mutua inter nos caritas et benivolentia tum bonis coepta initiis, tum multis tuis in me beneficiis confirmata. Id quoque requirit principium amoris nostri, iucunda scilicet inter nos vitae consuetudo, ex qua firma amicitia oriri consuevit. Accedunt litterarum studia similitudoque morum, quod unum stabile vinculum solet esse amicitiae conservandae. Itaque certus sum te mihi ex animo gratulari. Quamquam haec quae videntur populo speciosa, quam anxia sint, quam sollicita, quam exposita invidiae et tu ipse expertus es, et multorum exempla testari possunt. Id mihi, ut ais, profuturum spero, ut filii deinceps paratiorem viam sint habituri ad C. f. 221.

(1) Intelligit credo Vulturium ariminensem

civitatis munia consequenda. In omnibus Deo gratias haberi decet, et ab eo vitae praesidia imploranda, qui solus novit quid sit nobis profuturum. Opto ut aquae potio plurimum prosit valitudini tuae; sed servanda est norma, quae est potantibus praescripta. Itaque vaca consuleque corporis saluti, ut anima in eo tamquam in bene composito domicilio libentius habitet. Facultas reducendi in urbem easdem res, quae asportatae sunt, absque ullo vectigali, intercessione et opera vexilliferi iustitiae, qui te multum diligit, tibi ab hoc magistratu libenti animo concessa est. Eam ad te cum praesentibus mitto. Dixi quaedam Paulo qui mihi tuas litteras reddidit, ut tibi referat meo nomine. Non est opus ulla festinatione; temporum consilia sunt expectanda, quibus nos parere sapientes iubent. Vale, et me ama. Forentiae.

LXII. PETRO DE NOXETO VIRO PRAECLARISSIMO.

C. f. 106. b. Michaël Felicis (1) de Brancacciis, quem nosti, ita pauper est, ut nequeat esse pauperior: non tantum paupertate laborat sed mendicitate; et id non sua, sed fortunae culpa. Eum tibi maiorem in modum commendo, rogoque ut pietatis intuitu ei de aliquo exercitio, ex quo victum ducat, provideri cures, ne cum fame et inopia decertare cogatur. Supplica, te oro, Domino nostro sanctissimo, qui solet esse piissimus, et aliquando etiam in non egentes liberalis, ut hunc alicui officio deputet, cuius ope sustentetur. Id pietatis atque humanitatis tuae officium erit, et acceptum Deo. Scis maxime boni viri esse bene facere quam plurimis, et praesertim egenis cum possis, et subvenire inopi. Haec caritatis opera sunt, quae maxime nos commendant Deo. Vale, et me Domino nostro sanctissimo commenda, eique si opus esse videbitur, has litteras legendas trade. Florentiae.

LXIII. V. C. (2) FRANCISCO DE PADUA SUMMI PONTIFICIS CUBICULARIO. (3)

C. f. 96. b. Scripsissem ad te antea pro nostra amicitia, mi Francisce, si mihi constitisset esses ne penes summum Pontificem, an te aliò, ut reliqui permulti, aëris mutandi gratia contulisses. Nunc

(1) Felix hic Brancaccius pauper ex exul in vita Eugenii IV. apud Vespasianum p. 19.

(2) In aliis epistolis addit *doctissimo*.

(3) Hic diu fuit cum Eugenio PP, et deinde episcopus ferrariensis. Eius vita vigesima sexta est inter scriptas a Vespasiano.

vero praestantis viri mihique amicissimi Antonii Salutati litteris certior sum factus, te nuper, audito ab eo filioli mei ortu, plurimum gaudium suscepisse, quod ut perpetuum nobis sit opto, ac Deum oro largitorem huius boni, ut illum velit esse senectuti meae praesidium, parentisque etsi non boni (ardua est enim ascensu virtus) at saltem qualiscumque est imitatorem. Sed spero gratiam eius, qui mihi ultra quam onus delictorum meorum ferret, semper abunde adfuit, in hoc quoque puero non defuturum. Non enim divitias, opes, dignitates, magistratus (quamquam ea minime aspernanda sapientibus etiam viris videntur) illi opto, sed virtutem ac bonitatem, quae cum sint voto honesta, eum qui iusta postulantes non respuit, meas quoque preces admissurum confido. Tibi vero, suavissime Francisce, ago habeoque gratias magnas, quem scio non secus meis commodis ac tuis affici. Pro hac autem tua in me caritate, non est quid tibi possim reddere, praeter litteras et animum gratum, qui si satis esset ad deferendam gratiam, confiderem satis abunde me tibi relaturum. Attamen litteris quoque aliquid nomini tuo impertiar, si superfuerit vita, et eo quidem tempore, quo non ambitioni aut quaestui sed verae amicitiae tributum homines putent.

Ego adhuc me domi contineo revisens paululum libros, a quibus aberravi diutius quam hominis non abhorrentis omnino a studiis litterarum consuetudo requirat. Non autem ad curiam redii, quoniam admodum exhorresco non mortem, nam id stultissimum esset, sed genus mortis, quo homines derelicti, destituti, ac proiecti veluti pecora, nedum corpori sed neque ipsi animae consulere possunt (1). Neque vero aut pecunias aut quaestum ullum vel quamvis amplam dignitatem tanti facio, ut ea vitae periculo consequi velim. Et si iis essem divitiis, quibus multi existimant, mihi credas velim, mi Francisce, consulerem otio et quieti vacans lectioni, et me paulum componens ad futuram vitam. Curiam vero romanam a longe colerem ac venerarer tamquam educatricem atque altricem meam, ipse procul ab eius curis et strepitu rerum agendarum constitutus. Nihil est suavius, nihil est dulcius, mi Francisce, nihil bono aut non rudi viro dignius quam in patria et diis penatibus versari inter libros, et loqui cum iis qui suis scriptis nobis recte vivendi praecepta reliquerunt. Ab iis nulla cupiditas, nulla luxuria oritur, nullum vi-

(1) Scripta est haec epistola pestis illius tempore, quae in Eugenii pontificatu fuit.

tium insurgit, sed admonent ea quae sunt caduca contemnere ac spectare aeterna. Capesserem ego omni studio hanc vitam, si mihi adessent facultates quae sustentare possent quiescentem atque otiosum. Cum ergo culpa temporum, ne dicam pastorum nostrorum, plura adhuc deficiant, laboribus adhuc vacandum est, et ad hunc gradum, in quo iamdiu versor, redeundum, quoad fructus paulo uberiores consequamur. Redibo autem quam primum, si id mihi censueris esse faciendum; nam sequar tuum consilium, quod scio ab amico et fideli animo profecturum. Commendo me sanctissimo Domino nostro, cui aliqua in re vivens potero satis facere, mortuus neque ipsi neque meis facere satis possem. Siqua tamen in re pro eius statu mea opera opus esset, redirem etiam cum discrimine vitae: scis enim ipsius erga me benivolentiae me plurimum debere. Magistrum Andream de Palazago (1) virum probatissimum meique amantissimum intimis neque vulgaribus verbis meo nomine, addito etiam osculo, saluta: et tu cura ut continuo valeas. Morinensi insuper nostro me commendato. In Terra nova, die XXVI octobris.

LXIV. EIDEM.

C. f. III. Quaerebam pridie ab ornatissimo viro Bartholomaeo Roverella (2) nostro, an recentiores aliquas litteras a te recepisset, et quomodo valeres: at is respondit, se pridie eius diei a te epistolam habuisse, qua ei significabas, te nondum satis firma valitudine esse, quod mihi sane pro nostra amicitia molestissimum fuit. Eodem die Samuel tuus mihi tuo nomine salutem dixit, et simul ostendit particulam litterarum, qua te philosophaturum scribis si per valitudinem liceret. Dispeream, mi Francisce, ni cupiam te aeque ac me ipsum valere: tanta enim semper fuit tua in me benivolentia, ea tua in me merita extiterunt, ut omnia et velle et quaerere debeam quae ad tuam salutem pristinam recuperandam spectare videantur. Itaque cogitans quaenam remedia adhiberi abs te possent, ut hoc morbi genus a te avellatur funditus, venit in mentem aquarum quae vocantur *la Porreta*. De his audivi plurima ad huiusmodi aegritudinem levandam ab his qui ea balnea experti sunt, et ipse sum expertus in Raphahele nepote meo, qui cum simili morbo detineretur, adeoque esset exinanitus viribus, ut vix se ipsum sustentaret, hu-

(1) De hoc quoque Vespasianus in B. Roverellae vita p. 197.

(2) Huius quoque vitam scripsit Vespasianus. Mentio eius fit apud eundem in vita Eugenii IV. p. 20.

ius aquae potu et lavacro liberatus est. Omnes medici illas aquas laudant: quidam ad extorquendum ab aegris pecunias eius virtuti detrahunt; sed experientia rerum magistra monstrat mirabili quodam modo eas aquas ad eiusmodi aegrotationes conferre. Itaque consule peritos quid in rem tuam futurum sit, et quid tibi conducere existiment. Hoc non consilii gratia, sed ut quid in mentem veniat, te certiorem faciam, a me scriptum puta. Tu quid tibi conducat, diligenter considerabis. Id dixisse velim, si hoc morbo detinerer, ad eius curam me nulla alia remedia adhibiturum.

Quod in doctissimorum virorum lectione continuo versaris, eosque tecum circumfers, facis tu quidem optime: licet enim non auferant morbos a corpore, afferunt tamen animo vires, quibus adversam valitudinem aequa mente sustentamus. Itaque quatenus valitudo patitur, incumbe studiis his quae cupiditates deminunt, iter virtutum suadent, libertatem veram largiuntur, et mortalia spernere docent, et quod omnium maximum est, mortem contemnere. Ego multo plura quam merear a Deo sum consecutus; tamen si iis copiis essem quibus esse deberet homo non omnino rudis, diutius versatus in curia, quaestui finem facerem, cum statuerim modum cupiditati; et libris meis operam darem, quos intelligo plus mihi quam reliqua omnia profuisse. Sed haec satis. Tu valitudinem tuam diligenter cura, et me ut soles ama. Florentiae, die XX iunii.

LXV. EIDEM.

Ego qua die a nobis recessisti, cum tui videndi gratia domum tuam venissem, comperi te paulo antea ferme solum abisse aspernantem ac fugientem has pompas quas in recessu amicorum officiosi praestare consuerunt: quod quamvis mihi fuerit molestissimum privari iucundissimo congressu tuo ante quam discederes, tamen mihi carum fuit te in primis habuisse rationem valitudinis tuae. Postmodum vero neminem ex tuis vidi, ad quos soles scribere, quin de te rogem, deque tua valitudine quae mihi summae curae semper fuit propter singularem tuam in me benivolentiam et optimos ac suavissimos mores. Velim hoc mihi credas, mi Francisce, in hominum coniunctione et amicitia quaerenda, numquam fortunam me esse secutum, sed doctrinam, virtutem, mores, vitae integritatem, quae cum in te semper esse non solum perspexerim, sed expertus sim, complexus sum toto te animo, et in te quicquid in me est benivo- C. f. 112

lentiae et amoris transfudi. Itaque de te sollicitus, cuius plurima sunt in me summi amoris officia, quaero diligenter an valeas et quid agas. Pridie vero Samuel noster, cum de te percontarer, mihi dixit quod me summa laetitia affecit, tibi pristinam valitudinem restitui, et in diem fieri meliorem, addiditque desiderare te litteras meas. Utinam tam in reliquis quam in hac una re possem satis facere tuo desiderio! Ita enim sum ociosus, ut non solum epistolis, sed libellis te possem obruere. Sunt etiam publicae res ita in diem variae et multiplices, ut quemvis in eis recensendis, ne dicam scribendis, copiosum queant reddere.

Sed de his ab aliis te scio fieri certiorem, et etiamsi ceteri silerent, mihi persaepe ita molestae sunt, ut oblivisci mallem quam litteris committere. Video multa parari, multa impendere, quae quo diutius mente pervolveris, eo magis animum perturbant, cum nullus videatur certus rerum exitus, ex quo pax aut ocium sequatur: eo autem progressi sumus ut humano consilio minime videantur haec explicari posse. Quare harum rerum primum Deo tum principibus, quorum de statu agitur, curam relinquo. Mihi satis superque est rei domesticae et praedioli, quod nuper emi, sollicitudo: sum enim in eo excolendo factus semirusticus. Magna est enim rei rusticae voluptas, senibus praesertim, in qua oblector plurimum et cum ex rerum natura, tum ex agri colendi arte, quae et honesta est et quaestum habet uberrimum, summam voluptatem capio, oblitus curarum quae et supervacuae sunt, et molestiis plurimis animum conficiunt. Confero me etiam saepius ad studia nostra, in quibus magis acquiesco, quam in ullis ex iis rebus quae vel videmus quotidie vel audimus. Et certe in litterarum studiis omnia praesidia sita sunt, quae ad bene vivendum spectare videantur. Haec mihi cum aegritudines omnis demunt ex animo, tum hortantur ad ea contemnenda in quibus plus fortuna possit quam ratio; docentque ut ea parvi faciamus, ad quae expetenda defertur communis insania vulgi. Tu velim ut primum valitudini resarciendae des operam diligentem, quae ceteris exterioribus bonis est iucundior ac pretiosior. Tum vero non omittas studia tua pristina, ut cum corporis cura et animi quoque cultus sequatur. Sed in primis rationem ut bene valeas habe. Ego tuus sum. Vale, mi suavissime Francisce. Florentiae, pridie kal. iunias.

LXVI. EIDEM.

Samuel tuus vel noster potius reddidit mihi pridie litteras tuas mihi quidem exoptatissimas, quae me summa voluptate affecerunt: sunt enim plenae humanitatis, benivolentiae, suavitatis, officii, quae te semper et reliquis et mihi maxime commendarunt carumque fecerunt. Nam opes divitiae dignitates nedum amorem hominum persaepe non praestant possidentibus, sed saepissime odium afferunt et malivolentiam. Blandiuntur plurimi ad suum quaestum et utilitatem eiusmodi viris, qui ceteris dignitate praesunt; rari autem diligunt aut amant. Neque accidit iniuria; malunt enim quidam honorari aut timeri quam diligi; quo fit ut in praesentia tantum colantur ob causam privati commodi, quod ubi abest, negliguntur, neque absque malivolentia per ora hominum versatur eorum nomen. At vero hae virtutes, quas in te esse cognovi, humanitas praesertim qua complecteris viros doctos, et praesentibus praesto adsunt, et abeuntes prosequuntur: utroque in loco et praebent eum fructum qui est suavissimus ex talium virorum memoria, et efficiunt ut perpetua in amicis eorum iucunda recordatio existat. Non loquor assentandi aut adulandi gratia, nam id vitium longe a me abest, mi Francisce, sed quia ita sentio. Ego te semper unice dilexi, ex quo te vidi nihilo elatiorem factum ex summo loco quem apud Pontificem tenes, neque tumentem aut inflatum, ut multi qui praeter formam omnia asello similes fiunt, sed mitem humanum neque contemnentem inferiores. Id vero praecipue admiratus sum et maxime commendavi in tanta licentia te nocuisse consulto nemini, omnibus profuisse; quae quidem virtus praecipua est et minime vulgaris. Haec ob eam rem scripsi ut videas causas amoris in te mei. Multi sunt te potentiores et in altiori fastigio constituti, quos quidem aperte contemno. Virtus et humanitas quam sequor, et quod etiam pluris existimandum est, multa in me tua officia et merita impellunt, ut sit amor quidam praecipuus in te meus. C f. 112.b.

Nunc veniam ad litteras tuas. Meam epistolam tibi iucundam fuisse, gratissimum est mihi. Gaudeo autem te in patria constitutum inter amicos pristinos et libros tuos ita versari, ut et corpori indulgeas et animum colas iis artibus quae habentur optimae. Valitudinem tibi ferme restitutam summe laetor. Id vero scribis sapientissime, si modo ex animo prodiit, te libenter effugisse has infernas curas et strepitus curiae, dicendum

erat furias, si id liceret. Itaque prudentissime feceris, si haec non omnino abieceris, sed posteriora duxeris quiete animi et virtute. Ego priorem vitam sequor, inter rusticana opera et studia tempus terens. Edidi libellum de infelicitate principum, quem nisi cito ad nos redieris, curabo ut Samuel noster transcribat, et ad te mittat. De rebus communibus ab aliis cognosces, praesentia praeter Oedipum aut Sibyllam intelligeret nemo: adeo sunt involuta et a variis ingeniis tractata. Quid censes de futuris, quorum praedictio divina est? Nos quidem multam pastam conficimus, nullos panes, opinione non re laboramus. Sed haec nimis. Nihil tam homines impedit ad sapientiam pervenire, quam existimare se ad eam iam pervenisse. Hoc quam multis accidat, saepius quam expediat experti sumus. Vale, et me ut soles ama. Florentiae, die ·XVII· Iulii.

LXVII. EIDEM.

C. f 113. b. Cum in bibliothecula mea essem non omnino ociosus, Samuel reddidit mihi litteras tuas suavissimas quidem mihique exoptatissimas, quibus e vestigio in ipsa legendi cupiditate sumpto calamo his paucis respondi. Non miror id tibi accidere viro doctissimo in rebus gravioribus, mi iucundissime Francisce, quod mihi qui versor in his levioribus humanitatis studiis usu venit. Nam si cum domi inter libros reclusus vacansque eorum lectioni, qui me et ad eloquentiam et ad vitae integritatem possunt instituere, nedum ceterorum persaepe obliviscor, sed et mei ipsius et rei familiaris, ita distrahitur quandoque animus, legendi discendique cupiditate, quid tibi putem contingere tractanti philosophiae rei gravissimae praecepta, quam vitae ac morum magistram profitentur omnes, omniumque bonarum artium parentem, cuiusque tractatio cognitioque singulare ingenii acumen requirit? Equidem nisi quandoque a continuo legendi usu aliqua re leviuscula animus abducendus esset, mirarer potius scribere te ad Poggium quam silere. Sed iucunda est amicorum memoria absentium, quae nisi litteris servaretur, dilaberetur certe in oblivionem. Quod ne accidat, epistolis quae inter absentes loquuntur, interpellandi sunt aliquando, et a studiis avocandi: neque hoc loco studiorum intermissio culpanda est, cum etiam eadem ipsa studia, quibus vacas, humanitatem colere suadeant, indulgere corpori, et amicitiam servare. Neque est quod te purges, sero meis litteris respondisse: nihil enim sero fieri putandum est, quod bene, quod amice et honeste fit, in

re praesertim quae nullam requirit celeritatem. Mihi autem gratissimum est vel paucissimis verbis rescribere te mihi, quoniam calcari quodam moveor ad scribendum, sumens a te epistolae argumentum.

Quod bene valitudini consulis, facis tu quidem sapienter, cum ea sit tamquam condimentum ceterorum bonorum quae fortuita appellantur. Quod vero haec curiae negotia veluti impedimenta philosophandi ex animo reliquisti, teque in veram libertatem contulisti, vacans optimarum artium studiis et virtuti (1), summe laetor, et hunc animum tibi cupio esse perpetuum. Unus enim dies philosophiae deditus, et cum virtute actus, ut inquit noster Cicero, peccanti immortalitati est anteponendus. Ex hoc laus, ex hoc quies animi et vera gloria comparatur: et qui haec virtutum studia secuti sunt, celebres etiam post obitum vixerunt: illi vero quorum animus divitiis opibus dignitatibus occupatur, et dum vivunt mortui sunt, et post mortem perpetua oblivione sepulti. Itaque, mi Francisce, quoniam natura tibi acre ingenium dedit, et voluntatem diligentia largita est, opes autem necessarias indulgentia in te Pontificis contulit, sequere quantum ratio valitudinis patitur studia quae coepisti, quae te rediment a vulgi molestiis, et te tibi imperare docebunt, quod est maximum omnium profecto imperium et prae ceteris laudandum. Conduceret rebus meis te esse in curia, sed valitudo tua, quies animi, virtutis studia, libertas, omnibus meis commodis sunt mihi iucundiora. Librum meum nondum Samuel scripsit: fuit enim litigio quodam lacessitus vel potius laceratus: sed fiet quam primum, et ad te mittetur. Mihi crede, eius lectione confirmaberis in ea qua nunc es opinione; et privatam vitam, quae quidem non sit virtutis vacua, in qua est vera libertas, omnibus imperiis anteferendam iudicabis. Vale, et me ut soles ama. Florentiae, die ·XII· septembris.

LXVIII. EIDEM.

Quoniam quotidie afferebatur mihi a tuis notis te ad curiam quam primum rediturum, idque ego multis ex causis cupiebam, intermisi paulum meam consuetudinem ad te scribendi. Nunc vero et mutatione curiae, id enim decrevit Pontifex, conturbatus, et quod numquam antea mihi in tali re accidit, omni negotio vacuus, mentem ad te reflectens beatissimum iudico, qui C. f. 119.

(1) Intellige illam morum in melius conversionem, de qua Vespasianus in eius vita.

tanta es animi firmitate, ut aequa mente reicias, quae multi insano studio prosequuntur. Ego quidem nisi temporum culpa, parum rei nostrae familiari hactenus consultum esset, quae tenuior est quam merita postulent hominis haud ignobilis, tamdiu in curia cum honore versati, non solum te sequerer, sed forsan longo intervallo anteirem, vindicans me in veram et animi et corporis libertatem. Non enim me amplissimi patrimonii aut multarum opum aut magistratus alicuius ambitio tenet, in quorum sollicitudine quanta sit molestia non ignoro, non supervacuae rerum externarum curae, quae multorum mentes distrahunt, sed quietis cupido et litterarum studia me trahunt, quibus solis et omne fugitur fastidium vitae, et a molestiis animus avocatur. At vero rei domesticae debilitate frangor, quae ea est, ut suis se ipsa viribus nequeat sustinere, nisi plane, ut inquit ille, ex oratore arator fieri vellem. Tempora insuper inimica virtuti quantum noceant vides. Numquam antea deteriorem curiae statum memini, cuius si aliquando casus quispiam adversus incidit, solabamur aerumnas nostras spe certa futuri. Nostrae reip. haud multo melior conditio: tenuitas enim aerarii impotentiores, quorum ego sum in numero, admodum vexat; cum et ea quae mihi debentur, erogentur in militum sumptus, et multa praeterea sint impendenda. Quid hac superflua absentem querela obtundis, inquies? Levari consuevit, mi Francisce, paulum conquerendo lamentandoque animi dolor, videturque aliquantisper leniri cum veluti expuimus penes amicos nostrum maerorem. Nullus est, mihi crede, maior dolor quam dolere non posse. Itaque scribendo effudi molestias animi, quae me solito magis premunt. Cupio persaepe praesentiam tuam, quae mihi multotiens magno usui fuit, sed nunc esset maxime, cum quae multorum erant, ad unum omnia delata sunt. Sed haec iocandi gratia. Ego quoniam plane algeo, me domi continebo quoad aestas veniat. Malo hic frigere quam alibi. Cum Urbem videbo, quod sapientes suadent, parebo temporibus. Samuelem nostrum tibi interea commendo.

LXIX. EIDEM.

b. Vellem potius ut praesenti verbis, quam litteris absenti, tecum ex filio suscepto meum gaudium communicare potuissem. Suscepisses enim una mecum voluptatem, quae invicem amplior atque uberior extitisset. Siqua enim in re permissum est, in hac maxime laetari cum amicis decet, in qua est nominis ac me-

moriae nostrae propagatio. Tum vero per te idem suscepisset (1), ut nostra amicitia sanctiori quodam vinculo cumularetur. Quamquam enim amor noster minime augeri posse videatur, tamen hoc religionis additamento pietas quaedam videretur arctior esse contracta. Sed epistola tecum loquatur, dicatque Poggium tuum laetitiam praegrandem percepisse ex hoc filio, quem ut aiunt (nam uxor rure abest) pulchriorem ceteris mihi Dei beneficentia concessit, uxore praesertim salva, quod gaudium prae ceteris adfert omni voluptate plenum. Haec tecum paucis communicare volui, quem scio amicissimum mihi. Compatri meo domino Camerario pluribus scripsi (2), quorum tibi exemplar mitto, ut legendo meas ineptias tempus teras cum cupis a curis animum relaxare. Vale, et me ama. Florentiae, die ·XV· novembris.

LXX. [DOMINO CAMERARIO.]

Vetus est cuiusdam sapientis viri sententia, praestantissime Pater, plorandum esse quo die in lucem ederemur; quo vero mortem obiremus, laetandum. Quae opinio vera an falsa sit, paucos habuit sectatores. Ego vero communem errorem, si is error est, secutus ex filio masculo quem mihi nudius tertius Dei in me pietas largita est, summam laetitiam ac voluptatem sum adsecutus, agoque gratias Salvatori nostro qui salva incolumique uxore, me dono quartae prolis cumulavit. Qua in re spero largitorem eius boni, qui mecum fecit misericordiam suam, non solum mihi filium concessisse, sed eum filium qui sit futurus fomentum paternae iucunditatis. Est in manu illius, a quo hoc donum accepi, quamdiu sit permansurum nobiscum. Sed sperare debemus optima; aequa mente quaecumque acciderint ferre. Interim hoc quicquid est temporis frui decet ea voluptate quae datur. Non parva sed magni extimanda res mihi videtur suscipere liberos, cum omni aetati tum praecipue senescenti, quae ipsa per se parum firma alterius sustentaculo et opitulatione egere videtur. Et quamquam nonnulli improbi reperiantur et rebelles patribus, vim ipsi naturae afferentes, tamen haud scio an maius firmiusque subsidium nobis natura compararit. Sed maxima esse debet spes eorum in liberis susceptis, ut parentes colant, qui et ipsi suis genitoribus debita pietatis officia praestiterunt. Sicut enim quaedam vitia hereditaria esse videntur, Cod. f. 116.

(1) Nempe tu infantulum de sacro fonte extulisses.

(2) Videtur illa epistola, quam statim subteximus, quae quidem proxime praecedit in codice, sed caret inscriptione.

ut philosophis placet, ita etiam quarumdam virtutum semina in filios videmus transfundi Mihi ergo conscius qua observantia, qua pietate fuerim erga eos qui me procreaverunt, confido liberos quoque meos parem mihi gratiam relaturos. Ob hanc maxime causam summe consolor gaudeoque ex prole paulo ante suscepta; quam Deum rogo, si id satius nobis illique futurum sit, ut mihi superstitem velit esse. Quocumque sit tamen res evasura, interim laetandum est, neque ullae molestiae et forsan superfluae animo nostro anticipandae. Hanc meam voluptatem tecum volui communicare, quia scio bonis te meis, his praesertim quae praecipua existimantur, aeque ac tuis gavisurum. Et quoniam ad impensam aliquid est additum, cura obsecro ut mihi a Laurentio satis fiat; qua de re aliis litteris ad te scripsi. Vale, Pater optime, mei ut solus memor. Florentiae, die XV Novembris.

LXXI. PRAELATO CURIALI.

C. f. 157. b. Cum essem in balneis, Pater reverende, recepi litteras tuas scriptas Spoleti, quibus non respondi quia locus ille inter montes reclusus est, extra anni solisque vias, quo perrari nisi valitudinis gratia accedunt. Redivi post secundum et trigesimum diem in patriam, et per Dei gratiam satis firmo pede. Hic quoque locus raros habet viatores, ut eorum quae in curia alibique fiant, sim penitus ignarus. Hoc alii, qui rebus novis delectantur, aegre ferrent: ego vero id beneficii loco duco ibi vivere ubi ocium meum nulli rumores, nulli nuntii, nulla nova perturbent. Ita quiesco et animo et corpore, nulli rei praeter quam domesticae et libris meis intentus. Lego enim quotidie aliquid, aut scribo, aut oblector cum filiolis meis; quae vita ita mihi placet, ut si facultas esset, ab omni externarum rerum cura penitus vacarem, et viverem cum Musis, hoc est cum his qui et has mundi fortunas et caduca bona despicere, et sanctiorem vitam nos appetere exhortantur. Quid enim aliud nobiscum asportamus, nisi quae egerimus cum virtute?

Ego quidem, ut de me profitear, iam quintum et quadragesimum annum sum curiam romanam secutus, lucro et quaestui operam honestam impendens: multas peragravi provincias, multa vidi loca, multarum gentium mores et naturam conspexi, multorum Pontificum benivolentiam sum assecutus. Sed tamen cum cogitationes meas ad mentem revoco, cum qualia sint ea quae praeterii animadverto, cum quam inania sint considero

et anxietatis plena, nil magis reperio stabile ac firmum, nihil quod magis animum recreet, nihil quod magis quietem afferat, quam litterae et ea studia quae ab ineunte aetate secuti sumus. Haec enim parvo me contentum esse docuerunt; haec ambitionem altiorisque gradus et amplioris dignitatis appetitum penitus sustulerunt; haec avaritiae aliorumque malorum fremorum studia dimoverunt, effeceruntque ut quod difficillimum habetur inter mortales, modum statuerem cupiditati. Itaque libenter domi versor, ubi vera fruor libertate, quae est ut velis cum virtute vivere. Sequantur reliqui Pontificem, aliis non sibi viventes, et ea quaerant, ea appetant, quae et parum prosint vivis, et mortuis sint nocitura. Non tamen eos improbo, qui maioribus rebus intenti remp. tractant, et illius onera perferunt: necesse est enim ut resp. habeat ministros, qui illius curam gerant, qui illi consulant, et pareant temporum necessitati. Sed tamen paucorum hoc munus est, qui remp. illius causa apprehendant. Verum de aliis philosophandi curam omittamus. Tecum enim loquendi cupiditas paulo longius me in scribendo provexit, quam meum fuerit institutum. Non scripsi antea, quoniam non reperiebam cui litteras darem. Nunc venit ad me ex Fabriano Ianninus Ballistarii cursor, qui cum redeat, exarare haec volui quae tradat Solimonno, cui mandas litteras tradi. Ego enim ubi sis, quid agas, penitus ignoro. Vale, mei ut soles memor. Unum adiciam: promissa illa barbarica, ut videor, inania esse: nil novi accidit mihi, qui novi omnia illum habere potiora quam fidem. In Terra nova, die ·X· augusti ·M·CCCC XLIX·

LXXII. PRAESULI CUIDAM (1).

Iucundissimum mihi fuit, Pater optime, ex tuis litteris intelligere te ex provincia, cui triennio praefuisti, summa cum omnium laude benivolentia desiderio recessisse, maximoque plausu et commendatione Pontificis esse receptum. Haec mihi ma- C. f. 190

(1) Suspicor scriptam hanc epistolam ad Petrum de Monte, in suo reditu a perusina praefectura, de qua praeter dicta in adn. p. 287, loquitur etiam Vespasianus in illius vita: nam et reliqua de curialibus Petri moribus satis consonant: frustra enim expectans purpurae honorem obiit Romae anno 1457. Iusto autem parcius scribit Ughellius in episcopis brixiensibus de tanto viro, qui inter doctiores aevi sui fuit, et cuius egregia ac permulta scripta a me in vaticanis codicibus sunt observata, quorum accuratam notitiam Augustinus quoque tradit in Script. venet. Et quia de omissionibus coepi dicere, a me quoque p. 319. adnotandum fuerat, Alphonsum illum, cui scribit Poggius, lusitanum fuisse episcopum, cuius item vitam Vespasianus breviter contexuit.

ximi videntur exstimanda, cum non vulgi opinioni sed virtuti et probitati, prout tibi contigit, tribuuntur. Sunt enim ista, ut scis, tamquam virtutis umbra, a bonis viris si non petenda, at cum ultro tribuuntur minime repudianda: nam videntur esse incitamenta quaedam ad bene vivendum, cum sentimus recte a nobis acta laudari et in pretio esse. Ducimur enim omnes praesertim bene instituti aliqua cupiditate gloriae, quae videtur esse praemium nostrorum apud homines meritorum. Omnia tamen haec si a salute animae abducant, improbanda sunt, cum animae ratio sit rebus ceteris praeferenda. Sed nolo tecum philosophari, qui es vir sapientissimus, ne videar plus velle sapere quam oportet. Voluptas et cupiditas tecum loquendi (videor enim te praesentem alloqui cum scribo) me impellunt ut sim verbosior quam requirat decorum illud quod a Cicerone in omni re tantopere laudatur. Ego neque te hortor virum in omni re prudentem ut resideas in curia, neque ut recedas: ubique enim et litterarum studiis et virtuti operam dare licet. Et ut Ciceroni nostro placet, ea vita eligenda est, in qua possis prodesse quam plurimis, et in qua maior campus detur exercendae virtutis. Huius rei iudicium tuae prudentiae relinquo. Unum dico, etiam beatam vitam cumulatiorem reddi studiis litterarum, et eam quae fortunae iniuriis quatitur fortiorem: molestiam certe solent auferre. Tu id ages quod virtus tua et ante actae vitae institutio requirit. Id vide, ne spem pretio emas, quod multis iam video contigisse. Sed vereor ne sus Minervam. Vale, et scias litteras tuas summam mihi voluptatem attulisse. Haec dictavi in lectulo iacens ob podagrae morbum, qui me iam ·VIII· diebus summa molestia adfecit. Ob eam rem vero a me tam multis scriptum, ne mireris me in adversa valitudine philosophari. Florentiae, die ·XXI· iunii ·M·CCCC·LIV·

LXXIII. CHRISTOPHORO CAUCO.

C. f. 75. Summas habeo tibi gratias agoque, mi suavissime Christophore, pro singulari humanitate, quam tuis ad me litteris ostendisti, provocans me ad mutuam benivolentiam atque ad amicitiam, qua nullum sanctius, nullum praestantius rerum humanarum vinculum reperitur inter mortales. Nihil enim mihi gratius, nihil iucundius, nihil acceptius esse potest copia amicorum, quorum praesidio utimur in rebus adversis, et consilio in secundis, ut ex altero certum subsidium adsit ne deprimamur fortunae impetu, alterum moderationem quamdam animi

praebeat ne ultra quam deceat extollamur. Et quidem ceterae omnes vulgares amicitiae extimandae sunt praeter eas, quas tum bonorum morum tum optimarum artium studia contraxerunt. Itaque cum intelligam tum ex tuis litteris ornate atque eloquenter scriptis, tum ex verbis multorum te maiorem in modum profecisse in studiis humanitatis et doctrinae, quibus ego quoque, licet nulla cum re ab ineunte aetate paulum operae impendi, sane perspicio summam benivolentiam summumque amorem inter nos futurum: intercedunt enim ea quae ad conciliandam amicitiam plurimum posse consueverunt. Quapropter cum abs te sim per litteras provocatus, non committam ut videar tibi cedere aut scribendi officio aut benivolentiae. Neque est, quod me, ut ais, admodum cupias videre: plura enim fortasse tibi de me persuasisti, quam mea praesentia queat praestare. Litteris vero inchoatam amicitiam nostram (quae quidem id agunt ut cum absentibus colloquamur) epistolis quoque et mutuis, siqua modo facultas detur, officiis conservemus: colloquendi desiderium ad commodiora tempora differamus.

Libellum, quem ad me misisti, perlegi diligenter. Epistolam, quae Guarino adscribitur, procul dubio affirmarem non esse Guarini, cuius genus dicendi satis mihi est cognitum: novi ingenium, novi eloquentiam, novi doctrinam, et scribendi morem, ut nihil in illa sit quod ulla ex parte redoleat Guarinum. Epistolam vero illam arbitror esse conscriptam ab aliquo ex eius discipulis, vel altero quopiam, qui et Guarinum diligat, et oderit Georgium, et uni gratificari velit, alterum exagitare. Nam plura in ea scribuntur, pace dixerim scribentis, quae ornatius eloquentius copiosius prudentius, ut opinor, per Guarinum scripta et obiecta fuissent, sive vera sive falsa existant. Neque etiam Guarinum adeo timidum ac formidolosum iudico, vel ita ieiunum in scribendo, ut aut ipsi dubitandum fuerit suscipere palam suam defensionem, aut ad alterius praesidia confugiendum. Trapezuntium vero doctissimum video hominem et admodum eloquentem, cuius scripta mihi admodum placent: sed mallem eum impendisse operam in causa magis honesta magisque accommodata ad explicandas ingenii vires. Coniectura vult assequi, ut Guarinus auctor et scriptor extiterit epistolae conscribendae. Id neque me iudice neque quovis alio, qui recte Guarinum norit, unquam probabit, cum absit plurimum a scripturis eius. Scribere tam multis verbis tam contumeliose tamquam in reum manifesti criminis, de quo nihil afferas praeter opinio-

nem quamdam, et quidem ab aliorum opinione et sententia disiunctam, non recte consulti hominis esse videtur (1). Quod autem is me suis verbis honorat, esset mihi gratius si non vergerent in contemptum Guarini, cuius honori a me semper consultum fuit, et praesertim in nostra controversia qua ei respondi, cum is me paulum lacessisset quod Scipionem suo praetulerim Caesari. Egi tamen ita meam defensionem, ut eum minime offenderem, nisi ubi causa id necessario postularet. Hoc certe recte videor posse dicere, me parcius quam acceperim nonnulla retulisse. Ubi enim ratione pugnandum est et argumentis, sunt omnino reiiciendae voces contumeliis et iurgiis refertae, quae et auditoribus sunt ingratae, et causam nostram minime reddunt probabiliorem. Verumtamen suus cuique mos est. Ego utriusque honorem diligo: ipsi inter se scriptis contendant ut libet; Poggius tuus aequus erit spectator. Vale, et quoniam me provocasti, in benivolentia perseveres velim. Bononiae ·X· kal. octob.

LXXIV. BARTHOLOMAEO FACIO V. C.

C. f. 138. Fecisti perhumaniter atque optime, mi Bartholomaee, qui me ad scribendum tuis suavissimis litteris provocasti. Ego enim iam sive aetatis vitio, sive occupationibus, quae vel paucae et leves plus quam antea sunt molestae, factus sum in scribendo remissior. Accedit quod munus officii mei totum in scribendi cura versatur, quo fit ut fastidiosior solito is labor aliquando mihi videatur; ut non tantum non provocem litteris ut solebam alios, sed vix iam respondeam provocatus. Sed tua epistola ea humanitate et benivolentiae significatione scripta est, ut quemvis ignavum etiam et somnolentum ad responsionem excitare posse videatur. Ago gratias Iacobo (2) nostro, qui mihi talem amicum sua diligentia comparavit. Nam de eloquentia et doctrina tua iam non amplius testimonium Iacobi requirendum est, cum tuae litterae sint testis copiosissimus, parum illum pro hominis dignitate ac meritis dixisse. Non adulandi causa loquor, nam abfuit a me longissime semper id vitii genus; sed tui adhortandi ad eum cursum quem coepisti; cum videam tantum in eo te profecisse, ut vel paucos vel neminem auderem excipere, qui tibi essent eloquentia et scribendi suavitate comparandi. Sed paucis haec scribenda sunt, ut omnis assentandi suspicio absit. De

(1) Legatur Poggii epistola ad G. Trapezuntium, quam proximo volumine edidi p. 648.

(2) Iacobo Curulo, qui erant in aula Alphonsi regis.

me id tantum dicam: conatus sum imitari eos, licet longo sequar intervallo, qui dicendi laudem meruerint. Qua in re si quid profeci, gaudeo non omnino operam et impensam perisse.

Video te cupere Urbem visere: et certe nisi inceptum opus, ut ais, impediret, hortarer te ad inspiciendas reliquias eius Urbis, quae quondam orbis lumen praeclarissimum fuit. Equidem quamvis in ea iam pluribus annis ab ipsa iuventute fuerim versatus, tamen quotidie tamquam novus incola tantarum rerum admiratione obstupesco, recreoque persaepe animum visu eorum aedificiorum, quae stulti propter ingenii imbecillitatem a daemonibus facta dicunt. Ceterum omnia in tempore agenda sunt. Dialogum tuum (1) expecto summa cum aviditate, et item invectivarum libros in eum, quem nominasti (2); de quo tantum dicam, duas res, verba scilicet et scripta, esse mentis interpretes, quae animum nostrum designent; quae quoniam palam sunt, facile iudicium suum audientibus et legentibus praebent. Cyrum Xenophontis absolvi, quem cui dedicem incertus sum: multi enim multa suadent, prout quemque animi affectio trahit. Ceterum rex tuus (3) litteris deditus est prae ceteris regibus orbis, et in talem regem hic liber, ubi agitur de institutione iusti principis, optime quadraret. Locutus sum cum Iacobo circa eam rem quaedam, ad quae se responsurum pollicitus est. Verum quod satis miror, nil scripsit, ut adhuc pendeam animo quid sim acturus. Utcumque tamen liber edetur, et in primis ad vos veniet. Cicero id opus laudat, sed ab eo traductum ad Latinos nondum apud nostros legi. Tu autem ubi id repereris, scribas ad me velim. Scio, et testis est inter ceteros beatus Hieronymus, Ciceronem lusisse in oeconomico Xenophontis, quem librum latinum fecit in adolescentia. Paediam vero ab eo traductam non memini me legisse. De me autem tibi polliceor, me tuum esse penitus, cuius vel opera vel diligentia utaris arbitrio tuo. Id certe agam ut existimes, me a nemine vinci in amoris officio aut benivolentiae. Vale, et me ama.

LXXV. BARTHOLOMAEO FACIO V. C.

Delectarunt me mirum in modum litterae, quas pridem a te accepi, summa cum gravitate et verborum et sententiarum scri- C. f. 147. b.

(1) Intellige illum a Facio scriptum de vitae felicitate et praestantia hominis.

(2) Intellige Laur. Vallam cum quo Facius quoque miseras et perpetuas inimicitias gessit.

(3) Alphonsus Aragonum et Neapoleos rex.

plae. Id vero mihi iucundissimum fuit, quod quotidie magis perspicio amorem in me tuum, quem ego tanti facio, ut illum omnium principantium benivolentiae iudicem esse praeferendum. Disputas ferendam contemnendamque esse stultitiam nonnullorum, quorum opera maxime consumitur in detrahendo. Et recte quidem sentis. Sed principum non solum ferenda, sed declinanda est, cum sit perniciosior et cum maiori damno coniuncta. Nihil est stultitia, mihi crede, perversius, quae omne rectum iudicium adimit, et ubi potestati coniuncta est, in omne facinus erumpit. Sed ego ceteris stultior meo merito iudicari possum, qui parum providens fui in deligendo homine, qui stultorum vocibus magis quam veri testimonio moveretur (1). Rumor et multorum verba, qui videbantur sapere, me impulerunt ut eorum voluntatem praeferrem opinioni meae. Gaudeo tamen mea conscientia, et recte fecisse magna consolatio est. Fero apud doctos ingenii et laboris satis egregium praemium, cum suis laudibus ornant opus nostrum. Si rudes atque ignari, illiberales sunt, haudquaquam mirum videri debet. Non est enim cuiusque recte sapere, neque virtus aut sapientia sequitur domicilia potentiorum. Tibi quid sperandum sit, vides edoctus exemplo meo. Pessima res est ingratitudo, et omnium vitiorum altrix: neque ulla in eo virtus esse potest, in quo id vitium regnet. Itaque si vixero, utemur palinodia, cum tempus erit. Vale, et me ama. Romae III. kal. martias.

LXXVI. INSIGNI VIRO ANTONIO PANORMITAE.

C. f 147. Vir doctissimus ac utrique nostrum amicissimus Iohannes Aurispa reddidit mihi litteras tuas, quas summa legi cum voluptate, tum quia a te erant, tum quia plusculum in meis laudibus versabantur. Scis enim sapidiores omnibus esse alaudarum carnes, praesertim cum a bonis pascuis proficiscuntur. Solent dicere Romani, cum quis eos praeter modum laudibus extulit, scire se illum mentiri, sed tamen placere sibi laudantis verba. Idem a me tibi dictum puta: non aspernor laudes tuas, cum a doctissimo prodeant viro: nam qui me non norit, fidem praestabit laudibus tuis. Et tamen quam verae sint, ipse satis cognosco. Vellem ut digne illud opus quod attinet ad translationem laudari posset. Ego quod potui contuli in communem utilitatem. Non est ea eloquentia quae forsan in rebus propriis posset exprimi,

(1) Irascebatur Poggius Alphonso regi remunerationem oblati libri differenti. Recole adn. p. 241.

quoniam difficile est dicentis seriem vertere, aut traducere in nostrum morem, quod vario ambitu et verborum et sententiarum profertur a Graecis. Credo tamen, a vero iudice potius gratias, quam invidiam aut detractionem mereri. In uno tantum fateor errorem meum: ea prohoemii culpa est non recte ut video locati (1). Sed si res esset integra, forsan sapientius apud gratiorem beneficium collocarem. Sed haec hactenus. Ego, mi Antoni, ago tibi gratias pro tuis litteris in quibus meum laborem cumulatissime commendas. De his, quos magis livor quam ratio et boni viri officium movet, nulla mihi cura est. Non enim unius aut alterius, in quibus et nulla inest auctoritas, et inconsiderata superest dicacitas detrahendi, sed doctissimorum virorum iudicium probandum videtur. Horum sententiam pertimesco, aliorum stultitiam contemno. Quid enim recte potest sentire, qui quod sentiat ignoret? Ego pluris tuum et Facii nostri iudicium facio, quam eorum, quorum verba vulgi loco sunt ponderanda. Edidi quatuor libros de varietate fortunae, in quibus multa sunt cognitione digna. In his extuli paulum dicendi genus, quod ni fallor non est inferius quibusdam quos legimus pro bonis. Mitto ad te illius prohoemium, librum vero cum facultas erit. Vale, et me ut consuesti ama.

LXXVII. BARTHOLOMAEO FACIO V. C.

Magnam pluribus de causis voluptatem percepi ex tuis suavissimis litteris (2), quibus respondes ad eam epistolam, quam una cum litteris regiis (3) ad te destinaram. Gratum mihi fuit, quamquam nullo modo id dubitaram, tuam erga me pristinam benivolentiam recognoscere. Inciderat enim tempus, ut intermissione litterarum, etiam amicorum coniunctio remissior videretur. Nunc reintegrata priori benivolentia, quae tamen numquam intermissa fuit, gaudeo datam esse nobis facultatem mutuis invicem litteris colloquendi. Gratissimum vero est et vobis placuisse epistolam meam, et a tanto rege laudatam, quod mihi summo honori esse puto. Est enim, ut scis apud Ciceronem nostrum, eam veram existimari laudem quae a laudatis proficiscatur viris. Recte et amice fecisti, qui exscribi epistolam curaveris, et eius legendae onus susceperis. Scio enim eloquen- C. f. 217.

(1) Adhuc dolet Poggius, quod munus a rege non accepisset.

(2) Extat illae B. Facii litterae in append. ad editionem florent. vitae Poggii p. LXIX

(3) Has nos regias, sive ad regem, Poggii litteras edidimus p. 342.

tiorem multo illam ex tuo ore visam, quam si alter legisset, de quare tibi gratias ago quas possum: nam tua pronuntiatio rem ex se parvam reddidit audientibus ampliorem. Antonio nostro Panormitae, et item Matthaeo Malferito (1) viris praestantissimis verbis meis salutem dicito. Diligo eos tum propter eorum virtutem et egregiam doctrinam, tum propter eorumdem erga me benivolentiam singularem. Scriberem ad te pluribus, et item litteras ad Panormitam darem, nisi cras rus essem profecturus, ubi paucos dies in visitandis meis praediolis commorabor. Sum enim deditior senectutis gratia rei rusticae, quam antea. Cum rediero, uberiores litteras ad vos scribam. Haec paucis dictavi, ne viderer tardior in respondendo quam nostra amicitia requirat. Vale, et me ut soles ama.

LXXVIII. PETRO THOMASIO V. C.

C. f. 150. Dici non potest, mi Petre carissime, quam me delectarit epistola tua, quam unico ut aiunt spiritu summa cum voluptate legi, quamvis esset longiuscula. Quod partitionem meam librorum Xenophontis nostri culpas, est mihi gratum; loqueris enim, quod maxime amicitia postulat, ex animi sententia; sed id perparvum est et leve erratum: nihil enim detrahitur neque veritati rerum neque auctoris dignitati; quin potius addi videtur: nam cum multa brevius a me, quam graece sint scripta, dicantur; quidam autem libri ita parvi sint, ut potius appendicula quaedam aut adnotationes aliorum, quam libri, esse videantur; inconcinnum visum fuisset tantam librorum fuisse disparitatem, ut unus veluti gigas, alter pumilio videretur. Etenim penes unumquemque scriptorem, paritatem librorum servatam scimus, et eius rei testes esse permultos. Quod vero id factitatum non esse dicis, lege Terentium auctorem non contemnendum, qui ex duabus Menandri unam fabulam se id testante contexuit. Sed in hoc, quod forsan arrogans videatur, malo meae quam aliorum sententiae stare. Quod miraris librum non esse traductum, non inscitia aut tarditas ingeniorum, sed labor causa extitit cur multi praestantes viri nollent id opus adgredi. Haud parva est enim difficultas rem ita ad nostrum usum vertere, ut legi a doctis possit. Non mihi tantum arrogo ut me dicam rectius quam alios traduxisse, sed neque derogo labori meo, qui non sensim ut multi auctorem sim secutus, sed historiam scripserim ut absque fastidio legi queat. Carolum are-

(1) Haec a nobis edita fuit epistola in proximo volumine p. 621.

tinum, virum nostrae aetatis doctissimum, scriptum est mihi dixisse laudare se licentiam quam sumpserim in traducendo. Ceteroqui res quaedam inepta satis fuisset.

De principe, ad quem scribitur, quod ais, aliis in litteris (1) quas ad te nondum misi, causa redditur eius inscriptionis, quas adhuc compressi veritus malitiam multorum, qui odio bonos habent. Et principes fere omnes plus detractoribus, quam ratio ferat, aures et assensum praebent. Sed tamen cito edetur. Quod compendium tuum, quod elegans est, quidam in principio operis addi cupiunt, non est meum praescribere aliis quid sint acturi. Sed multa exemplaria emanarunt ad Gallias, ad Hispanias, ad Italos, absque hac adnotatione. Ego summe laudo illam, sed rectius in fine, si qui velint, libri quam in principio meo iudicio collocaretur. Tu tamen ut libet adscribas. Scripseram iam dudum has litteras, sed oblivione factum est quo minus destinarentur. Litteras, quas hodie a te accepi, illarum iam oblitteratam memoriam ingesserunt. Tuis non respondeo, nisi mihi admodum placere quod Xenophon a viris doctis laudatur; ut operam meam non perisse, maximae sit consolationi. Tu vale, mi Petre, et me ama. Romae ·X· kal. iulias.

LXXIX. VIRO INSIGNI PETRO THOMASIO VENETO.

Satis miror, mi Petre, cum in prohoemio Xenophontis nostri monuerim lectores, ut favere magis quam detrahere nostro labori vellent, tamen reperiri nonnullos qui iniqua interpretatione quae a me dicuntur carpentes, liberalis atque honestae exhortationis oblivisci malint, quam parcere studio detrahendi. Id enim, quod actum est, praevidi fore quosdam qui quod imitari non possent, lacesserent obloquendo. Sed memor sententiae Ciceronis, qui ait nil sapientem praestare debere praeter culpam, contentus mea conscientia qui nihil scripserim in eo prohoemio quod merito possit argui, pluris faciam innocentiam meam quam stultam illorum dicacitatem. Nulla enim ratione moventur, sed quadam calumniandi fiducia quae semper a bonis viris est reprobata. Sed quid est per Deum immortalem in illo prohoemio, quod apud vel doctos vel aequos iudices mereatur correctionem? Numquid ego primus, qui principes etiam non bonos laudarim? Numquid primus qui opus meum alicui inscripserim cum eius amplitudine et dignitate? Non est opus exemplis, quae permulta sunt in re manifesta. Lege poëtas, hi- C. I. 151.

(1) Sequente nimirum epistola.

storicos, cuiusvis generis scriptores: plures reperies in horum laudibus, quibus sua scripta dicarunt, modum ultra ipsorum merita excessisse. Ipse Cicero multos in suis causis laudavit minime laudandos: nonnullos manifesti criminis reos defendit: quosdam cum laudasset, postmodum culpavit: alios cum antea improbasset, defendendo commendavit. Alter laudibus extulit Dionysium tyrannum, Platonem vituperavit Ita enim fert hominum natura, ut occultiora sint crimina quam virtutes, propterea quod virtus in promptu habetur, et si quid recte agimus, commendari et celebrari plurium sermone volumus: vitia non item deteguntur, sed tractantur occultius, et saepius sub alicuius virtutis aut iustitiae velamento. Praeterea boni qui habentur, facile ad vitia labi possunt; malis difficilior est aditus ad virtutem. Sed nos ad laudes propensiores ipsa bene vivendi institutio debet efficere. Isti vero nescio qui curiosiores quam ferat ratio, nunquid laudandi libertatem etiam servis concessam pro suo arbitrio auferre scriptoribus volunt?

Atqui credo sapientis extitisset viri non commendare eum ad quem librum eram missurus. Nam cum mihi princeps quisquam deligendus esset, ad quem boni principis gesta destinarentur, erravi forsan in selectione hominis, sed nullum adhuc nosco, cui non desint multa, si ad quadram vitam hominis metiamur. Sed fuerit error: at is quidem nulla mea culpa accidit; sed famae multa persaepe mentientis, sermonis non solum vulgo sparsi, sed prudentium virorum qui illum variis laudibus extollebant, et iustum principem, perhumanum, liberalem, doctum, doctorumque hominum studiosum praedicabant. Motus sum fama et verbis eorum, quibus fidem habebam: steti non meo iudicio, sed reliquorum: dixi quae aliqua ex parte vera credebam. Nullus tunc error extitit. At exortus est postea quam coepit esse hostis: is non meis laudibus, sed illius ambitioni et imperandi cupiditati est adscribendus. Atqui antea in eius laudem edideram epistolam, ut mea fert opinio admodum copiosam et a multis comprobatam (1). Quibus in rebus si modum excessi, morem tamen priscorum virorum eloquentium sum secutus: neque in eo, ut videor, culpam recognosco. At is postmodum inimicus patriae evasit: id praeter opinionem cecidit non solum meam sed omnium qui sapere videbantur. Multis in locis apud populum

(1) Edidit hanc ex codice lucensi Mansius in additamentis ad Miscell Balutii T. III. p. 154. Quae autem ibi fit p. 156. lacuna . . . *natura*, unico vocabulo ea expletur ex cod. vat. p. 136. *duce natura*.

et in senatu summis laudibus atque honoribus extulit Octavium Cicero. At is postea hostis reip. factus Ciceronem ·M· Antonio prodidit, rem omnibus saeculis detestandam. Non poteram divinare futura, quae procul ab omni ratione vidimus consecuta. Quis credidisset illum contra nos tam impie arma sumpturum? Erat tunc amicus, Florentinos omni benivolentia se amplecti ostentabat, nulla erat exorituri belli suspicio, cum nulla esset causa cur oriretur. Videbatur tunc ornandus non solum propriis laudibus, sed etiam alienis. Nulla igitur nota inest prohoemio, si paulo uberius laudes illius continere videtur.

Sed quam inique suam illi expiscantur detractionem! Scribis (in quo illorum prudentiam requiro) me invitare principem illum ad vindicandum sibi imperium violandamque remp. nostram. O vanos ac perversos interpretes rerum! Numquid horum aliquid vel tenuissima suspicione ex verbis prohoemii quis expiscari aut interpretari potest? Recense verba, et videbis quantum distent ab illorum sententia vel potius praevaricatione. Sed quid a me, oro, dicitur? Primum ad eum id opus scribi tamquam ad illum qui Cyri vitam et gesta sit maxime imitatus. Hic nulla belli cohortatio est, nulla ne parva quidem significatio arma contra patriam sumendi. Nam si imitatus esset Cyri gesta, ab armis impiis abstinuisset. Scripsi insuper parem esse utriusque virtutem: at neminem virtus ad mala facinora impellit, neminem ad iniqua hortatur bella, nemini non recte agendi causam subministrat. Addidi praeterea eum libertatem, iustitiam, humanitatem, reliquasque animi dotes suas in Cyro legendo recognoscentem, corroboraturum se in illis, ac consideraturum quantum boni virtus imperantis mortalibus ferat. Et haec gravissima est sententia, et virtutis incitamentum, ut pie, iuste, sancte, et cum virtute vivat. Dico etiam multarum gentium remp. eius sapientiae creditam, si ita egerit, beatam fore. Ne hoc quidem ad aliena occupanda aut ad aliquod scelus hortatur; sed monet ut talem se praebeat, qualem requirit optime imperantis officium. Unde igitur isti nimium perspicacis aut crassi potius ingenii (ita enim in tanta perversitate dicendum est) eliciunt vel somniant potius a me esse ad bellum inferendum nobis illum principem irritatum? Atqui si reliqua mea scripta norint, me satis apertum in dicendo perspicient, sive laudes cuiusquam sive vituperationes velim complecti: ut parum interpretationis sit necessarium ad eliciendam sententiam verborum meorum. Misi Xenophontem Florentiam, plures illum viderunt, nemo inven-

tus est cui in mentem veniret bello quod nobis infertur, meum prohoemium causam praebuisse. Et tamen non habentur Florentini durioris ingenii, non pinguioris Minervae quam reliqui

Quis enim tam praeceps esset ad iudicandum, tam tardi sensus, tam somnolenti, ut crederet a me hostem patriae contra nos incitatum, aut illum meo libro permotum tantum bellum suscepisse? Aliis rebus, aliis de causis ductus est · magis eum impulit ambitio, spes a nonnullis iniecta, tergiversatio ac tarditas quorumdamque inanis exhortatio ad dominandi cupiditatem, quam prohoemium meum in quo nulla nisi de boni viri officio et virtute fit mentio. Magna est profecto istorum nescio quorum et nimis vana superstitio, qui quod expresse a me dicitur, se fingant nescire; quod non dicitur, halucinentur. Quomodo enim mea verba in eorum sententiam possunt induci? Comparare hunc hominem Cyro, ad illius virtutum imitationem cohortatio est. Si enim dicta factaque Cyri advertet animo, intelliget Cyri sententiam esse, nullum iustum fore bellum, nisi quod aut pro tutandis sociis iniuste oppressis suscipiatur, aut pro iniuriis propulsandis; quorum nihil in hoc nostro bello reperitur, sed illud a quodam dominandi impetu susceptum est. Nam quod ais me non ausum nominare principem vel verecundia vel timore, non recte ariolantur, neque divinandi ut video artem callent. Utrumque enim falsum est: nam et expressi nomen in libri titulo ac prohoemio, prout liber a me missus continet; et postea non timore neque pudore, sed odio et indignatione motus quod videbam illum hostem palam factum patriae, et beneficium meum sentiebam me non recte neque penes gratum virum collocasse (nam benefacta male locata, malefacta sunt) nomen delevi ex ceteris exemplaribus, ut cuivis bono regi vel principi dicatum fuisse opus intelligere homines possint. Et ut videas quae de illo mea postmodum fuerit sententia, mitto tibi exemplum duarum epistolarum, quas Bartholomaeo Facio rerum illius scriptori destinavi, et exemplar insuper epistolae quam scripsi nuper ad Iohannem Vayvodam hungarum, in qua non tantum nitor extollere qui bellum infidelibus inferant, quam detestari qui contra Christianos iniusta causa bellantur.

Illud vero ridiculum, quod extimant meis verbis reddi suspectum Pontificem totamque curiam, quasi illi praesidia praestent. Somnium quippe est prioribus simile. Non sum scrutatus aut secutus Pontificis animum, sed eo inscio prohoemium feci, neque huius tempore, sed Eugenii, et ante huius nostri assum-

ptionem liber destinatus. Sed numquam deerit non recte sentientibus occasio calumniandi. Nonne erubescunt suspicari atque opponere id futurum fuisse, quod aperte videtur non esse factum? ut aut summa inscitia male interpretandi, aut iniquitas et calumniandi studium in eorum verbis deprehendatur. Palam est enim omnibus, neque publice neque clam illi aliquod a Pontifice auxilium in hoc bello subministratum, sed acta omnia et quaesita quae ad pacem et concordiam pertinerent. Sileant ergo, et detractioni parcant, qui aut nimis sapere, aut divinandi artem profiteri volunt; et legere mandareque memoriae potius meas monitiones studeant, quam quae a me recte dicuntur carpere.

Quod vero suades ut prohoemium corrigam, in hoc non obtemperabo tuo consilio, quod licet a bono animo intelligam proficisci, tamen neque rectum neque honestum videtur. Nihil est enim in eo quod a docto aut bono viro sit alienum. Et id quoque, si cuperem, sit impossibile: adeo iam apud multos liber diffusus est, quorum nemo adhuc fuit qui aliquid eiusmodi sit suspicatus. Sicui id non placet, non legat, et perinde erit ac si non esset. Partitionem non placere nonnullorum superstitioni non miror, cum etiam hodie quidam sint quibus Cicero ipse displiceat. Siqui sint stomacho fastidiosiori, abstineant a cibo qui appetitum sit turbaturus. Ego, ut Lucilius olim a Cosentinis et Tarentinis sua legi voluit, ita mea non ab istis delicatis qui mediocria fastidiunt, tractari postulo, sed ab iis qui sine nausea rusticiores dapes degustare sint soliti. Neque vero quemquam invitum ad legendum quod non probet compello: legat quilibet, quod probet; quod improbet, reiciat: voluntarios lectores postulo, inviti aliis vacent: me mea inscitia contentum sinant. Hoc scias velim, me non solere moveri vocibus imperitorum, aut vulgi opinione mutare sententiam in eo quod recte constitutum videtur. Doctorum virorum verbis et monitioni parerem, eorum praesertim qui ratione amicitiae ducerentur. Sed haec hactenus. Epistolam quam significas expecto; cum venerit, excipietur amice. Xenophontem, cum transcriptus erit, mittas oro ad peritissimum iuris consultum dominum Franciscum de Aretio, qui est Ferrariae. Vir sane doctissimus omni genere doctrinae est, et eloquentia singulari: ibi legit publice, et est consiliarius Marchionis. Vale. Romae.

Poggiana Cyri paediae latina interpretatio numquam typis impressa videtur, ut recte animadvertit Bandinius Bibl. laur. lat. T. II. p. 352; sed italice tantum lucem vidit Iacobo

Poggii filio interprete paterni operis. Bandinius tamen loc. cit. latinum prohoemium Poggii patris vulgavit, de quo in his ad Thomasium litteris tot verba auctor facit. Sed quia idem Bandinius partes aliquot, compendii causa, ex eo prohoemio subtraxit, inter quas laudem, qua sub eius finem Alphonsus ornatur, placet mihi particulam illam, quam tantopere Poggius superiore epistola defendit, heic exhibere; praesertim quia tam ingenti pretio eam rex (teste Vespasiano in Poggii vita p. 551.) ab auctore olim redemit. Sic ergo in codice vaticano, post verba sum potitus *in quibus Bandinius desinit, pergit Poggii prohoemium.*

Ceterum consideranti mihi res gestas moresque optimi per omnem aetatem principis, similem quoque virum ad quem recte destinentur exposcere (contraria enim non facile coëunt) tu mihi, Alphonse rex praeclarissime, occurristi cuius nomini hoc opus inscriberetur, tamquam eius qui Cyri gesta et vitam sis maxime imitatus. Et sane non minor tua quam illius laus, quamvis minori sita imperio, censenda est; cum ferme par sit tum domi tum foris utriusque virtus. Itaque humanitatem, liberalitatem, iustitiam, ac ceteras animi ingeniique virtutes tuas in illo recognoscens, confirmabis te in eis, considerabisque saepius quantum imperantis virtus boni mortalibus ferat. Certe haec legens efficies, quod tua sponte institueras, ut multarum gentium resp. a Deo tuae sapientiae credita, beata ac felix tuo dicatur merito, cum et a sapiente, et eo qui sapientes colat ac diligat, gubernetur.

LXXX. VIRO ORNATISSIMO PETRO THOMASIO PHYSICO.

C. f. 170 b. Post reditum meum ad curiam, reverendus pater archiepiscopus spalatensis reddidit mihi litteras tuas, quae fuerunt mihi summae iucunditati, et simul orationem a te habitam coram imperatoriam statuam nomine physicorum. Respondebo primum litteris, deinde de oratione dicam. Molestum fuit mihi non fuisse tibi tradita opuscula, quae ad te miseram per Porcellium neapolitanum, qui in eo abfuit ab officio boni viri et compatris fide. Sed quid de eo homine actum sit, ignoro; nihil enim de eo sensi postquam abiit a nobis. Verum nunc per archiepiscopum mitto duas orationes quas scripsi contra dementiam Laurentii Vallae, ad utramque iurgiis ab eo et conviciis provocatus, ut necesse fuerit respondere. Eius responsionem ad priorem meam non scribo, quia tribus libris perlongis in me invectus est in-

concinne, inepte, absurde, ineleganter, ut non vacet tempus eas nugas etscribi faciendi. Dialogum meum nescio an videris: illum ad te per Porcellium mittebam: curabo ut describatur, quo ad te destinetur Sunt in eo quaestiunculae tres; prima, cui gratiae debeantur agi, convivis ne an illi qui ad convivium vocarit: secunda, quae sit ars utilior ac excellentior, iuris ne civilis scientia, an medicinae: tertia, latine ne prisci Romani vulgo loquerentur, an esset distinctus sermo doctorum hominum a vulgari. Orationem tuam legi diligentius propter eius elegantiam et auctoris dignitatem. Sed laborem sumpsisti inanem loquendi apud esurientem ventrem, qui aures non consuevit habere. Functus es tamen officio docti et eloquentis viri, quod magis tibi sit quam illi futurum ornamento. Ego quoque excuderam nescio quid, ut id filius meus adolescentulus referret: sed videns postea non imperatorem sed stipitem quemdam plumbeum, in quo nihil esset praeter studium cumulandae pecuniae, nolui et mihi et illi molestus esse. Eam tamen orationem dedi archiepiscopo ad te deferendam. Tu leges, si videbitur, non enim omnino insulsa est. Vale mei memor. Romae, die ·XX· novembris.

LXXXI. GUARINUS VERONENSIS (1) SAPIENTISSIMO VIRO D. POGGIO FLORENTINO S. P. D.

Pungor interdum, me stimulante conscientia, quasi negligentiae ac socordiae reus, quod tam diuturno erga te silentio teneor, et quasi amore sopito relanguere litteras sinam, quas tibi frequentes uti primitias templo cuidam offerre deberem, in quo renascentis et pristini saeculi floret ac viget eloquentia virtutisque thesaurus, et nostrorum quidem aequevorum memoria veluti sanctae quaedam manent reliquiae. Itaque in praesentiarum experrectus has ad te vigilantes dedi litteras testes in te recordationis meae; ut cognitum faciam, licet manus dormiat, non dormire tamen meam in te caritatem ac benivolentiam. Eas cum non minus tibi in accipiendo, quam mihi in dando gratas fore sperem, et compertum habeam pro tua in me dilectione et amore verissimo atque veterrimo, non verebor huius facti mercedem a te postulare, quae danti pariter et accipienti iucunda et honorifica fiat. Quaenam ea sit, paucis accipe. C. f. 218. b.

(1) Vitam Guarini breviter scripsit Vespasianus a me primum in hoc Spicilegio vulgatam, copiose vero libris quatuor Carolus Rosminius, familiaris olim meus, qui et aliis scribendis historiis clarum nomen adeptus est.

Quanta debeam Manueli Chrysolorae, sapientissimo philosopho et divino huius aetatis homini, suavissimo praeceptori meo, ipse mihi sum testis: cui et praesens saeculum et veniens obnoxium vehementer est pro suo in disseminandis ad nostrates homines litteris beneficio; quae certe vel languebant vel expirabant, nisi Manuelis, sicut Aesculapii alterius, opera ad salubritatem vitamque revocatae fuissent. Huius gratia meriti cum Manueli triumphales columnas et aureas statuas deberet Italia, atque ita meruisset, parva saltem non persolvere munera vel immemoris vel ingrati videatur esse. Itaque siqua via praestetur nominis perpetuitatem et gloriae immortalitatem homini servare, tuo et quorumdam doctorum hominum auxilio, tento et aggredior; et statuas, si non aureas, at litterarias, illi erigo. Eam ob rem, quia fama est illius immortalitate digni hominis te laudationem olim scripsisse, quem mirifice coluisti et observasti, ad te confugio ut eius mihi copiam facias, et siquam ab alio conscriptam habes. Nam collegi quasdam unum in corpus epistolas (1), quibus quantum datur, posteritati vir ipse commendetur: ut si corpus obiit, ipse tamen gratorum hominum officio vivat, legatur, ametur, observetur, et per amicorum scripta duret in saecula. Vale decus meum. Ferrariae .XXVI. maii .M CCCC.LV.

LXXXII. GUARINO VERONENSI V. C. (2)

C. f. 219. Merito accusas, mi Guarine, taciturnitatem nostram qui tamquam infantes ita raro inter nos litteris colloquamur. Non hanc amicitiae tamquam oblitteratae culpam esse reor, sed senectutis quam natura ipsa effecit in omnibus rebus tardiorem. Credo tibi usu idem evenire quod mihi, ut libenter otio fruar, potiusque legendi quam scribendi labore delecter: ut licet senectus soleat esse loquacior, scribendi tamen molestiam effugiat. Nulla oblivio amicorum me tenuit unquam, quos semper animo complector. Quod si cuius in mentem venit, tu primus es cuius memoria versatur in animo, ad quem saepissime etiam inter legendum mentem revoco, considerans ex tot egregiis doctrina et eloquentia viris, qui in illa nostra antiqua academia versabantur, te solum superesse nobis, quocum tamquam altero

(1) In appendice ad Guarini vitam sermo fit de Crysolorae epistolis aliquot (immo et una graece vulgatur) quarum tamen cogitata a Guarino collectio evanuisse videtur.

(2) Respondet Poggius tum praecedenti epistolae, tum etiam illi eiusdem Guarini quae edita fuit in appendice florent. ad Poggii vitam p. LIII.

me, hoc est cum amico, loqui possim. Acquiesco autem in tui recordatione, de quo saepius advenientes percontor, investigans de valitudine tua deque liberis rebusque ceteris, quibus meae non sunt mihi cariores. Silentii nostri causam, ut de aetate sileam, praebere videntur nostrae occupationes. Scio tibi multorum curam esse, quae tuum animum distrahunt a scribendo. Mihi quoque praeter privatas res, multa publice incumbunt, quibus plurimum temporis impertiendum est. Si quid vero superest otii, id legendo scribendoque consumo. Volo enim, si possit, aliquod extare monumentum studiorum meorum, quod mandetur posteritati. Iam enim, ut inquit Varro, sarcinulae colligendae sunt, et de altera vita cogitandum. Hoc idem a te fieri intelligo: cognovi enim ex tuis litteris te Strabonem facere latinum, quem an absolveris, ignoro. Pergratum mihi feceris, si non solum quid egeris scribes, sed si miseris quod egisti: summe quidem desidero id opus legere, quod esse egregium perhibetur.

Quod scribis audisse te, me laudationem clarissimi quondam viri doctissimique Manuelis Chrysolorae nostri scripsisse, vellem id verum esset; sed nil me esse molitum, coniecturam debes sumere ex mea in te benivolentia, quae nullo pacto te celasset laudes illius, quem habuisti non solum praeceptorem praestantissimum, sed optimum morum et vitae magistrum. Laudassem illum cum defunctus esset Constantiae, ego autem otiosus essem, si licuisset per Cincium romanum eiusdem discipulum, qui eius laudandi munus sibi desumpsit. Ne autem ille existimaret, me diffidere ingenio eius, tacui ne viderer velle laudem ipsi celebrandi magistri sui funus praeripere. Sed et ipse nihil edidit, et mihi scribendi sustulit facultatem. Libentius profecto Manuelis quam Cardinalis florentini (1) laudandi tunc officium sumpsissem; uberior enim dabatur in laudibus ipsius vagandi campus. Nam et patria (2) complectenda erat, de cuius laudibus infinita paene enarrari possunt, doctrina singularis, et eius viri eximia in omni genere virtus, et tum mores probatissimi, tum castissima vita: utilitas praeterea quam latinis litteris attulit, quae ante eius adventum mutae, mancae, debiles videbantur. Excitata sunt eius ope ingenia ad graecarum litterarum studia, quae magnum doctrinae lumen nostro saeculo

(1) Extat iamdiu impressa poggiana laudatio Francisci Zabarellae Cardinalis florentini.

(2) Videlicet Constantinopolis. Porro ut heic Poggius, ita Vespasianus in diversis doctorum virorum vitis, Chrysolorae laudes praedicat.

attulerunt. Tum ad eloquentiam commoti sunt multi, in qua pristinum fere dicendi ornatum recuperatum videmus. Haec tot tantaque in eum virum congesta amplam laudandi materiam praebuissent. Hoc idem in morte clarissimi viri Antonii Lusci contigit, cuius laudationem cum me scripturum professus essem (et iam scribere coeperam) Cincius quoque se id omnino destinasse dixit, quasi aegre laturus si quid a me scriberetur. At et ipse tacuit, et me reddidit mutum. Alios tamen postea in funere ornando laudavi, pro quibus scriptae extant orationes. Quod Manuelis epistolas in volumen coëgeris, recte fecisti aliquam referre ei gratiam, a quo effectum est ut in omnes gratissimus esse posses. Habes epistolam longam, sed traxit me tecum loquendi voluptas. Est quoque mos, ut qui diutius siluerint soleant esse cum coeperint verbosiores. Vale mei memor.

LXXXIII. GUARINO SUO V. C.

C. f. 154. Laetor, mi Guarine iucundissime, placere tibi Xenophontem nostrum, et meum laborem a te in ea traductione comprobari. Nunc est ut neque susceptae curae paeniteat, et existimem opus illud aliquo in pretio apud Italos fore, cum iudicio viri aetatis nostrae graecis latinisque litteris doctissimi videam adeo laudibus efferri. Suspensus equidem eram animo, quae eruditissimorum virorum de meo ingenio existimatio esset futura: et cum scirem vitio hominum multos ad detrahendum paratos, in libro autem a me traducto et verba et sententias pensitatum iri ab iis qui acriores in censura aliquando existunt quam causa postulet, pendebam animo quorsum opinio hominum esset propensior, ad laudem ne an ad vituperationem. Nunc tuo Franciscique nostri iudicio et sententia confirmatus, et ipse quoque existimare incipiam aliquid esse ea quae a vobis commendantur. Quamvis enim multum a vobis tribui vestro in me amori sentiam, et quae re sunt tenuiora, verbis extolli, tamen aliqua ex parte vos veritati arbitror testimonium ferre. Tuae vero laudes, mi Guarine, mihi iucundissimae sunt; quoniam ea laus pondus habet et maximi extimanda est, quae a bono laudatoque proficiscitur viro. Ii soli sciunt quid et quatenus sit laudandum. Ceterorum, et vulgi maxime, quod raro recta sentit, levis est et nullius extimationis videtur digna, ut quae non suo pendeat arbitrio sed alieno.

Ego hunc librum aggressus sum olim postquam Eugenius pontifex ad Urbem rediit, hortante atque impellente eo quem

nunc pontificem habemus, virum ut scis omni litterarum genere praestantem. Dubitabam id onus sumere, quod videbam multos viros doctissimos neglexisse; sed sciens quod labor omnia vincit improbus, et fortes a fortuna adiuvari, coepi rem quae ut verum fatear praeter cogitatum evasit. Et ut olim gratum Deo munus mulieris fuit, quae nummum in templo obtulit, cum amplius non daretur, itidem ego existimavi gratum fore nostris, si facultates meas proponerem, ex quibus qui cuperent possent pro voluntate sumere. Verum haec hactenus. Ego tuis litteris confirmatus prosequar quod coepi; et quamvis multis premar curis, tamen conabor aliquid latinis litteris amplitudinis atque utilitatis conferre, et quoad potero me posteris commendabo. Quod ad filium tuum pertinet, paternam curam studium ac diligentiam praestabo. Obtuli Iacobo Leonissae quicquid in me erat favoris et auctoritatis. Is cum tempus fuerit, meum auxilium imploraturum se dixit, cui nulla in re deero, modo sit quae perfici nostro opere possit. Romae.

LXXXIV. GUARINO V. C.

Cum essem in balneis petriolanis, redditae sunt mihi abs te suavissimae litterae, quibus me rogas ut curem ut problemata Aristotelis, et Hippocratis aphorismi, quos graece scriptos ais hic haberi a quodam viro latinis graecisque erudito litteris, mutuo concedantur praeclarissimo viro Gregorio filio tuo, quem flagrare dicis libris potiundi cupiditate. Mi Guarine, scias velim, nihil esse tam difficile quin mihi facillimum sit futurum ut satis faciam desiderio tuo, praesertim et pro filio et honesta postulante. Debemus certe, etiamsi reliqua desint, acclamatione quadam et plausu incitare discendi cupidos, in his studiis praecipue quae non propter quaestum, sed propter ipsam doctrinam et philosophandi cupiditatem expetuntur. Qua in re summe laudo curam et diligentiam tuam in his libris comparandis, quibus filius tuus vel noster potius prae ceteris eminere inter homines possit. Verum quis libros, quos cupis, habeat ignoro: neque antea de his voluminibus verbum ullum audivi, neque intellexi aut hic esse, aut apud quem essent. Memini iam ferme biennium cum Romae essem, te de problematibus ad me scripsisse quos Pontifex habet, quocum locutus sum diligenter; et ipse benigne respondit se eiusmodi libros tibi concessurum postquam eos vir doctissimus Theodorus Gaza transtulerit, quos iam magna ex parte latinos fecerit: et arbitror opus illud iam C. f. 197.

esse absolutum. Potes rogare Aurispam, ut illos a Pontifice petat, et ad tè curet deferendos. Si tamen me certiorem feceris apud quem virum libri sint, dabo operam ut satis fiat cupiditati tuae. Sed haec hactenus.

Ante quam ad balnea proficiscerer, respondi tuis litteris quibus te purgabas ab iis quae nebulo ille laureatus in te coniecerat, scribens et te et filios tuos nescio quid contra me et loqui et sentire. Quae litterae si, ut existimo, ad te delatae sunt, iudicabis abunde satis factum tibi. Non enim ad Marescalcum id scripsi, ut quicquam crederem aut te aut filios in Poggii tui contumeliam locutos, sed ut refricare possem eo mendacio os illud impudens atque impurum male lascivientis aselli, suamque turpitudinem aliorum pallio tegere cupientis. Sed longe aberrat. Non est nostra amicitia aut ita levis aut ita nova, ut mendacissimae linguae flabello ulla ex parte subverti possit. Vale, mi Guarine, et tuos filios quos non secus ac meos diligo, verbis meis saluta. Haec scripsi postridie quam tener ex balneis redii, neque pedibus neque corpore adhuc satis recte constitutis. Hieronymum tifernatem virum doctissimum meo nomine salvere iube. Florentiae.

LXXXV. GUARINUS VERONENSIS C. V. POGGIO SECRETARIO AP.

C. f. 226. b. Quas tibi quas referam tali pro munere grates? Quodnam autem illud munus laude, fama, decore plenum? Nam cum tantopere me Poggius diligat, amet, carum et intimum habeat, ut nulla temporis intercapedo, nullumque locorum [intervallum] sua me a benivolentia separet, paulumve remittat, idque suis testetur epistolis, quantum immortalitatis nomen ac posteritatis memoriam videor comparasse? Non tacebunt praesentes, resonantius posteri celebrabunt, Guarinum tanti a Poggio fieri solitum, ut ab eo primarius inter amicos et quidem intimos censeretur; a Poggio, inquam, qui praeclaro ingenio, doctrina singulari, virtute plurima, sapientia celebri, eloquentia nobili praeditus hanc ornavit aetatem. Soletis autem vos viri insignes nonnisi probatos diligere quos ametis. Sic tuo ipse splendore fulgebo. Nonne Sulpicios, Curiones, Trebatios, innumerabilesque alios Ciceronis scriptis et familiaritate celebratos videmus? Ita fac, mi Poggi; perge, et meos quoque liberos complectere tuosque habe, ita ut qui mei natura sunt, tua humanitate tui quoque fiant. Vide quantam de te in meos caritate fiduciam ceperim. Est mihi filius inter mares natu minor, Baptista nomine,

egregiis moribus ingenio peracuto, litteris bonis tam latinis quam graecis non alienus. Is nuper ad lectionem horum studiorum publice Bononiam vocatus, sic a me digressus est, ut sicuius libri indiguerit ope, cuius te compotem esse intelligat, tuo in me amore interprete, a tua liberalitate petere ne reformidet, quasi et tu illi pater sis: quod consilium non male a me praeoccupatum praeconceptumque fuisse testaris ipse, qui tuis litteris tam benignis, tam liberalibus, tam denique paternis me, ac filium meum artium et medicinae professorem invitas ultro, ut librum Aristotelis abs te emptum suos ad usus capiat. Is erit ei commodus ac fructuosus si mittere volueris etc. (*Nonnulla heic pertaesi omisimus quae nimiam Guarini verbositatem sapiebant laudandique proclivitatem*). Ferrariae kal. novembris.

LXXXVI. GUARINO VERONENSI V. C.

Aegerrimis quidem pedibus, mi Guarine, venerunt ad me litterae tuae. Nam cum dies kalendarum novembrium in eis adscripta esset, idibus decembris mihi redditae fuerunt. Sed mora effecit illas multo gratiores: expectabam enim in dies responderi mihi, mirabarque virum in litterarum officio admodum diligentem, videri tardiusculum in respondendo, iis praesertim in rebus quibus doctrina excultiores fieri solemus. Sed quo tardius epistola venit, eo iucundior eius lectio visa est, quae plurimum versatur in laudibus meis. Gaudeo, mi Guarine, laudari me abs te viro laudatissimo: pondus enim habent eiusmodi laudationes, neque inanes existimantur, cum ab eo prodeant qui et ipse summa cum laude semper vixerit et omnium commendatione. Scio non mereri me tam exquisitum laudandi genus, meque novi inferiorem esse tua de me praedicatione. Sed nosti suavem hunc esse cibum, quem nullus unquam vir egregius est aspernatus; et nedum recusetur oblatus, sed appetitur ab omnibus fere etiam infimis et conditionis extremae. Non sumus ulla in re vel paululum cum priscis illis comparandi doctissimis et eloquentissimis, quos scimus laudem et gloriam summopere expetisse. Demosthenes ille lumen eloquentiae dixisse fertur, nullam se vocem libentius audire, quam quae suas laudes contineret. Ciceronem scis etiam a Lucceio nobili sui temporis scriptore postulasse, ut consulatum suum litteris mandaret. Video etiam pusillos homines laetari plurimum siquando se laudatos, quamvis immerito sensere. Itaque et ipse quoque, ut cum vulgo stultorum proficiscar, non recusarem tuas commendationes, si paulo par-

eius id egisses. Nam quae a te in me conferuntur, maiora sunt quam pusillo homini convenire videantur. Sed accidit ob singularem tuam in me benivolentiam, ut cum omnia in me congesseris, quae ad praestantem quempiam virum pertineant, ieiunius tamen quam tua ferat voluntas, id tibi egisse videaris. Sed haec hactenus. Librum problematum Aristotelis, de quo antea scripsi, mittam ad te, cum primum nactus ero idoneum portitorem. Eo velim utaris arbitrio tuo, vel transferendo, vel scribendo, vel dono accipiendo quod erit mihi gratissimum. Unum volo: scribas Baptistae filio, id a me tamquam altero parente petat: spem eius et expectationem tuam ipso officio superabo. Loquor tecum libentius et pluribus verbis more senum tamquam cum amico, id est cum eo quocum veluti mecum loqui puto. Vale, et me ama.

LXXXVII. GUARINO VERONENSI V. C.

C. f. 233. b. Tum multis ex rebus, mi Guarine, iudico te esse felicem, tum vero maxime quod filios habes paternae virtutis imitatores; quod tum dono Dei contigit, tum vero domestica institutione, tum etiam moribus urbis (1), in qua adolescentia procul a vitiis eruditur. Maximum est profecto virtutis incitamentum vitam degere cum eis qui non sint a praeceptis virtutis alieni: plurimum enim confert ad suscipiendam optimam vitae normam, quibuscum ab ineunte aetate consuescas, et quorum consuetudine utaris. In nostra autem hac civitate, in tam corruptis moribus, in tanta peccandi licentia, in tam depravata iuventute, difficillimum est adolescentiam enutrire, ita ut non prolabatur saepius consuetudinis culpa. Nulla alibi tanta peccandi licentia pueris adolescentibus quam apud nos permittitur, nullo in loco tanta eius aetatis est virtutis incuria. Habeo filium boni ingenii, aptumque his nostris studiis humanitatis, qui quartum decimum annum ingressus est: bonis est praeterea moribus, quantum aetas patitur, cui opus est non calcaribus sed freno. Decrevi, si id a te impetravero, ut tecum sit biennio cum ceteris, qui tibi domi adsunt, et te disciplinae et morum utatur praeceptore. Certus enim reddor, si a matre et a ceteris domesticis aberit, plurimum ei profuturum et ad doctrinam et ad vitae probitatem. Itaque nisi tibi molestum sit futurum, rogo per amicitiam nostram ut velis habere ipsum domi tecum erudiendum tuis insti-

(1) Ferrariae, qua in civitate liberos domini Marchionis aliosque instituebat in litteris Guarinus.

tutis, quem praeter doctrinam volo tractes ut alienigenam quemdam, non ut filium meum: cupio enim ut discat servire, non praecipere, parere non imperare. Ita enim opus est ut comprimatur fervor et luxuries aetatis tenerae, et ut potius sentiat vitae incommoda quam commoditates, utque ei potius multum desit quam aliquid supersit. Pro impensa providebo ut ceteri consuevere. Hoc ut nostrae amicitiae concedas oro, quoniam id admodum cupio, et nil gratius mihi poteris facere. Non enim ablego eum a me quod malus sit, sed ut inter hanc temporum corruptionem, in qua perdifficile est honestum servare, melior evadat tum scientia tum vivendi integritate. Hac de re quae sit futura tua sententia, mihi rescribas velim: quamquam mihi iam persuasi quid sis responsurus. Vale, et me ut soles ama. Florentiae ·X· kal. iunii.

LXXXVIII. GUARINUS VERONENSIS DOMINO POGGIO V. C.

Habeo tota quod mente petebam: nam cum omnibus votis semper optarim tuae morem gerere voluntati, et aliquod offerri a nobis officium quo intelligeret orbis terrarum nobis idem velle idemque nolle vigere, ecce rem tantopere concupitam, non modo rem tuam sed etiam meam. Nam cum ea sis doctrina praeditus, et polleas sapientia ut iam pridem per cunctorum ora volites, et nominis tui celebritate nostram illustres aetatem; quis non magni me faciet, et me usque in astra tollet, qui Guarinum cernat sic tuo placuisse iudicio, ut ei filium et quidem carissimum moribus et disciplina vel imbuendum vel limandum vel ornandum commendaris? Quo ex facto Alexandri magni venit in mentem, qui de multis aetate sua praeclaris artificibus Apellem et Lysippum ita delegit, quorum alter ipsum pingeret, alter fingeret, ut ceteris valediceret. Id quidem regale iudicium ad utrumque gloria nominis decorandum ita valuit, ut tam illustre facinus posteritati commendatum usque permaneat. Ea in re proverbium ipsum sequi voluisti τὰ τῶν φίλων εἶναι κοινά; ut cum filius creatione tuus sit, cura quoque et ornamento noster fiat: idque eo prudentius constituisti quod eum educationis liberorum non ignaro homini tradere constituisti. Meam demum ne responsionem quasi novam expectes opus est, cum iam saepe pro iure in me tuo vaticineris quid responsurus sim: et non modo meos libens in amplexus filium accipiam, verum etiam immortales tibi grates habeo, qui tanto me locupletes et ornes munere, tantaque accumules laetitia, tamque hi- C. f. 233. b.

larem festumque diem afferas, quem tamquam natalem celebraturus sum. Accedat igitur, bonis ut aiunt avibus. Tuum erit quod ad tempus spectat significare, ita praemonitum ut pro delicatis domesticis epulis inconditas ac semicoctas discat mordere fabas. Vale, meque ac filios meos, iam tuos, ama. Ferrariae ·VI· iunii.

LXXXIX. GUARINO VERONENSI V. C.

C. f. 231. Non dubitabam, mi Guarine, quin mihi de filio quod nostra postulat amicitia, et tua requirit humanitas, esses responsurus; sed verebar non tuam voluntatem, quae iam dudum mihi explorata fuit, sed an id ex tempore et ex tuo esset commodo futurum addubitabam. Itaque me maximo abs te beneficio adfectum puto, qui ita liberaliter, ita summo cum verborum honore, quod optabam ultro mihi detulisti, eaque rescripsisti humanitate, ut gratissimum prae te feras te id a me esse rogatum. Expectabo igitur, quando tua voluntas tam propensa est ad satis faciendum desiderio meo, quoad mihi rescribas quo tempore tibi videatur esse venturus, paulo ne post, an tardiusculc; aestate, an ineunte autumno. Audivi enim suspicionem quandam ex Venetiis ortam, quae res falsa an vera sit multos suspensos tenet. Itaque paucis rescribas oro, ac tuo consilio praescribas tempus quo istô veniendum. Vale, et me ut facis ama, et rescribe, nam libenter admodum lego litteras tuas, rescriboque tamquam cum altero me locutus; quoniam tu solus nobis superstes es ex antiqua doctissimorum schola. Florentiae, die ·XVIII· iunii.

XC. BAPTISTAE GUARINO.

C. f. 230. Recepi nuper a te litteras, quas legi admodum libenter propter earum suavitatem, et meam in te benivolentiam, quamvis amorem dicere debuerim, cum te amem ut filium, tum quia ita requirunt excellentis animi tui dotes, tum propter virtutem paternam, quocum semper iucunda fuit mihi amicitia, neque ulla intermissa unquam offensione, quod mirum nemini videri debet, si consideret quibus ab initiis sit profecta: eam enim veram firmamque amicitiam esse constat, quam optimorum et studiorum et morum similitudo contraxit. Itaque non solum ipsum amo, quem alterum me esse puto, sed liberos quoque eius adnumero inter meos. Te vero praecipue parentis vestigia imitantem omni caritate complector. Hortor autem, ut illius laudem gloriam virtutem non solum imiteris sed superes quoad fieri potest. Inolevit enim opinio quaedam, raro parentum vir-

tutem ad filios transfundi, quae a tua probitate atque industria abolenda videtur, ostendendumque nullum probitatis genus obseptum aut clausum esse volentibus ad animi excellentiam pervenire. Adest tibi ingenium facultas exercitium et paternae cohortationes, ut nemini sit dubium, si ut instituisti progredi volueris, te latinis musis magnum splendorem tua opera allaturum. Unum te, ut iam aliquod ab altero parente munus accipias, pro mea in te singulari affectione, moneo atque hortor, ut studiis doctrinae addas et honesti curam, utque virtutem ducem tibi constituas ad degendam vitam. Inutilis est enim doctrina vitiis inserta, quin potius perniciosa haberi solet: ut nulli dubium sit, obesse studia litterarum in deteriore animo collocata. Haec quamvis te optime scire intelligam, ut a patre optimo viro monitum, neque egentem suasore qui sis bene vivendi rationem tua sponte ingressus, tamen mea interesse putavi a me admoneri te eorum quae te possunt non solum praeclarum reddere sed etiam meliorem. De Donato quod postulas, quaeram diligenter, et si quid reperero amplius quam quod te habere scribis (1), dabo operam ut transcribatur. Quamquam non valde utilis eius lectio videtur, cum versetur in rebus minusculis, quae parum in se contineant doctrinae, eloquentiae minimum. Satis est Servius ad Virgilii expositionem; nam in quo ipse tacet, alii non loquuntur. Vale, et me ama. Florentiae, die XIIII februarii.

XCI. PORCELLIO POETAE LAUREATO. (2)

Ago tibi gratias, mi Porcelli carissime, quod tuorum studiorum partem quandam mecum communicare voluisti. Id fuit mihi gratissimum, tum quia video te memorem esse mei, a quo scis te unice diligi, tum quia summe placet causam latinae linguae a te eloquenter et copiose contra nescio quem insulsum rabulam, ut ais, esse defensam. Nam is mihi homo nequaquam cognitus est, sed rem suscepit odio dignam, neque aptam viribus suis. Cetera quoque adversus dicacem scripta plena sunt gravitatis et elegantiae. Is quoque a me ignoratur. Quare voluissem ut tamquam argumentum scripsisses, quinam isti sint, quos tibi lacessendos suscepisti. Placuissent quidem magis versus et tempori et hominibus accommodati. Credebam te esse Neapoli, nam ubi esses non erat exploratum mihi. Nunc video te esse penes illustrem principem, et suis maioribus dig- C. f. 232.b.

(1) Intelligit lacunas, quae adhuc obsident Donati commentarios in Aeneidem.

(2) De hoc Porcellio poeta, plurimorum librorum auctore, diligenter scribunt Mansius ad Fabricium Bibl. lat. med. aevi, et Zenus in dissert. vossianis T. I.

rum, Sigismundum Malatestam, quem ego unum èt feci et facio plurimi inter egregios viros qui in Italia digni omni laude videantur. Isottam quam refers vellem scire cuia sit, et quae mulier, nam mihi ignota ad hanc diem fuit (1). Id quod te scribis adversus quosdam sycophantas edidisse, avide expecto; sed planum fac ut sciam qui sint isti detractores qui in maledicendo sua studia ponunt, ut maiorem percipiam et ex hominibus et ex tua insectatione voluptatem. Ultimi versus in quibus exprimitur maeror patris ex morte filii susceptus, vellem scire ad quem spectent, nam suavissimi sunt, et dolori paterno convenientes. Scribis incertum esse te an adeas Mediolanum. Non possum tibi in hoc consulere: ut enim ait Socrates cum interrogàretur, an quidam beatus ipsi videretur, nondum cum eo locutus sum, inquit: itidem ego nescio quanti ille faciat Musas, quae inter nostratia arma parum valent. Potes experiri fortunam parvo quidem incommodo. Opinor cum Philelphum et reatinum Thomam secum habeat, scripta tua non aspernaturum. Vale, et isti Principi me plurimum commenda. Florentiae

XCII. DOMINICO SABINO V. C.

C. f. 218. Facilis est tibi in meam familiaritatem aditus, vir eloquentissime, cum sponte mea diligam doctos et praestantes eloquentia viros; non solos quos viderim, sed eos qui mihi tantum sint epistolis noti. Sed vellem cum Florentiam venisti, mecum locutus esses, quo faciliori aditu in nostram consuetudinem mutua benivolentia pervenisset. Habent enim, ut scis, plus roboris verba quam litterae, et maiori animos devincunt caritate. Andivi te publice nescio quid legisse, et tuam eloquentiam doctrinamque ab omnibus comprobatam. Sed quod tunc defuit, resarciamus nunc vicissitudine litterarum. Ego in primis tuum ingenium laudo, et simul approbo consilium a te optime institutum, ut in perdiscenda eloquentiae facultate, non rivulos ut nonnulli insulsi, sectatus sis, sed ipsum eloquentiae fontem, a quo omnis ad posteros dicendi ornatus et copia emanavit. Neque enim eloquens quisquam post Ciceronem fuit, quin illum eloquentiae habuerit ducem et auctorem. Vides Quintilianum, quantum honorem tribuat Ciceroni, quantum illum laudet, quantum extollat, quam verecunde quam timide de eloquentia post Ciceronem se scribere profiteatur. Itaque recte facis, qui non ramulis haereas sed stipiti, in quo robur arboris et fortitudo consistit. Nonnullorum tamen insulsitas et perversitas mentis Quintilianum praefert Ciceroni, qui sinendi sunt in sua stultitia contabescere: pessime quidem existimant, et contraria reliquis sentiendo, se visum iri putant doctiores. Nos rectum iudicium sequi decet, et per eius vestigia incedere, quem omnes prisci lumen eloquentiae existimarunt. Quod me plurimum laudas, non possum dicere non esse gratum mihi, sed parcius id agendum est, in me praesertim qui scio quanti existimandus sim. Novi vires meas, et quam tenues sint atque imbecilles, in dies magis cum eas experior cognosco. Quicquid ta-

(2) Erat haec Sigismundi Malatestae amica, quam Porcellius integro libro poëtico inscripto *isottaeus* celebravit.

men in me est, hoc totum acceptum refero Ciceroni. Quod eligi ad eloquentiam docendam cupis, si quid fiat, quod an fiat adhuc incertum est, adero tibi auxilio et favore, si quis pro te loquatur. Sed sunt nonnulli e nostris, pro quibus ignarus iam intercessi, ut nequirem honore salvo ad alia consilia divertere, hoc est ut auctor essem aliud quam senserim sentiendi (1). Itaque non ducem sed coadiutorem me habebis et testem virtutis et doctrinae tuae, in qua laudanda nequaquam cognosces me fuisse remissum. Vale.

XCIII. ALBERTO PARISIO CANCELLARIO BONONIENSI.

Podagrae culpa factum est ut responderem tardiuscule tuis litteris, C. f. 204.
quibus rogas ut mittam tibi ea quae a me audivisti scripta esse adversus concilium basileense tum Eugenii tempore, tum praesentis Pontificis. Ego dudum dum Eugenius vixit, multa scripsi ad varios principes contra detestandam Basileensium perversitatem: sed cum ad rem publicam spectarent, nihil eorum penes me reservavi. Tempore sanctissimi viri Nicolai pontificis nihil de Basileensibus scripsi; edidi tantummodo orationem quandam contra Amedeum, qui causa schismatis fuerat, et alienam sumptis falsis insignibus invaserat dignitatem, in qua et Basileensium nequitiam expressi, et pontificatum illius sum detestatus. Oratio maiuscula est; si eam volueris, ad te mittam. Redditae mihi sunt ex Bononia litterae a quodam amico, cui fides habenda est, quarum exemplum ad te mitto, ut si Nicolaus redierit, possis illi ostendere, quae etiam de eo malivoli scribant. Vale. Florentiae.

XCIV. IACOBO BRACELLEO IANUENSI V. C.

Non tantum in re parvula, mi Iacobe, sed in maioribus etiam quae C f. 102.
mea cura vel diligentia effici possent, libenter satis facerem desiderio tuo: honesta enim ac laudabilis rerum gestarum cognitio, patriae vero ferme necessaria, iis praesertim qui cum aliqua doctrina et dignitate in sua rep. versantur. Neque est quod parcas occupationibus meis quae nullae sunt: nam si essem occupatissimus, levissima tamen essent quae mihi abs te, qui sum tibi deditissimus, mandarentur. Non autem respondi prius suavissimae epistolae tuae, propterea quod historia illa, de qua tecum fueram locutus, ruri erat. Memoriae autem non adeo confidebam, ut ea auderem pro libro uti. Misi postmodum pro libellis uno et item altero, qui in eandem urbis tuae ruinam consentiunt. Sigebertus monachus gemblacensis, homo curiosus, et ut apud Gallos admodum eruditus, imitatus Eusebium de temporibus, historiam a Theodosio imperatore usque ad aetatem suam (hic est millesimus et centesimus annus) ex variis auctoribus excerptam complectitur. Hunc ego librum cum in Anglia in monasterio quodam repertum legerem, transcripsi nonnulla, quae mihi ceteris praestare videbantur, in quis est, anno nongentesimo et tricesimo quinto Ianuae fontem sanguine fluxisse futurae prodigium calamitatis. Nam eo anno classem ex Africa advectam, urbem cepisse ever-

(1) Confer epistolam XLIX. ad Andream Alamannum.

tisseque internicione omnibus occisis, praeter parvulos ac mulieres, quos cum cetera praeda secum Afri asportarunt. Hoc idem et alter historicus asserit ordinis Minorum ex familia Columnensium, qui diversis ex libris collectam historiam usque ad Bonifacium pontificem contexuit. Accidit autem ea vastitas decimo anno imperii Henrici primi, qui primi Conradi filius fuit (1). In Italia vero, post Berengarium regem interemptum, Rodulphumque qui post eum triennio regnaverat pulsum, regnum tenebat Hugo Arelatensium comes ab Italis accitus. Pontifex erat Iohannes, cui Leo brevi successit centesimus et vigesimus sextus. Neque dux, neque classis numerus exprimitur, sed haud parvis viribus tantam urbem deletam fuisse crediderim. Haec sunt quae de Ianuae eversione didici: quae si tibi faciant satis, est ut gaudeam me tibi rem gratam fecisse. Atque ita deinceps siqua in re tibi mea cura vel studio opus erit, recipio me eam prompto animo diligenterque facturum. Vale mei memor. Florentiae.

XCV. BARTHOLOMAEO GUASCO IANUENSI.

C. f. 102. b. Cum quaererem de te saepius pro mea in te benivolentia ab iis quibus suspicabar te notum et carum esse, intellexi te iam dudum et multo longius, quam tua ferat humanitas, esse apud Corsos gentem feram atque inhumanam. Mirabar cum sis homo nostris studiis, hoc est humanitatis, ab ineunte aetate deditissimus, quid sibi vellet tam diutina mora in tanta barbarie hominum, quibus imperare, nedum praeesse, miserrimam servitutem putarem. Sed existimo te inter illos Corsos versari tamquam apes inter dumeta, ex quibus mel colligunt ut compleant alvearia. Hoc si es animo in ea quae tibi demandata est praetura, propositum tuum laudo: quamquam non censeo aliquid pecuniae solius gratia esse agendum (abiectissimi enim est et hominis et consilii nummis ac quaestui deditum esse) sed hoc dico, leviorem effici provinciae molestiam lucro quod proponitur laboribus nostris, praesertim si tale est quod possit loci incommodum reddere lenius. Id esse solet optimum levamentum aegritudinis animi. Attamen quaecumque causa te detineat, honestam illam ac necessariam puto: neque aliquid a te fieri iudico, nisi optima ratione et consilio singulari. Scripsi haec ad te non ut reprehenderem quod rebus tuis conducere arbitraris, sed ut elicerem causam loquendi tecum. Ego tuus sum. Vale. Florentiae ·XV· kal. aprilis.

XCVI. IOHANNI BARTHOLOMAEO V. C.

C. f. 217. b. Scribis ad me perhumaniter, te studio eloquentiae deditum et latinis et graecis litteris operam pluribus annis impendisse. Qua in re tua studia multum tibi ad dicendi facultatem contulisse video. Cum autem legeris apud Ciceronem nostrum non posse evadere eloquentem, nisi fuerit in disciplina philosophiae versatus, cupis sequi consilia Ciceronis; deterrent te autem traductiones semibarbarae, quae sunt ab omni dicendi

(1) Sane Conrado I. successit Henricus I, non tamen filius illius erat, sed imperii factus heres.

ornatu alienae, adeo ut ipsum fontem eloquentiae possent extinguere. Vereris ergo ne cupiditas perdiscendae philosophiae eloquendi copiam eripiat: necesse est enim, ut qua quisque arte exerceatur, eius teneat verba, utaturque inconcinnitate quadam subbarbara omnis experte eloquentiae. Petis igitur a me consilium, quid existimem agendum tibi. Sed difficile est, mi Iohannes, sententiam eius ferre artis, quam quis ignorat. Ego facultatis dicendi sum ignarus, et philosophiae ars a me abest. Tamen ut homo senex, qui multa audivi, nonnulla legi, hoc suaderem et tibi et ceteris, qui bonis artibus et studiis humanitatis incumbunt, ut primo omni cura et diligentia dent operam latinis litteris, et Ciceronem legendo conterant, itaque se in legendi scribendique usu confirment, ut non sit eis timenda oblivio praeceptorum Tum se ad philosophiam conferant, ut ornatum orationis philosophorum sententiis illustrent. Tantum tamen philosophiae tempus impendant, ut eloquentiae studia non intermittantur. Quamquam et tibi et aliis, quibus graeca facundia nota est, perfacile vitari poterit absurditas translatorum. Ex ipso enim Graecorum fonte philosophia haurietur ab iis qui graece norunt, quorum lingua nostra est copiosior. Quod tuam erga me benivolentiam prae te fers, est mihi maiorem in modum gratum: nihil est enim iucundius quam diligi a plurimis praesertim bonis et doctis viris, idque summae laudi dandum puto. Ego te absentem amico complectar animo, et te diligam propter aetatem ut filium mihi carissimum, quem hortor ad prosequenda quae coepisti studia litterarum. Vale, et me ama. Florentiae ·XXI· maii.

XCVII. ANDREAE SUO V. C.

Quod valeas gaudeo, et ego quoque valeo. Vellem apud me esset liber quem petis; nam tibi praesto esset et is et quicquid librorum habeo. C. f. 158
Sed ex Plutarcho solum habeo eorum virorum gesta, quae Leonardus aretinus interpretatus est, et id volumen Florentiae est in sancta Apollonia, ubi reclusa est portio quaedam librorum meorum. Itaque tibi hac in re satis facere nequeo. Doleo te alterum fratrem amisisse, et in te omnem rei domesticae curam esse conversam. In omnibus gratias Deo agere debemus, qui solus novit quid nobis sit profuturum. Tum dies tum prudentia et leniet dolorem fraternae mortis, et rebus gerendis consilium dabit. Interim animis opus est et pectore firmo. Et recte quidem facis, ut quod solum aegritudinum animi remedium est, ad litterarum studia transferas tuas cogitationes in quibus alitur animus, et oblivio sequitur dolorum praeteritorum.

Blondum reverti ad curiam non miror; et cupidus enim est quaestus, et destitutus a spe, quam amplissimam sibi proposuerat ex alterius amplitudine, quae sibi certa futura videbatur. Sed res curiae ita tenues existunt, ut haud magno cum lucro et summo cum incommodo sit ibi futurus. Pontifex est Fabriani, quo ingredi nemini licet, nisi magna ex causa, et cum unico famulo. Aurispa ibi est solus cum solo, et abire cupit: absque lucro est enim et nullo cum emolumento: nam quicquid

est, ad principem apostolorum defertur. Curia huc usque fuit Interamnae, nunc puto sit Gualdi, haud amplius septem miliaribus pessimae viae a Fabriano. Multi ad terrena, nam de caelestibus dubito, transierunt, et in iis scriptores et abbreviatores plurimi, aliique haud ignobiles curiales diversis locis ad quae confugerant vitandae pestis gratia. Pontifex nondum statuit an Fabriani sit diutius futurus; capiet enim consilium ex tempore, et aliorum valitudine. Huc usque Scytharum more vagus fuit; ex quo ita dissipata est curia, ut his tribus annis non redeat in pristinum statum et decorem. Discessit a me nudius tertius Ianninus Ballistarii cursor, qui me invisit, narravitque et Pontificis et curialium statum, qui ita me terruit ut abiecerim omnem ad curiam redeundi cupiditatem: quod ipsum omnes amici mei, qui sunt apud Pontificem, verbis Iannini suaserunt mihi. Nolo me obicere vitae discrimini, nedum nullo, sed ne magno quidem proposito lucro. Stultum quippe est parvo emolumento maximum periculum adire. Nolo ulla quaestus cupiditas me ad vitae periculum impellat. Itaque decrevi quoniam hic aërem habemus salubrem, tamdiu expectare, quoad et de vita non sit dubitandum, et curia certam habeat sedem. Tu si itidem facies, recte consules et tibi et tuis; quod ut facias, suadeo. Vale, et me ama. Ego hic cum amicis meis, hoc est libris, qui me aliquid sapere docent, me oblecto, vacoque ad corrigendum Diodorum, quem iam latinum feci, opus dignum omnium lectione. In Terra nova, die ·XII· augusti ·M·CCCC·XLIX·

XCVIII IOHANNI LUCENSI.

C. f. 124. Redditae mihi sunt tuae litterae, in quibus me laudas ob orationem, quam edidi in commendationem viri clarissimi Leonardi aretini. Ego an laudanda sit, nescio. Mea mihi non admodum placent, cum priscorum eloquentiam considero: cum vero nostros intueor, est ut videar non omnino insulse scribere, licet a multis superer facultate dicendi. Quocumque tamen animo mea extimentur, praestare volui debitum nostrae officium amicitiae. Ita et Nicolaum quoque meis litteris laudandum sumpsi: ita et Laurentium de Medicis, quibuscum mihi summa vitae coniunctio et amicitia fuit. Eodem modo et Cardinalem sanctae Crucis, cuius virtus cum admodum celebris fuerit, cum me ut filium dilexerit, non fuit a me eius virtutum commemoratio omittenda. Cum enim in vita functos nil muneris conferre possim, hac saltem re visa est celebranda paulum eorum memoria qui mihi carissimi extitissent: quos etsi eloquentia ornare difficile fuit, mihi praesertim qui tardior sum ingenio, tamen pietatem praestitisse mihi videor, ut quos in vita colui ac dilexi, mortuorum quoque habuerim rationem. Sed de oratione hactenus. Epistola tua mihi admodum placuit, est enim scripta eloquentissime. Epitaphium probo, sed ut laude dignior soluta videatur oratio quam metrum: quamquam enim in utroque excellas, oratio tamen ornatior videtur atque eloquentior. Habes iudicium meum. Ego tibi gratias ago quod ad me scripseris: video enim te virum doctrina scribendique elegantia praestantem, et merito eloquentium numero adscribendum. Itaque

complector te animo et benivolentiam polliceor. Quod meorum scriptorum dicis te conquisitorem sollertissimum, est mihi gratum mea tibi placere. Sed vide ne operam perdas. Nam quantulum mea sunt extimanda? Ad alios confugias oportet, qui et doctrina praestant et eloquentia; nam mea vulgaria sunt, et a rudi homine profecta. Ego tuus sum. Vale, et me ama.

XCIX. PETRO GAMBACURTAE.

Cum essem in Terra nova, loco originis meae, recepi a te litteras eleganter scriptas et summa cum humanitate. Sed quia pauculos dies ibi fui pluribus rebus occupatus, respondendi tempus nullum fuit. Nunc reversus ad curiam, plus ocii nactus rescribere volui, ne me superbum aut insolentem putares, et simul ut te hortarer ad ea studia, hoc est humanitatis, in quibus video te admodum profecisse. Laudo ingenium tuum, mi Petre, laudo studia eloquentiae tua, quibus vacas; laudo prudentiam, qua id doctrinae genus elegisti quod te possit reddere meliorem. Cetera quidem quaestus et lucri gratia appeti videntur, ut nil aliud in eis quam ipsa utilitas requiratur. At vero elegantiae et humanitatis facultas propter se ipsas expetuntur: etenim nos ad virtutem instituunt, docentque, illius causa et ut meliores fiamus, se esse appetendas. Verum si ea doctrina suos possessores illustrat, maxime tamen illos claros efficit, qui eo loco nati sunt, ut latere non possint. Es ex familia nobili ac praeclara, quae quondam primaria habita est Pisis, et multos viros excellentes tulit. Es iis ortus parentibus, qui tibi lumen praeferant ad vivendum. Sed plures contenti maiorum nobilitate et fama, litteras et doctrinam contemnunt, venandique aut aucupandi exercitio occupati, satis se agere existimant si more insanorum feras aut aves sectentur: quos ego ignobiles iudico, et magis somno et otio quam vigiliae aut negotiis accommodatos: qui vivant ne an intereant, parum inter homines refert. Tu vero praestanti animo et ingenio elato addens maiorum nobilitati doctrinam et virtutem, in quibus vera nobilitas consistit, non solum aequare superiores tuos, sed superare voluisti, iis litteris et studiis deditus quae tibi possint splendorem afferre, et notum facere inter ignotos. Hortor itaque te, quamvis hortatore non egeas, cum tua sponte sis viam virtutis ingressus, ut omni cura et diligentia prosequaris quod laudabiliter coepisti, virtutemque omnium disciplinarum condimentum amplectaris et colas, sine qua neque doctrina ulla neque facultas est laudanda. Vale mei memor. C. f. 123. b.

C. VIRO PRAESTANTISSIMO CAROLO ARETINO.

Gratissimae fuerunt mihi litterae tuae etc. (*intermedia nullius momenti erant.*) Mirum est et dolendum, me iam annis quatuor et quadraginta multis in locis summo cum labore animi et corporis versatum, scytham in extremo tempore effectum esse, ut incertus sim ubi sit senectutis quies futura. Videmus in diem incertiora fieri omnia praeter quam iniqui census praestationem, in qua nulla aequitas nullus modus nulla honestas C. f. 147. b.

servatur (1). Video praeterea nostros neque pacis neque belli rationem habere, sed utriusque ignorare modum, dum omnes non publicae sed privatae rei consultum eunt. Vellem vita mulctari, si non hoc bellum, si mentem intendere voluissent, vel certa pace vel felici proelio iam dudum finisset. Sed intestina dissensio, ne in extremo quidem discrimine resipiscit. Miror tantam ignaviam ne dicam stultitiam in tam ampla republica regnare diutius, disceptandoque tempus terere, et nostrorum militum vires verti in nostram desolationem. Tribuamus licet hoc tum fatis, quae impune licet culpare, tum Venetorum immoderatae dominandi cupiditati; qui si quid de ambitione ac superbia detraxissent, iam dudum et Italia pace optata frueretur, et hic hostis olim evanuisset. Sed haec satis, et manu festina. Vale, mi Carole. Hoc scripsi ut litteris loquerer tecum, quandoquidem verbis non datur. Ego hac aestate, nisi aer deterior fiat, Romae familiam tenebo. Romae, idibus iunii.

CI. FRANCISCO MARESCALCO.

C. f. 180. Gratulatio tua non sero sed in tempore adveniens mihi perincunda fuit: certus enim sum pro nostra mutua benivolentia, te non secus rebus meis prosperis ac tuis gaudere. Verum quatenus sit mihi gratulandum, ignoro. Dimisi enim, ut nosti amplitudinem curiae, summam dignitatem, honestum et uberem quaestum, et veram ut velis vivendi libertatem. Ab adolescentia autem in curia quinquaginta annis sum educatus; cuius moribus tamquam alterius patriae institutus, non absque summa animi molestia et veterem amicorum consuetudinem, et iam inveteratos mores, et diutius expertam libertatem reliqui. Traxit me tamen avitae patriae caritas, quam me ad se vocantem spernere, et superbi hominis et ingrati esse videbatur. Praeterea rectius visum est, quicquid aetatis superesset, in patria consumere quam alibi, gratia liberorum, quibus non tantum divitiae relinquendae sunt, quantum etiam locus in sua rep. se dignus. Itaque magis filiorum curam traxit quam voluntas. Sum tamen hic inter cives et auctoritate et honore, ultra quam mea merita exposcant; ut desiderium curiae, horum erga me benivolentiâ leniatur. Spero Deum, qui semper mihi adfuit, et in hoc extremo tempore sua misericordia adfuturum. Vale, et me ut soles ama. Scis Poggium tuum esse: eius rebus ut tuis utaris licet. Id facies mihi gratissimum, si ad me saepius scripseris. ·VII· kal. septembris. (2)

CII. EXTRANEO.

C. f. 171 b. Vir doctissime. Venit ad me nuper vir prudens Iacobus ex Borsalia decanus, et nomine tuo certas mihi schedulas ostendit, quarum in altera orationes continentur Ciceronis, quas habes; in altera scribis, tibi ora-

(1) Recole quae scribuntur a Vespasiano de Poggio, quam ille videlicet aegre tulerit census immunitatem sibi a magistratibus ereptam.

(2) Apparet scriptam esse hanc epistolam eodem tempore quo secunda ad Nicolaum PP., nempe anno 1453, cum Poggius reip. florentinae cancellarius factus fuit.

tiones et volumina quaedam deesse tum ipsius Ciceronis operum, tum aliorum, quae cupias habere: ex quibus intellexi te non parvam operam nostris humanitatis studiis impendisse. Miratus sum tam studiosum eloquentiae et optimarum artium virum tam longe ab Italia, cuius haec studia vernacula esse videntur, reperiri. Sed ubique terrarum egregia nascuntur ingenia, atque ad omne genus doctrinae apta, si tamquam agri frugiferi excolantur, et si operam et curam ingeniis suis homines impendere velint. Gratulor igitur latinis litteris, te illarum studio deditum, perquirere libros ad hauriendam eam doctrinam, quae et ampla atque excellens est, et distat ab omni quaestus suspicione. Eloquentia enim sola, et humanitatis ac bonarum artium studia, per se appetuntur ad excolendum bonis moribus et virtute animum, absque alterius rei additamento. In his te omni studio versari, summae est mihi voluptati, proboque maxime diligentiam quam praestas ad libros investigandos: in qua re curam et operam ponere magnopere laudandum est.

Verum ut ad orationes M. Tullii veniam, video te multis ex iis quas habemus orationibus carere, quas tibi descriptas in schedula mittam praesentibus interclusa. Similiter in ea adnotabo opera Ciceronis, quae requiris, quae quidem apud nos reperiuntur. Verum ista raro venalia sunt, et siquis ea cupit, necesse est ut faciat exscribi, in quo dabo operam, sicut eam rem commiseris, ut exemplaria haberi possint. Unum te maxime rogo, ut cum scribas te habere quintam orationem contra Catilinam, quae incipit: *siquid precibus apud deos immortales* etc. des operam ut quam primum illam transcribi facias atque ad me mitti, quoniam summopere illam videre cupio. Non est enim apud nos: et miror, cum ipse Cicero scripserit se tantum quatuor orationes contra Catilinam edidisse, quintam reperiri. Sed existimo aut aliam esse orationem, aut ab alio quam a Cicerone compositam (1). Sed quaecumque ea sit, gratissimum mihi feceris, si curabis ut illam quam primum tua diligentia possim videre. Quod ut facias, tuam benivolentiam oro. Vale, et quoniam id mutuo fieri cognosces, me ama. Romae, die ultima decembris.

HACTENUS SELECTAE POGGII EPISTOLAE.

Poggii senioris epistolis notitiam subnectere placet et specimen operis quantum scio adhuc incogniti, quod Iohannes Franciscus, postremus filiorum eius (videsis tabulam genealogicam apud Muratorium R. I. S. T. XX. p. 164.) ad Leonem X. PP. scripsit, apud quem gratia floruit, et aulico officio functus est; qua super re legendi sunt Niger in scriptoribus florentinis, et in dissertationibus vossianis Zenus T. I p. 37. Servatur itaque in bibliotheca vaticana codex membraneus perbene scriptus, et insigni pictura prope ad miraculum exornatus, quae est huiusmodi. In superiore quidem parte sanctissima Trinitas ita collocata, ut sanctus Spiritus tiarae Pontificis infra positi immi-

(1) Recte opinatus est Poggius; etenim hanc esse spuriam philologi omnes sciunt.

neat. Hinc Leo, pontificali ornatu, throno insidens, clavem sinistra tenens, dextera ad benedicendum erecta. Adstat Caritas figura matronali, orbem terrarum Leoni offerens: circumsident sex purpurati patres: coram denique quatuor principes Pontificem venerantur. Haec, inquam, omnia mira artis peritia, et eximiis coloribus picta; ne quid de additis inscriptionibus dicam. Subsequentem quoque paginam, in qua opus incipit, picti flores et stemmata pulcro admodum artificio circumplectuntur. Titulus operis est: IOHANNIS POGGII FLORENTINI AD LEONEM X. PONT. MAX. DE VERI PASTORIS MUNERE LIBER. *Incipit autem.* Plutarchus cheronaeus, magnae apud Graecos auctoritatis philosophus, scriptum reliquit, beatissime Pater, pervetusti apud Persas moris fuisse, ut absque munere nullus illorum regem salutaturus accederet. *Capitula operis sunt* 1. de dilectione Dei et proximi. 2. De iustitia. 3. De liberalitate. 4. De pietate seu eleemosyna. *Postremo longa adhortatio fit ad bellum Turcis propinquis et minacibus inferendum, enumeratis plurimis Christianorum principibus, qui a Carolo Martello usque ad Pium II. pontificem arma adversus Saracenos summa cum laude converterunt. Opus hoc scribi dicitur ab auctore, congregato tunc concilio lateranensi, quod coeptum a Iulio, sub Leone continuatum scimus. Unicum ac breve operis excerptum heic proferam ex capitulo de liberalitate, quae virtus praecipua Leonis fuit.*

Te vero, sanctissime Pater, cum doctissimus optimusque sis, decet doctorum et bonorum causam tueri. - Non deessent, S. Pater, mihi crede, Cicerones, non Marones, non Sallustii, non Livii complures, si Maecenates, si Augusti, si Hadriani nunc forent, qui litteratorum ingenia foverent, quique digna illis praemia largirentur. Utile fuit tunc (ut ait Satyricus) pallere et toto vinum nescire decembri. At nunc quid, quaeso, est pro labore praemii? quis virtutum fructus? quae utilitas? Si offertur liber, laudatur quidem, sed nihil datur, operaque simul et impensa perit. - Fuere olim principes quidam tum laici tum religiosi, ut Alphonsus rex Aragonum, Franciscus Sfortia dux Insubriae, Federicus urbinas, Cosmus Petrus et Laurentius progenitores tui, Martinus V., Eugenius IIII., Nicolaus V., Pius II. P. M., doctos foventes adeo, ut non modo Romae incolas, sed qui longinquius morabantur fama celebres, largissime munerarent, prout exigebant illorum merita atque virtutes: nemoque qui librum aliquem aut noviter compositum, aut e graeca in latinam linguam traductum iis obtulisset, indonatus ullo modo recedebat. Illi viri praestantissimi extitere, hi sanctissimi et veri pastores fuere, utrique etiam doctorum litteris illustrati. Hos tibi imitandos propone, hos aemulare, beatissime Pater *etc.*

EDITORIS MONITUM.

Quot adamussim orationes funebres Poggius noster conscripserit, dicit ipse apud nos in epistola XLIX. e. p. 314. quam senex, ut ibi cognoscitur, exaravit. « Orationes funebres sex tantum edidi, quarum quae sit melior, non est mei iudicii. » Ex his extant quatuor in priscis poggianorum scriptorum editionibus, videlicet 1. de Cardinale florentino seu Zabarella, 2. de Cardinale S. Crucis seu beato Albergato, 3. de Nicolao Nicolio, 4. de Laurentio Mediceo. Quintam vero de Leonardo aretino praeposuit Mehusius suae epistolarum Leonardi ipsius editioni. Atque harum quinque nominatim meminit ipse Poggius apud nos in epistolis LXXXII. et XCVIII. Sextam demum orationem de Card. Iuliano Caesarinio dictam fuisse, docuerat nos idem Mehusius in vita Ambrosii camaldulensis, qui et ipsius orationis partes aliquot nobiles, e florentinis mss. sumptas, illic inseruit p. 419-421; quibus exceptis, adhuc illa laudatio manebat inedita: quam quum ego frustra in vaticanis codicibus conquisivissem, hoc demum anno Perusia transiens, insperato prorsus in publicae bibliothecae codice servari animadverti. Itaque per ill. ac rev. civitatis Praesidem exemplar eius accuratum impetravi a docto viro atque humanissimo Carmelo Pascuccio canonico, qui urbani bibliothecarii vice fungitur: cui equidem pro gratissimo munere gratias ago. Est enim haec oratio plane digna quae divulgetur; non tam propter laudantis eloquentiam, ceteroqui non ignobilem, quam ob laudati merita, cui pares tunc in ecclesia pauci extiterunt. Reapse enim insignes sacerdotali virtute viri nulla aetate in Cardinalium coetu defuerunt, id quod legentibus sacri collegii fastos perspicue innotescet. Mihi satis est obiter commemorare Petrum Damianum, Nicolaum Albergatum, Franciscum Ximenium, Guillelmum Sirletum, Caesarem Baronium, Borromaeos duos Carolum ac Federicum, Franciscum Barberinium, Iacobum Sadoletum, Silvium Antonianum, Antonium Caraffam, Augustinum Valerium, Gregorium Barbadicum, Iosephum M. Thomasium: et qui adversus schismata vel haereses pugnaverunt, Bessarionem contra Graecos; Fischerum, Polum, et Alanum contra sectam Henrici angli; Contarinum, Hosium, Truchsesium, Bellarminum, et Pallavicinum contra Germaniae corruptores Lutherum atque Calvinum.

Fuit autem Poggius Card. Caesarinio, ad quem revertimur, necessitudine summa devinctus; quod satis demonstrant sex illius ad Cardinalem epistolae, una videlicet in basil. et florent. editionibus, quinque in parisiaca. Quamobrem notissimum sibi ac familiare argumentum tractat orator.

POGGII FLORENTINI
ORATIO
IN FUNERE REVERENDISSIMI CARDINALIS
D. IULIANI DE CAESARINIS ROMANI
LEGATI CONTRA TEUCROS (1), ET IN EA EXPEDITIONE DIEM FUNCTI.

1. Si quis unquam in funere cuiusquam praeclari viri iustus honor est habitus, Patres clarissimi (2), huic profecto maximus meo iudicio debetur atque amplissimus, qui in causa tam pia, tam sancta, tam salutifera profudit animam, pro redemptione atque salute omnium Iesu Christi fidelium. Et certe magnam gloriam, magnam laudem, exquisitum genus honoris meretur is, qui pro salute publica, et ea quae sola est vera salus iudicanda, nullos labores effugit, nulla declinavit pericula, nulla corporis infirmitate deterritus est, quominus debitum Deo acceptumque obsequium praestaret, neque solum contemnere sed ultro appetere videretur terrenam mortem, ut aliis aeterna vita, sua opera, praeberetur. Consueverunt prisci illi quondam praeclarissimi viri in eorum qui pro patria et reipublicae salute mortem obiissent memoriam, non solum funus summis laudibus celebrare, sed equestribus etiam atque inauratis statuis celeberrima loca ornare ad laudem nominis sempiternam. Et summo id quidem consilio rectoque iudicio facere videbantur, non solum virtuti debitum premium solventes, sed excitantes quoque aliorum mentes ad eas res imitandas, quibus tam celebrem gloriam, tam insignia merita virtutis reddita publice conspiciebant. Verum illi rebus caducis momentaneisque, et quae parùm firmitatis habent, praemia constituebant. Terrena sunt enim ac mortalia eiusmodi omnia et ad parvum tempus, si aeternitatem respicias, duratura. Itaque statuae illae et orationes triumphi trophaea una cum suis auctoribus iam extincta sunt, ac oblivione quadam, nisi quantum extant in litteris, sepulta.

2. Quae vero pro animarum salute pro regis aeterni gloria pro illa republica, quae divina est, pro illa civitate Hierusalem quae in superis regnat aguntur, quibus sunt a nobis laudibus, quibus triumphis, qui-

(1) Teucros pro Turcis scribentem Poggium iam observavimus in epistola 6.

(2) Hinc satis videmur cognoscere, recitatam fuisse hanc orationem in purpuratorum Patrum consessu. Certe anno ·M·CCCCXLIV· (mense novembri) quo caesus interiit Card. Caesarinius, pontificalis aula, Florentiâ pridem redux, Romae versabatur, ibidemque Poggius erat Pontifici ab epistolis.

bus orationibus decoranda? Certe maiori praemio, et eo quod conveniat meritis videntur digna. Quantum vero divina terrenis praestant, quantum anima differt a corpore, quantum a caelo terra distat, quantum tempus finitum ab aeternitate, tantum gesta eorum qui in cura salutis animarum versantur, qui in parte nostri optima curanda vitam exponunt, excellentiora atque ampliora quae aeterna esse censentur. Illa enim inania existunt, haec solida atque firma; illa caduca, haec stabilia; illa temporis spatium sapiunt, haec aeternitatem: ut nemini dubium sit, quin illis haec nostra sint longo intervallo anteferenda. Fuere quondam infiniti paene martyres, qui fidei Salvatoris nostri suo sanguine testimonium attulerunt. Sed culpa temporum iam multis saeculis cessavit id sanctitatis genus, ut iam desuetum esset sanguinem quemque velle suum pro Christi fide profundere. At hic vir egregius iam oblitteratam consuetudinem renovavit: ostenditque suo exemplo, non solum vitam contemnendam, sed appetendam quoque mortem pro fidei augmento, pro testimonio religionis, pro fidelium defensione. Cum enim sibi liceret cum aliis domi quiescere procul ab omni discrimine vitae, maluit tamen aliorum salutem suae praeferre (1), et ad liberandam Europam ab oppressione barbarorum nefaria crudelique, legationem suscipere, in qua vel vita vel morte se speraret aeterni Dei mandatis satis esse facturum.

3. Et quoniam huius viri optimi atque sanctissimi finis is fuit, ut vitae omni cum integritate actae conveniret, recensenda mihi sunt et genus et vitae ratio studiaque ab ipsa ineunte aetate suscepta, ut nequaquam mirum videatur tantum in eo robur animi, tantam constantiam, tam promptum ad oppetendam mortem animum extitisse, extremumque vitae diem reliquae exactae aetati haud inferiorem virtute fuisse. Iulianum scitis omnes urbe Roma ortum, quae olim fuit orbis terrarum caput et domina, de cuius laudibus satius silere existimo quam pauca loqui. Etenim tanta urbis huius fuit et imperii magnitudo, quantum vix omnia scriptorum omnium praeclara tum graeca tum latina ingenia explicare potuerunt. Certe omnium gentium, nationum, civitatum, regum, imperatorum, qui ubique umquam fuerunt, haec sola urbs gesta et gloriam superavit. Quae quoniam sunt notissima singulis, minime videntur egere commendatione nostra. Satis enim exploratum est, splendorem atque amplitudinem patriae plurimum ad eorum laudem et honorem conferre qui in ea geniti virtutem et decus patrium repraesentant. Etenim pars haud parva dicitur esse humanae felicitatis nasci in insigni patria atque praeclara (2), ex qua putatur praeberi facultas quaedam, et quasi primus aditus ad virtutem. Nam magna ingenia et in locis obscuris aliquando contingit nasci; sed cum explicandi vires animi ingeniique non detur materia aut locus, obsolescunt tamquam latentia

(1) Ita de se loquitur gloriabundus Cicero in exordio librorum suorum de rep.

(2) Communis laudantium locus Graecorum ac Latinorum, ut a patriae celebritate sumant initium. Et quidem ita se facturum in laudatione Chrysolorae (si eam conscriberet) ait ipse apud nos Poggius epist. 82.

in abdito, atque omni lucis splendore carent. Qui vero in celebri et egregia urbe nascitur, ubi doctrinam percipere, bonis moribus instituí, virtutem a natura datam excolere atque augere, atque aliorum dicta factaque cognoscentes ad imitandum incitari possunt, tunc uberem occasionem ad gloriam consequendam nacti, emergunt in lucem, et se viros egregios praebent. Non tamen patria omnibus lumen affert, sed his qui bonis operibus et vitae probitate sibi laudem comparant. Ut enim non in omni agro omne semen uberem fructum profert, ita non in omni civitate omnes homines gloriam et laudem consequuntur.

4. At enim Iulianus noster cum a patria plurimum splendoris accepisset, id rebus gestis et virtute effecit, ut ipsi urbi quamvis clarissimae maximo tamen esset ornamento: ut non minorem laudem patria ex ipsius probitate, quam ipse sit ex claritate patriae consequutus. Vere enim civis romanus fuit, haud inferior illis qui quondam alias gentes ac nationes doctrina et omni virtutis genere superasse dicuntur. Longo enim admodum intervallo maiorum probitatem, continentiam, temperantiam, modestiam, doctrinam, in lucem restituit: ut nequaquam mirum videatur tantam illis superioribus virtutis excellentiam viguisse. Genus eius tale fuit quali illum ortum semine evasisse videtis. Sed ut in praeclaris illis olim priscis heroibus, quorum virtutem admirabantur omnes, id ferme accidit, ut propter eximiam sapientiam et beneficia in genus humanum ab diis immortalibus originem traxisse crederentur; ita in hoc nostro putandum est, tantam virtutem, tantam probitatem, tantam in omni genere laudis praestantiam, augustiori quondam genere ortam, quod culpa temporis paulum obsolevisse (1), nunc huius beneficio restitutum in pristinum lumen et ad originis suae primordia splendoremque rediisse. Sed quamvis laus generis haud sit contemnenda, quippe quae magni semper extimata fuit, ea tamen vera nostraque laus est et generis et nominis, quam nostris non aliorum viribus, nostra non praeteritorum virtute, recte factis vigiliis et laboribus comparamus. Hanc Iulianus appetebat, hanc sequebatur, non aliorum sed sua virtute et probitate confisus.

5. Verum adolescentior factus cum latinis litteris in patria imbutus esset, eximiam quamdam ac praestantem nactus naturam, primum Perusii, tum Bononiae, tum Patavii ius primum civile, dein sacros canones est complexus; in quibus omnes suae aetatis condiscipulos excessit. Adiunxit ad has facultates plurimarum rerum doctrinam. Nam et philosophiae theologiaeque summum studium impendit, et eloquentiam ac ea quae studia humanitatis appellant, non mediocriter adeptus est. Erat in eo eximia memoria, summum studium, exquisita vis ingenii, mentisque agitatio. Lectioni tantum impartiebatur temporis, ut omnes voluptates corporis, omnem animi remissionem ab se abdicasse videretur. Hac tam excellenti rerum doctrina imbutus, primum adhaesit Cardinali

(1) Iulianum paupere de patre natum dicit Vespasianus in eius vita; nobili tamen et patricio, ut demonstrat Rattius in historia gentis Sfortiorum T. II. p. 253. seq. Idem intelligitur ex hoc quoque Poggii loco.

placentino (1), viro egregio et qui doctis viris delectaretur. Is cum in Bohemiam legatus a Martino pontifice destinatus esset (2), qua in legatione multa adversus haereticos erant tractanda, Iulianum secum duxit, tamquam eum qui ad disceptationes illas, in quibus de fide agi oportebat, accommodatissimus videretur. Hic Iuliani virtus cum primum in aciem venisset, plurimum emicuit atque in luce hominum versata est. Non prosequar singulatim omnia, ne Cardinalis laudes videar minuere. Hoc solum dicam: ad omnia agenda Iuliani consilium et doctrina exquirebatur: nihil recte actum putabatur, in quo illius prudentia defuisset: singula solus obibat. Ad diversos principes missus, omnes pro fide in suam sententiam traxit. Conciones multas habuit, firma cum eloquentia et sapientia (3). Denique adeo eius fama et laus innotuit apud omnes, ita Cardinali et Pontifici carus extitit, ut e vestigio cum ad Urbem venisset, a Martino auditor camerae sit factus; quod officium viris semper demandari excellentibus consuevit. In eo summa cum integritate ac continentia vixit, ita ut omnes virtutem eius admirarentur, integritatem laudarent.

6. Accidit interea ut cum Martinus in Galliam oratorem suum mitteret ad tractanda quaedam quae summam sapientiam, non mediocrem doctrinam, summam prudentiam requirebant. Id munus ita administravit ut egregiam laudem et omnium benivolentiam reportaret. Id prae ceteris insolitum, et fere inauditum apud omnes egit, ut nullum munus a quoquam acciperet sibi oblatum: omnia recusavit, cum multa offerrentur, asserens ita sibi a Pontifice provisum ut alterius ope non egeret: qua ex re sola maximam famam et gloriam contraxit. Hanc tantam huius viri probitatem, vitae modestiam, temperantiam, expertus Pontifex, postea illum in Angliam ire voluit, ubi eadem continentia ac temperantia usus est, nil dono datum cepit, omnia summa aequitate et constantia renuit. Oh virtutem praeclaram et raram admodum diebus nostris! Nonne hic e caelo missus videtur in aliorum exemplar, qui quod consuetudine permissum, et usu esse inveteratum videtur, adeo ut stulta donorum recusatio extimetur, abnueret ac repudiaret, et sceleris loco duceret ea sumere oblata, quae ceteri appetunt et dantibus gratias agunt? Nimirum singularis in eo laus, et egregia moderatio animi versata est, cum divitias atque opes in earum contemptu sitas esse iudicarit. Perfecisset autem, quod coeperat, rem utilem honorificamque Sedi apostolicae, si Martinus in sententia perstitisset (4). Egit autem Iu-

(1) Vespasianus in vita Card. Caesarinii p. 167. Erat autem placentinus ille Cardinalis Branda, cuius item brevem biographiam dedit nobis idem Vespasianus.

(2) Raynaldus ad annum 1421. n. VII. VIII.

(3) Extant integrae aliquot Caesarinii conciones, partimque illarum fragmenta, apud Aeneam Silvium in historia Bohemorum, et in concilii basileensis actis seu supplementis apud Mansium T. IV, nec non etiam apud Ciacconium vit. PP. et CC.

(4) Extant apud Raynaldum an. 1425. n. VI. litterae Martini PP. de his an-

lianus quod nemo ante se in eo regno est ausus efficere: nam in frequenti concilio praelatorum, cum luculentam orationem contra certa regni statuta adversus auctoritatem romanorum Pontificum edita habuisset, statim illos debitis censuris monuit, ut Pontificis voluntati parerent, magno id quidem cum periculo apud homines eius rei insuetos. Sed antea perspecta virtus et sinceritas viri deterruit omnes, ne quid in eum novi statueretur. Magna laus, non minor gloria, virum aliquem tanta virtute tanta magnitudine animi extitisse, ut quod iam dudum omnes in aliena patria formidassent, solus ob tuendam dignitatem Sedis apostolicae auderet. His gestis a regno abscessit summa commendatione etiam eorum quibus ab eo acta displicebant. Et quidem tanta est virtus, ut eam et in hostibus veneremur. Nullas secum opes, nullas divitias, nihil auri et argenti, sed nomen praeclarum, laudem egregiam, et insignem gloriam gratiamque omnium reportavit.

7. His duabus legationibus tanta integritate et prudentia obitis, cum omnia in eo essent quae boni viri virtus requirit, factus est ab eodem Martino Cardinalis (1): qua in dignitate priores mores servavit, humanitatem et virtutes omnes maxime auxit. Cum autem de mittendo iterum ad Bohemos legato tractaretur, is aptissimus visus est, qui diutius in iis rebus quae agendae erant, versatus esset. Igitur Iulianus ad id munus potissimum est delectus (2). Data est ei quoque facultas celebrandi concilii, quod antea indictum fuerat Basileae. Profectus eo, cum parum apud obstinatos obduratosque animos profecisset, tempus autem concilii instaret, in quo de Bohemorum causa facilius tractari, et ab eorum erroribus citius amoveri posse videbantur, Basileam se contulit ad concilium tenendum, initium omnium malorum ac schismatis, quae orta in Dei ecclesia videmus (3). Sed Cardinalis animus reformandae ec-

glicanis rebus; item graviores aliae eiusdem expostulationes an. 1426. n. XIX. de oppressa apud Anglos ecclesia a statutis regiis et politicorum consiliis. Quin adeo proderit quoque legere antiquiores Martini ad Henricum VI. litteras, et alias de usurpato a cantuariensi archiepiscopo auctoritatis excessu apud eundem Raynaldum an. 1421. n. XVIII. et 1423. n. XXI. Poggio autem haec et alia fuere notissima, qui post constantiense concilium in Angliam a Martino missus fuit, dum esset Pontifici ab epistolis, ibique aliquamdiu hospitatus est.

(1) Anno 1426. creatus fuit Cardinalis Iulianus, sed anno tantum 1430. publicatus. Ciaccon. Vit. PP. et CC.

(2) Ciaccon. et Raynald. Ceteroqui tristem exitum negotii bohemici luget ridetque simul Poggius in epistola ad eundem Cardinalem, quae est apud cl. Tonellium lib. IV. 21.

(3) Alienatus semper Poggii animus a concilio basileensi fuit. Recole epistolas a nobis editas 28. 38, itemque parisiacam 31, et florentinam postremam. Tum apud nos Poggius ep. 93. diserte ait: *multa se scripsisse, Eugenii PP. tempore, contra detestandam Basileensium perversitatem*. Iam haec quoque sine dubio pars orationis de Card. Caesarinio cum illis invectionibus numeranda est. Profecto basileensem synodum, etsi legitime inceptam, postea tamen gentilibus odiis, partium studiis, et opinionibus quoque pravis

clesiae cupiditate incensus, quid cuperet aut quaereret sciebat; ceterorum mens, qui non eandem voluntatem afferebant, erat ignota. Itaque diutius in concilio praesedit cum laude omnium gentium nationumque, quae ad concilium accesserant. Hic quantum studio, diligentia, auctoritate, vigiliis poterat, enisus est ut Bohemi ad unitatem ecclesiae reducerentur, atque mores multorum, qui in ecclesia plurimum possunt, reformarentur. Sed ut est proverbium vetus: venter aures non habet: homines ventri dediti, scelestique ac novarum rerum cupidi, eam quam se quaerere reformationem dicebant, abhorrebant. Non enim vitia sua corrigi volebant, cum illa quotidianis flagitiis augerent, sed suas cupiditates et scelera in proprium quaestum traducere quaerebant. Itaque quam prae se ferebant reformationem, in publicam deformationem calamitatemque converterunt. Neque enim aliter potuit accidere. Quae enim informatio proficisci poterat ab eis qui deformiores centauris vita et moribus existebant? Qui nihil praeter odia et insanas cupiditates in illam synagogam pestiferam afferebant? Quod vir prudens cum aliquando, licet sero, conspiceret, et consilia illorum in malum tendere, et scissuram ecclesiae appetere, animadverteret; relicta nefariorum hominum turba, ad Pontificem Ferrariam rediit.

8. Exposcere videtur hic locus ut querar paucis, de facinorosis Deoque infensis hominibus, qui nomine concilii non solum huic sapientissimo viro laudem debitam abstulerunt (1), sed perditis consiliis amentiaque incredibili vexarunt universum populum christianum: quod eo indignius videtur, quo indigniores illi existunt, qui hanc calamitatem in Dei ecclesiam induxerunt. Nam pro Deum immortalem, quem finem non columbae, sed corniculae illae, Spiritus sancti nomine, adversae attulerunt fidelibus Christi? scandala, odia, divisiones, schisma, et interitum animarum. Hic est tantorum annorum fructus, hoc laborum praemium, haec ipsorum operum laus, hae funestae cogitationes. Sed nequaquam mirum est malos fructus malas arbores produxisse (2). Reddit terra quod

corruptam, eo demum evasisse scimus, ut a schismatico impioque conventiculo non differret, creato etiam pseudo-pontifice Amadeo (contra quem nominatim extat Poggii oratio) quae res ecclesiam diu anxit ac perturbavit: donec Eugenii constantia, qui synodum illam constitutione pontificia dissolvit, et Nicolai V. sapientia et felicitas pacem tantam atque unitatem ecclesiasticis viris conciliarunt, ut nullus postea ad nos usque antipapa extiterit.

(1) Nimirum Caesarinius bona diu conscientia fretus concilio favit, cui praeerat, eiusque auctoritatem scriptis etiam defendit; donec ruentem in peius concilii mentem cernens, ad Pontificem in Italiam rediit. Attamen prius illud Cardinalis erga synodum studium famam eius apud nonnullos aliquantulum debilitasse certum est. Confer Raynaldum ad an. 1431. n. XXIII. et 1440. n. X.

(2) In margine codicis adnotatur: DETESTATUR VITIA BOHEMORUM. Reapse haereticis potius Bohemis, qui disputantes basileensi concilio interfuerunt, suosque errores pertinacissime retinebant, quam generatim universo conventui, maledicere Poggius credendus est, etsi eum alioqui dicacissimae linguae fuisse scimus. Bohemos Wiclefitarum haeresi imbutos fuisse, notissimum est.

accipit semen. Colluvio omnium gentium, scelerum sentina, seminarium scandalorum, quid aliud quam sibi similem fructum producere potuerunt? Homines adulteri, fornicarii, libidini et ventri dediti, sacrilegi, et a potestate transfugae, vino ciboque oppressi, ut faex gentium dici possint, in unam voluntatem ad male agendum coacta, odio ducta ac malivolentia, plena seditionibus, plena tumultu, Spiritum sanctum voce non mente invocabat (1). Animus enim varia libidine occupatus, aliò quam ad caritatem Dei convertere solet cogitationes. Ita pro Spiritu sancto, bubonum chorus ad eorum precationes accessit, eoque diabolico spiritu, ac fanatica insania repletos effecit, ut nihil ab eis nisi pestiferum sacrilegum perniciosum mortiferumque posset prodire. Miror prudentiam principum quorundam, qui illorum furori ac dementiae favere dicuntur, cum sciant nil bonum, nil simplex, nil sincerum, nil sanctum posse manare ab hominibus sacrilegis, nefariis, ac perniciosis: praesertim cum illorum scelera ita sint manifesta, ut de illis stultum sit dubitare (2). Horum igitur amentia obstitit Iuliano nostro quominus summam ex eius concilii fine laudem reportaret. Difficile est enim aliorum animos nosse, eorum praesertim qui simulata sanctitate calamitatem ceteris machinantur. Sed vir sapiens quod potuit effecit. Coepit quod se optime perfecturum sperabat. Stetit quoad desperare non destitit: recessit cum aliorum consilia in perniciem ecclesiae et in scissuram fidelium spectare conspexit.

9. Venit autem Ferrariam, ubi concilium Eugenius pro Graecorum unione indixerat. Et cum ibi Graeci iam convenissent, summos labores suscepit pro eorum reductione. Nam tum Ferrariae tum Florentiae, cum eò translatum esset concilium, omnia egit tum disputando tum scribendo tum suadendo, quae ad eam unionem pertinerent (3). Nullum tempus sibi vanum ab eiusmodi curis et cogitationibus relinquebat. Aderat consiliis omnibus studio et vigilantia singulari. Denique pauca fiebant, quibus ipse non tamquam extremam apponeret manum, cum singula eius opere et industria acta, optima omni ex parte putarentur. Erat in eo singula-

Porro utrorumque saevitiam et turpes mores satis significat in insigni suo opere Thomas waldensis T. II. p. 28, et III. p. 865. seq.

(1) Etiam in epistola edita ad Card. Caesarinium, quae incipit *timens dudum*, queritur Poggius, Spiritui sancto, qui totus ex caritate ac dilectione est, apud Basileenses odium ac malivolentiam successisse.

(2) De basileensis synodi postremis saltem sessionibus quid iudicaret Eugenius pontifex, dicit Iovius in Card. Caesarinii elogio his verbis. « Eu» genius profunda sapientia vetus senator, et Pontifex quamquam novus, » sui muneris et personae numquam oblitus, synodum tamquam immanem » et multorum capitum beluam, ad exitium Pontificum maximorum caeca » rabie concitatam esse disserebat. Non reformidabat tamen concilium, sed » eius locum devitabat. »

(3) Disputatio eius copiosissima in synodo florentina de iusto symboli additamento *filioque*, edita demum graecis latinisque typis fuit Florentiae anno 1762, curante R. Andosilla benedictinae familiae monacho. Haec disputatio inseri debuisset in postremam Zattae conciliorum editionem T. XXXI. inter florentini acta.

ris sapientia, summa humanitas, prudentia quanta in homine exercitatissimo esse potest. Nam tum divini, tum humani, tum omnium artium, quas liberales appellant, mira quaedam scientia et doctrina in eo domicilium videbantur effecisse. Virtutibus reliquis ita ornatus erat, ut in eo omnes singulatim elucerent. Dixi antea de temperantia, continentia, probitate. Liberalitate fuit ea, ut nemini unquam petenti defuerit (1): quin saepius ultro, quos egere sentiebat, aut ad petendum invitabat, aut dabat etiam non postulanti.

10. His ornatus virtutibus unus electus est ad constituendam pacem in regno Hungariae post mortem regis Alberti. Nam cum gravidam uxorem reliquisset, posthumusque ex ea esset natus, quidam ex regni proceribus puerum regem volebant; ceteri Ladislaum regem Poloniae in regem suum asciverunt: ex quo maximarum discordiarum semen est exortum. Ad eas componendas hic vir Cardinalis missus est. Cum accessisset Budam regni caput, indicto utriusque partis concilio, tantam curam, diligentiam, prudentiamque adhibuit, ut inter reginam pueri matrem regemque certum foedus iniretur. Multum in hoc opere virtus eius et sapientia laudata est, qui dissidentes animos tam varia sentientes, tam hostili odio invicem infensos, tam aversos a pace, in concordiam reduxit (2). Haec inter accidit ut Teucri, qui Danubium transierant numero millia circiter octoginta, ab iis qui appellantur Valachi, duce Iohanne quem vayvodam appellant, proelio superarentur: interfecta enim fuerunt variis cladibus ad millia hominum sexaginta. Deinde variis in locis paulo post contra Teucros victoria sunt potiti. Quo accidit ut afflictis Teucrorum opibus in spem venirent omnes posse, si expeditio adversus eos fieret, Europa Teucros pelli. Itaque Cardinalis diligentia magno comparato exercitu contra Teucros duces Hungari profecti sunt. Multis in proeliis nostri superiores fuerunt. Sed cum tempus anni adversum expeditioni propter hiemem esset, firmatis praesidiis, quae de hostibus ceperant, revertuntur.

11. Tum de alia expeditione, proxima in aestate facienda, cum agitari coeptum esset, exhortationibus legati et rex et ceteri exercitum parare (3). Videbat vir fidei christianae amantissimus, nisi Deus aliter disposuisset, posse Europam a servitute infidelium eximi, posse et in pristinam formam restitui. Movebant eum pericula tot animarum fidelium Christi, qui quotidie ab infidelibus capiebantur vendebanturque in Asia: quo fiebat ut pueri omnes a fide Christi deficerent, assueti vitae et moribus Teucrorum. Hac motus pietate, precibus, suasionibus, cohortationibus, exercitum adversus fidei hostes excitavit. Regem (4) in primis egre-

(1) Vespasianus in eius vita p. 168. seq.

(2) Rei narrationem pleniorem habemus apud cl. C. F. Palmam notit. rer. hungar. part. II. in rebus Uladislai regis cap. 4. et 5.

(3) Orationem, quam habuit in regio consilio Card. Caesarinius, summatim recitat Spondanus continuat. Baron. ad an. 1444. n. V. Sed multo luculentior ea scribitur apud Bonfinium rer. hungar. dec. III. lib. VI.

(4) Uladislaum II. Hungariae simul et Poloniae regem.

gii animi principem in suam sententiam traduxit (1): tum ceteros suadendo adortus, magno exercitu, hostium fines ingressus est. Sed antea quam proficisceretur, veluti praesaga futuri exitus mente, scripsit ad Pontificem qui illum ad eam expeditionem hortabatur, se veluti ad martyrium ire: spiritum tamen suum statuit ceteraque vitae commoda sibi posteriora utilitate Christianorum esse. Itaque ferebatur incensus ardore fidei propagandae: neque valetudine corporis adversa, qua saepius torquebatur, absterreri potuit quin animam vellet ponere pro redemptione fidelium, quos in dies rapi, atque in miserrimam captivitatem abduci a nefariis canibus videbat. Omnibus igitur vitae commodis posthabitis, omni privata seposita utilitate, in eam solam cogitationem incubuit, ut vi atque armis hostes fidei a cervicibus fidelium abigerentur. Neque eventus consilii defuisset, si classis quae summa cura a summo Pontifice in Hellesponto ad idem parata erat (2), Teucros aditu Europae prohibuisset. Sed cum nostri spem haud dubiam in ea classe constituissent, tamquam securi rerum, cum multas provincias in suam ditionem redegissent, neque ullos hostes timerent, iter Hadrianopolim versus coeperunt, subactis multis validissimis oppidis quae fuerant in hostium potestate.

12. At vero Teucrorum Imperator, qui id temporis erat in Asia, contractis plurimis copiis, auxiliis undique a finitimis accitis, cum triginta hominum millibus in Europam transfretavit per negligentiam classis quae aditum illum prohibere debebat. Itaque dum illi animosius transvehuntur quam nostri obstant, coacto ingenti exercitu nostros nihil hostile timentes, de repente Teucer aggreditur. Illi quibus hostium transitus ignotus erat, subita re perculsi territique, aciem instruunt pro temporis facultate. Paulo post solis ortum pugnari utrinque coeptum est summis viribus. Nostri numero inferiores, virtute admodum superiores erant. Usque ad noctem certamen protractum est, cum magna Teucrorum caede. Hostes tandem cedendo, cum vires deficerent, paulo ante solis occasum fugam arripiunt. Christiani victores erant, cum omnis hostium qui supererat equitatus diffugisset: sed cum rex Poloniae magis equitis strenui, quam providi imperatoris officio functus, iuvenili fiducia fretus, cum parva suorum manu pedites sagittarios hastatosque invasisset, ac diutius cum ea pugna distinuisset, dispersi hostes conspecta nostrorum paucitate, iussu ducum coacti rursus ad bellum redeunt, nostrosque adoriuntur. Tum fuga undique coepta, ad quatuor millia ex

(1) Facti apologia brevis legitur apud Raynaldum ad an. 1444. n. X. Certe Cardinalis conscientiae suae iudicium secutus est, seque boni viri officio fungi putavit. Quamobrem ea quae acerbius hac in re scribunt Shepherdius anglus in Poggii vita, aliique nonnulli, ad hanc regulam reformanda sunt.

(2) Legesis Eugenii PP. litteras apud Raynaldum an. 1444. n. III. VI. IX. Praefuit autem illi infeliciter classi ob imperitiam suam, teste Aenea Silvio, Card. Franc. Condulmerius, Eugenii ex fratre nepos, ad quem extat apud nos p. 252. epistolare fragmentum Poggii frigide gratulantis Cardinali illam maritimam praefecturam, quem futuri mali praesagus maluisset ipse *in patria residere, et laborem illum alteri demandari.*

Christianis occidere. Rex ipse viriliter pugnans sagitta saucius equoque delapsus interficitur. Ex hostibus ad quadraginta millia interfecti, inter quos decem ex primoribus principibus periere. Victoria penes Teucros fuit, licet minime incruenta. Cardinalis vero cum usque ad extremum hortando ceteros in acie fuisset, omnibus postea fugientibus, et ipse in fuga occubuit (1): eamque animam, quam pluribus in rebus, ad ecclesiae Dei utilitatem exercuerat, in ipsius laudem exhalavit, atque ea in expeditione spiritum ultimum profudit, qua nulla Deo acceptior esse debet

13. Magnam in eius morte iacturam fecit romana ecclesia, magnam fides Christi in eius interitu suscepit calamitatem. Is enim vir nobis subtractus est, quo nemo videbatur praestantior, nemo doctior, nemo prudentior. Etenim si in mediocris etiam viri, qui sit reipublicae utilis, morte dolendum est, quid agendum in eo qui vel solus universae ecclesiae pondus ferre sua sapientia potuisset (2)? Cuius erat tanta sapientia, tanta doctrina, ut nihil esset tam difficile tam grave tam arduum, quod non consilio obire, prudentia explicare, auctoritate perficere posse videretur. Nota erat tum ceteris, tum summo pontifici Eugenio, illius virtus atque praestantia: idcirco eum semper ad res difficiles deputabat, et ad ea destinabat negotia quae gravitatem consilium auctoritatem sapientiamque requirerent. Eius interitum ita graviter molesteque tulit, ut pluribus diebus lacrimas funderet in illius viri commemoratione. Non audeo culpare Dei ineffabilem providentiam in hoc loco, cum sapientia nostra sit stultitia apud Deum. Sed tamen primum mirandum est optimos quosque viros quam primum nobis subtrahi, eos autem diutius vivere, quorum vita est hominibus maxime perniciosa: tum dolendum est maxime, christiani professores nominis proque fide pugnantes, ab hostibus fidei superatos. Id vero graviter ferendum, talem virum, tam utilem, tam iusta, tam pia, tam sancta causa subcubuisse: eumque periisse, cuius vita multis saluti et adiumento existere potuisset. At ille spiritum, quem naturae debebat, in fidei certamine, in salubri expeditione, cum exposuisset, pro mortali certamine aeternam est palmam victoriae assecutus.

14. Dicerem nunc, clarissimi Patres, nisi divina potius gloria et caelestia nobis spectanda magis praemia essent, quam humana laus aut memoria nominis ad posteros propaganda, non solum statuam inaura-

(1) Incerto mortis genere, sed certe cruento, periisse Cardinalem in proelio warnensi ait cum aliis multis auctoribus Vespasianus: namque illi fragmento historico, quod Mansius edidit, nosque ipsi in adn. ad Vesp. commemoravimus, fidem multi non adhibent; propterea quod tam saevum et publicum, quod ibi narratur, martyrium nobilissimi hominis, maiore et communiore fama innotuisset. Itaque credibilius, cum Poggio aliisque, dicendum est, ipsum inclinato proelio et rege iam caeso aut fugiente, aeque in fuga fuisse ab hostibus Turcis, vel ab inhiantibus praedae latrunculis Hungaris confossum.

(2) Par testimonium dat Caesarinio placentinus Cardinalis Branda apud Vesp. p. 171. Tum et alii eius temporis scriptores aeque illum dilaudant.

tam, sed sepulcrum quoque publica impensa esse mortuo decernendum (1): quemadmodum solebat olim illis qui pro patria vitam et sanguinem effudissent. Aequum est enim extare tanti viri memoriam diutius apud mortales: tum ut testimonium perhiberet interitus pro Christi fide suscepti, tum ut solaretur eos qui supersunt talis viri praesidio orbati, ex hoc beneficio quod honori mortui redderetur. Illud quoque non parum prodesset ex hac memoria et fama, qua paulum delectantur omnes in hac mortali vita, incitari viventes ad imitationem eius, cuius nomen viderent publico opere celebratum, redditumque posteritatis memoriae sempiternae. At vero huius amplissima virtus non statuam solum, sed triumphalem arcum sibi apud superos aedificavit, quem nulla temporis vetustas delebit, nulla obscurabit oblivio, nulla saecula conticient. Est enim ea aedificatus materia, est eo in loco constitutus, ut omnem vim tempestatum, omnem temporis edacitatem, omnem fortunae impetum, omnem iram hominum effugisse videatur.

15. Quamvis autem vitae eius tempus multo longius esse natura potuisset, quippe qui annum quinquagesimum non excederet (2), satis tamen diu vixisse putandus est. Nam plura parvo tempore virtutis exempla edidit, quam multi alii aetate longissima. Quapropter constat, satis eum vixisse quod ad gloriam assequendam adtinet. Non enim longinquitate, sed perfectione diuturnitatem vitae pensari sapientes volunt. Quandocumque enim dies sapientium finierint, fuerunt prolixi: malorum facinorosorumque vita, etiam usque ad extremam senectam provecta, censenda brevissima est. Viri sapientes quacumque aetate animam Deo reddunt, satis longa vita vixisse dicuntur. Quae enim vita hominis ignavi, cuius nomen ante desiit, quam excedat e vita? Non spatio sed virtute, non annis sed bonitate, vita hominis metienda est. Itaque recte sapientes dixerunt, unum diem bene et cum virtute actum, peccanti immortalitati esse anteponendum. Hoc Iulianus cogitans, imbutusque per omnem vitam sapientum praeceptis, virtutem omnibus in rebus ducem habuit vitae: omnes suas actiones ad sapientiae normam direxit: nihil unquam sibi in vita praeter veram laudem et aeternam gloriam expetendam putavit: id egit semper ut sua dicta consilia facta consensu omnium probarentur: vitam cum omni temperantia modestia integritate duxit: manus puras a muneribus abstinuit: animum castum atque sincerum praestitit: id semper conatus est, ut nihil in eo reprehendi iure posset: tandem pro aeterna caelestique republica pugnans aditum sibi ad aeternam gloriam et immortalem laudem patefecit (3).

EXPLICIT.

(1) Sepulcrum tamen Cardinalis Caesarinii nullum, quod sciam, extat neque uspiam constructum fuit.

(2) Sexto et quadragesimo aetatis suae anno extinctum Card. Caesarinium, tradunt passim historici.

(3) Huc respexit Iovius cum pariter de nostro scripsit: « vir certe tam » tristi vitae exitu indignus, nisi eo fati genere aditum sibi ad caelum pe» renni cum gloria munivisset. »

EPISCOPOLOGII VRATISLAVIENSIS

POST XXXVII. EPISCOPUM

SUPPLEMENTUM.

Quum ego ecclesiasticorum quorumdam causa negotiorum, historiam inspicerem episcopatuum Germaniae, gallico sermone Bruxellis anno 1724. impressam, defectum vidi T. II. p. 169. in vratislaviensium episcoporum serie, ubi trigesimus octavus falso scribitur Henricus de Logaw, qui nullus fuit, eiusque annus mortualis in lacuna demergitur. Deinde subtexitur XXXIX. Casparus Lagus (qui dicendus fuerat a Logaw vel Logus) isque mendose mortuus dicitur anno 1610. Statim vero ibidem scribitur, eodem anno, in quadragesima sede, Carolus Austrius: ita ut ab anno 1561, quo obiit XXXVII. episcopus Balthassar Promnitz, ad Carolum Austrium, id est quinquaginta annorum spatio, nonnisi episcopi duo ponantur, prior fictus, ut diximus, alter vero extra tempus suum collocatus. Hoc catalogi comperto defectu, venit mihi in mentem vaticani cuiusdam codicis, in quo vratislaviense episcopologium olim legeram, a celebri Iohanne Dlugosso scriptum; sed in fine nonnullis episcopis ab anonymo continuatore auctum. Praeterea a doctissimo viro, iis in regionibus orto, Augustino Theinero, quem interrogavi, certior factus, ne in rerum quidem silesiacarum scriptoribus a Sommersbergio collectis, catalogum illum ultra XXXVII. episcopum Balthassarem Promnitz procedere; demum cognovi, me in codice vat. sex consequentium episcoporum vitas nactum esse, quas in lucem proferre nunc non piget: omissis tamen epitaphiis, quae singularum vitarum nonnisi quaedam breviores repetitiones sunt. Porro agitur de nobili, inter seu germanicos seu polonicos, episcopatu qui medio circiter saeculo decimo, auctoritate rom. Pontificis, postulante Poloniae Rege, institutus, priores septem ex Italia, partimque ex ipsa romana urbe, plus centum annis accepit antistites, Gottfridum, Urbanum, Clementem, Lucilium, Leonardum, Timotheum, atque Hieronymum; et ad hanc usque diem, nono iam post suam institutionem saeculo, in romana fide et sancta obedientia perseverat.

XXXVIII. CASPARUS A LOGAW.

Casparus ex antiquissima Logorum familia domus Altendorff, schwidnicensis et iauraviensis ducatuum oriundus, praepositus lithomiricensis in Bohemia, et episcopus novae civitatis in Austria, liberorum Ferdinandi Caesaris olim praeceptor, defuncto Balthassare ad episcopatum vratislaviensem postulatus, eligitur anno Domini M·D·LXII· 16. februarii, non sine praevia Caesarum Ferdinandi et Maximiliani tam ad capitulum, quam ad singulos praelatos et canonicos commendatione, Matthia Logo

parente sic procurante, qui legitimae postulationi, concessione Pontificis maximi, annuens, initio nihil non magna cum circumspectione, et impavida mente fecit, quod ab optimo episcopo iure desiderari posset. Ingenii sui acumen, scientiarum varietate ac multarum linguarum peritia adiuvit et exornavit. Erat vir manu linguaque promptus, et ad quosvis casus, in utramque partem tam praeparatum habens animum, ut sicuti pacis et tranquillitatis amans, ita nec dubiam belli fortunam, cui assueverat in iuventute, ullo modo metueret. Sed dehinc, praesertim in religionis negotio, remissior factus, cum duodecim annis in cathedra episcopali sedisset, et cum variis morbis conflictatus esset, nec consiliis medicorum nissensium obtemperaret, sed potius contraria medicamenta sumeret, iam ipsemet de sanitate desperans Vratislaviam sese contulit, ubi non diu supervixit, sed in dies phtysi seu febri hectica consumptus, 4. iunii anno Domini M·D·LXXIV· ex hac luce ad patres migrat, nullo penitus sacerdote sibi in agone astante. Ultimo tandem Andreas Ierinus canonicus vratislaviensis et sacrae theologiae doctor, cum Lamperdo Claudo vicario, ei adfuerunt. Clerus vratislaviensis catholicus nonnisi usque ad portam urbis, quidam ad curiam tantum episcopalem funus conducere ausi sunt, ita ut sine crux et sine lux per civitatem deduceretur. Sicque Nissam 15. iunii, quo die etiam anno M·D·LXII· primo tanquam confirmatus episcopus et princeps Nissam solenniter ingressus est, ductum cadaver a clero, nobilitate, et civitatibus honorifice susceptum, usque in aulam episcopalem deductum est. In crastino, dum varie canonici vratislavienses de ordine conducendi funeris ad sepulturam disceptarent, omissis penitus vigiliis, funus templo parochiali nissensi illatum est, in quo vivens sepulturam elegerat: sicque habita exhortatione in qua usque ad astra, sic volentibus et petentibus Logianis, sublatus, et celebratis exequiis, per magistrum crucigerorum in sacello ab episcopo Iohanne Thurzone olim exornato, sepultus est, nullis anniversariis precibus in suo testamento ordinatis seu dispositis. Deus misereatur animae.

XXXIX. MARTINUS GERSTMAN.

Martinus Gerstman boleslaviensis silesius, patre Christophoro Gerstmanno viro consulari, et matre Catharina Libaldina anno Domini M·D·XXVII· martii die 8. natus, ab ineunte statim aetate studiis literarum et post iuris prudentiae deditus, doctoris titulum utriusque iuris in celeberrima patavina Italiae academia adeptus fuit. Is, cum sibi ecclesiastica probaretur vita, et ad sacros aspiraret ordines, ab episcopo Casparo Nissae in collegiata, post in cathedrali sancti Iohannis ecclesia Vratislaviae canonicatum, ac tandem decanatum impetravit. Ab olomucensi episcopo Guilielmo ad cancellarii officium vocatus, domi forisque illi muneri ita praefuit, ut eius nomen in divi Maximiliani II. Caesaris curia haud parum inclaresceret, quod nimirum Guilielmi episcopi nomine, dum Caesaris legatum in Polonia ageret, omnia sacratissimo imperatori, magna fide, studio, diligentia, et prudentia singulari referret:

qua re ita delectatus Caesar est, ut in curiam suam et inter familiares suos Gerstmannum adscisceret, et primo secretarium a litteris latinis, post filiorum suorum serenissimorum archiducum Austriae, Matthiae et Maximiliani, praeceptorem constitueret, quibus in muneris et omnium favorem benivolentiam ac amorem sibi conciliavit, et augustissimo Caesari amplissime satisfecit, ut eundem tanquam de se et tota familia ac domo austriaca bene meritum, antiquata plebeii ortus humilitate, nobilium ordini adscriberet, et sacri lateranensis palatii comitem imperatoria auctoritate crearet.

Mortuo episcopo vratislaviensi Casparo, ab imperatore Vratislaviam proficisci iussus, ut electioni novae interesset, praeter spem et omnem opinionem suam, a maiori et saniori confratrum suorum parte, 1. iulii anno Domini M·D·LXXIV· in defuncti locum subrogatus, et magna cum laetitia et gratulatione episcopus proclamatus fuit. Cuius electio tantopere placuit Caesari Maximiliano, ut non solum ipsi liberam concederet apud ecclesiam manendi facultatem, verum etiam epistola ex Molendina Catterburg propria manu scripta, et secretiori parvo obsignata sigillo Caesar filiorum suorum praeceptori, tantus monarcha servo suo, de hac honoris accessione iterum atque iterum perquam humanissime gratularetur, et omnem suam polliceretur operam, apud pontificem romanum Gregorium XIII., sicuti etiam litteris suis tum ad sanctissimum Dominum, tum ad amplissimum Cardinalium S. R. E. collegium id effecit, ut electi episcopi ablegati liberiorem facilioremque haberent apud suam Sanctitatem et illustrissimos Cardinales aditum, et confirmationem citius impetrarent. Et Pontifex quidem uni ex ablegatis dixit, omnia sibi in electo episcopo probari, quod iustam haberet aetatem, quod iuris consultus et doctor patavinus, quod presbyter, quod serenissimorum archiducum praeceptor, et quod a summo imperatore commendatus esset: tum etiam quod secretarium in curia Caesaris ab aliquot annis egisset, quae omnia nihil aliud, nisi fausta et felicia omnia de ipso pollicerentur. Dum adhuc in itinere ablegati essent, Caesar etiam priusquam confirmationem Pontificis Romà accepisset electus, eidem praefecturam supremi capitaneatus totius Silesiae commisit, ac publicis litteris, principibus ordinibus ac statibus mandavit, ut in omnibus quae nomine et loco Caesaris iuberet, electo obsequerentur, et parerent: ac paulo post Caesaris iussu electus omnium ordinum ac statuum conventum Vratislaviae indixit, magnaque cum dexteritate et felici successu absolvit, et in publicis huius provinciae negotiis exhibuit insignis prudentiae specimen.

Accepta ex urbe electionis confirmatione Nissam, episcopatus civitatem primariam, die S. Wenceslai quae fuit 28. septembris, splendide cum comitatu ingressus, honorifice a civibus acceptus est. Ipse statim episcopatus sui initio, postea quam tamen ab archiepiscopo pragensi Antonio, Vratislaviae in cathedrali templo ante consecratus fuisset, ad Poloniae regni proceres, qui demortuo Sigismundo ad alterius regis electionem convenerant, a divo Maximiliano bis missus, tanta cum prudentia in comitiis warsaviensibus negotium suae commissum fidei pro-

posuit, et ea felicitate ac dexteritate perfecit, ut eidem Maximiliano Caesari a praecipuis proceribus regnum Poloniae deferretur, ac eius rei causa splendidissima legatio a Polonis Viennam mitteretur, quae electionis exhibuit decretum, et ut Caesar oblatum acciperet regnum, submisse desideravit. Et recepit quidem regnum sollenni caerimoniarium ritu, accepto iuramento Maximilianus, praesente et consilio suo rem administrante episcopo Martino, sed non longe post Caesar in comitiis sacri romani imperii a se Ratisbonae imperiali civitate indictis obiit, et imperium ac Poloniam aliaque regna cum vita reliquit: dum ibidem principum electorum consensu, vivo adhuc patre Rudolphus filius imperator designatus, et romani regis corona Aquisgrano allata insignitus est. Parem ergo filio Rudolpho Caesari, quam patri Maximiliano longe difficillimis et gravissimis in negotiis praestitit operam ac studium suum episcopus, ac eundem anno M·D·LXXVII· circa pentecostes festum Vratislaviam ingredientem, in patenti campo, cum Silesiae principibus ac ordinibus velut supremus capitaneus germanica lingua, insulae autem appropinquantem habitu pontificali cum sacro canonicorum collegio tamquam episcopus latino sermone excepit, et de felicissimo adventu gratulatus, in templum cathedrale divi Iohannis deduxit, et absolutis ibi precibus, domum a senatu vratislaviensi in foro constructam comitatus est: et tum ibidem integri mensis spatio, quo Caesar Vratislaviae mansit, ei officiosissime pro conditione sua inservivit, tum postea toto vitae suae tempore diligentissime in eam incubuit curam, ut et ecclesiae et optimo Caesari datam fidem constantissime conservaret, et in utroque munere et episcopi et capitanei supremi auctoritatem strenue tueretur.

Vixit in episcopatu annis decem, mensibus totidem, diebus 23: et cum longo tempore, certis tamen intervallis, podagrae ac chiragrae molestiam, praeter reliquas utriusque muneris curas, pertulisset, stomachi vitio supra integri anni spatium laborare coepit: nihilo tamen minus gravissimis provinciae negotiis, ex caesareae maiestatis mandato etiam aeger saepius interfuit, et iter hinc inde fecit: donec extremo quorumdam suasu ad novae cuiusdam medicinae, decoctae radicis et ligni sarsae et sassafras ex remotissimis Indis in has regiones nuper illati, dubiam opem confugeret, et pharmacis a quibus semper abhorruerat, frequentius uteretur, et se totum medici Nicolai Tinzman arbitrio permitteret. Vel igitur nimis operosa cura et quotidiano viginti et amplius diebus medicamentorum usu, quibus non erat assuetum corpus; vel quod vivendi spatium naturae certa et constanti lege circumscriptum esset, episcopus post 23. maii diem, secundum novum calendarium, noctu intra decimam et undecimam horam placidissima morte Nissae ex hac vita migravit, cum aliquot horis ante sacellano suo Iohanni Murmelio confessus, sacratissimum eucharistiae sacramentum percepisset, et sacro oleo iunctus fuisset. Debilitatem, ex qua ad extremum obiit, assidua humorum deiectione contraxit, quae ita paulatim vires fregit, ut sine omni doloris alicuius indicio anima corpore migrarit. Quid diversis locis in episcopatu vel novum instruxerit, vel restauraverit, partim res ipsa, partim litterarum

testimonia saxis incisa, et suis passim in locis parietibus affixa, satis superque loquuntur. De facultatibus suam post mortem relictis, consensu capituli, per testamentum manu sua scriptum disposuit. Vir fuit haud dubiae doctrinae, rerum usu ac prudentia excellenti, ac ad omnes cuiusvis fortunae casus et eventus impavido plane animo et mente infracta. Ferventes tamen et iracundos spiritus eius, quibus saepe magis sibi ipsi quam aliis obfuit, aliqua aequabili et moderata temperie indigere multi censebant. Nissae in parochiali ecclesiae divi Iacobi sacello, quod renovatum altari recenter dotato lapideo artificiose exornari curaverat, sub fenestram, anno Domini M·D·LXXXV· die 3. iunii honorifico caerimoniarum ritu et apparatu, tum ad honestatem tum ad devotionem composito, sepultus est, sicut illud ut fieret, si Nissae moreretur, testamento inscripserat. Antistitis huius manibus nos sanctam quietem ex animo precamur.

XL. ANDREAS IERINUS.

Andreas Ierinus Rudlingae, oppido Sueviae ad Danubium, ex plebeio ordine, patre Ludovico senatore, et matre Magdalena natus, ab ineunte aetate litteris operam dedit, eo cum successu et felicis ingenii acumine, ut a cardinale augustano Truchsesio dignus iudicaretur, qui nepotum suorum in nobilissima et florentissima academia lovaniensi ageret praeceptorem. Romam postea profectus, in collegio germanico septem vixit annis. Praetoriae Pontificis maximi Helvetiorum cohorti a concionibus sacris fuit. Doctoratus gradum in theologia Bononiae adeptus, in Germaniam et Dilingam rediit, ubi aliquot annis parochi officio ac munere est functus. Vratislaviam tandem venit, et canonicatus a pontifice maximo Gregorio XIII. collati cepit possessionem. Praeposituram vero a comite Rosdrazovio per resignationem ibidem est consecutus. Mortuo episcopo Martino, communi et unanimi voto anno Domini M·D·LXXXV· die 1. iulii in episcopum electus, toto vitae suae spatio omnem eo convertit curam, ut et Deo et ecclesiae et provinciae suae, praecipue etiam sacratissimo Caesari Rudolpho suam industriam et fidem comprobaret. Specialiter autem ecclesiam cathedralem non solum insigni ornatu et habitu statim ab initio regiminis sui dotavit, sed etiam sacello aulae nissensi hac in parte de suo bene providit. Domum sancti Andreae pro duodecim nobilibus circa scholam alendis Nissae erexit. Seminarium quoque in meliorem redegit ordinem, ac maioribus, quam antea factum fuerat, aluit impensis: tum demum argenteum altare cum candelabris, cruce, lampade, ad luculentum sedis cathedralis decus, elaborari curavit. Reipublicae vero a principio statim, et postea infelici illo tumultuum polonicorum tempore, summa cura et sollicitudine, domi optime praefuit. Demandata negotia sacrae caesareae maiestatis nomine pro totius patriae utilitate gravissimas expedivit, bellicos sumptus non faciles sustinuit. Sed et in re domestica amplificanda, tam brevi tempore, boni patrisfamilias officium diligenter est exequutus: nam sedem nissensem non parvi spatii vallo exterius munivit, intus testudinibus novis et con-

clavibus rectius in ordinem redigendo multa correxit. Hortum novum et amoenum in usum commodum curiae nissensis ante portam munsterbergensem, coëmpta de suo vicina quadam parte, plantavit: ecclesiam Hermstadti a fundamentis erigi et exornari curavit: praedium nitterwicense murato aedificio melioravit: castrum Ottmuchoviense cum turri ruinosa multis in locis refecit: molendinum in suburbio vratislaviensi apud divum Mauritium ante exustum, vulgo Krottenmühle, de novo aedificavit. Foris quoque in legatione ad Poloniae regem operam suam strenue navavit, quam legationibus quinque Warsaviam, ad comitia regni Poloniae tribus, una Lublinum, duabus Cracoviam fecit contestatam. Undecim in episcopatu vixit annis, et ex Cracoviensis legatione domum aeger reversus, 5. novembris die anno Domini M·D·XCVI· praesentibus consiliariis, cubiculariis, aliisque aulicis, antea sacramentis procuratus, placide ex hac vita emigravit, aetatis anno LVI. Vratislaviae testamenti praescripto sepultus.

XLI. BONAVENTURA HAN.

Bonaventura Han glogoviensis silesius, utriusque iuris doctor, canonicus vratislaviensis, eligitur unanimiter libera electione, a capitulo vratislaviensi anno M·D·XCVI· die 5. decembris. Ibidem medius inter dominum praepositum et dominum scholasticum, primo ad locum ante summum altare praeparatum cantato sancti Ambrosii et Augustini hymno, tandem et ex ecclesia cathedrali in suam domum eodem comitatu, sparsis aureis et argenteis in populum nummis, deductus est: cui etiam statim eodem die principes Silesiae, qui tum Vratislaviae aderant, gratulati sunt. His ita peractis, adsignatus et datus est domino electo locus in castro Ottmuchoviensi, cum quibusdam certis pro sustentatione seu alimentatione reditibus, donec approbatio et intercessio Imperatoris ad summum Pontificem, et a Pontifice confirmatio et pallium impetraretur. Etenim imperator Rudolphus alios duos, capitulo vratislaviensi ad electionem proposuerat, unum dominum praepositum vratislaviensi Iohannem Sitsch, qui prorsus onus tantum suscipere renuebat, et vota sua quae illi a capitularibus data erant, domino electo Han sponte tradiderat: alterum dominum Paulum Albertum scholasticum ibidem, qui episcopatum vehementer ambiebat, et omnem movens lapidem, ad singulos dominos praelatos et canonicos speciales intercessorias litteras, hac de causa ab Imperatore impetraverat. Caesar, inquam, hac re commotus, non solum quod eius intercessioni et commissariorum nullus vel exiguus haberetur respectus, verum etiam quod dominus electus, quorumdam dominorum consilio, personaliter coram Caesare se sistere, et approbationem electionis petere distulisset, ne scilicet libera capitularium electio per hoc labefactari vel diminui videretur, non tantum electionem hanc non approbavit, sed intercessionis loco, id apud summum Pontificem effecit, ut electio ista irrita haberetur. Et cum bona ecclesiastica ex toto episcopatu in divisionem cederent capitularium, Imperator quatuor receptores omnium redituum episcopatus constituit, et ne

amplius quicquam administratoribus ex debitis tributis a subditis numeraretur publico mandato per supremum capitaneum Silesiae principem Carolum Olsnensem proposito 10. septembris. Capitulum itaque vratislaviense per suos quoque commissarios domino electo de possessione episcopatus dimittenda denunciarunt, et ut intra spatium unius mensis ex castro Ottmuchoviensi cedat mandarunt. Tandem electus Pragam anno M·D·XCVIII· 21. die septembris, sed nimis sero ad Caesarem se confert, ut causam suam, quae alioquin iustissima erat, promoveret et defenderet. Verum a plurimis iisdemque praecipuis optimatibus aulicis et consiliariis Imperatoris, quos iam doctor Paulus suis largitionibus, corruptionibus, et ingentibus promissis ad suas pertraxerat partes, impeditus, audientiam nullam apud imperatorem impetrare potuit. Pendente per triennium lite, tandem summo Pontifice connivente, et sic Caesare Rudolpho volente, alia electio instituta est. Hoc tempore anno M·D·XCV· Strigonium Turcis ereptum. Anno M·D·XCVIII· 29. martii dominica, quae dicitur quasi modo geniti, Iaurinum novo strategemate, pedarda nimirum admota, Turcis rursus ereptum. A die 17. et 18. eiusdem anni inundationes inauditae aquarum Nissae, quin et per totam Germaniam, fuere. Deinde electus Bonaventura Han amplius ad cathedralem ecclesiam vratislaviensem non est reversus, sed ad cardinalem Dietrichsteinium episcopum olomucensem se contulit, suffragia et consilia quaesivit, deinde anno Domini M·DC·II· die 29. iunii in Petri et Pauli festo, Olomucii moritur, ibidemque sepelitur.

XLII. PAULUS ALBERTUS

Dum itaque episcopatus vratislaviensis per triennium quasi sine pastore et capite esset, grassabatur in subditos omne genus hominum petulantium nobilium et militum, vigente admodum bello hungarico. Tandem anno M·D·XCIX· die 5. maii, imperatore II. Rudolpho sic volente, principibus et populis Silesiae vehementer contradicentibus, exemplo praedecessorum edocti, quod nimirum exteri non animas sed bona Silesiae quaererent, unde suos consanguineos locupletiores redderent, electus est nihilominus Paulus Albertus doctor et scholasticus vratislaviensis, suevus non procul Constantia ex oppido Zell oriundus. Is cum Clementem pontificem et Caesarem faventes haberet, confirmationem Roma die 5. septembris accepit, sublataque omni mora, possessionem Vratislaviae suscepit, et mox Nissam ad residentiam die 27. septembris, cum sumptuosissimo apparatu, inaudita pompa et magnificentia, comitantibus principibus et baronibus Silesiae ingressus est, quam et pingi et suo ordine litteris mandari per certos et aptos viros, priusquam fieret, instituit. Vir certe magnanimus, et ad res magnas natus, quique nihil non magnificum et memoria dignum attentare et aggredi voluit, vel aliis etiam renuentibus. Infula a cardinale Francisco a Dietrichstein episcopo olomucensi seu kremsirensi ut sibi imponeretur satagebat, et obtinuisset, nisi et Cardinalis valetudo, et pestis, quae totam fere provinciam hanc misere affligebat, praepedissent. Dum itaque consecratio differtur,

metropolitam in Armeniam legatum ire iussisset; quodque Armenii vicissim suae fidei libellum misissent, mortuo interim patriarcha Germano. Tum vacantis ecclesiae clerum et imperatorem, libello lecto, misisse in Armeniam iterum Melitenensem episcopum, cum praelato alio, et cum illis litteris quas nos secundas diximus, et paulo ante summatim retulimus. Quid inde porro secutum sit, dicit nunc Manuel patriarcha, nempe Armenios vana verba legatis dedisse, scilicet nihil confieri posse, quia patriarcha eorum procul aberat in arce Romela ad Euphratem, sine cuius simulque gentilis synodi auctoritate perfici unio non poterat. Igitur post hanc alteram legationem, ac futile Armeniorum responsum, aliquot annos decurrisse (nimirum ab anno circiter ·M·CC·XLI· usque ad ·M·CC·XLVIII·); donec iterum Armenii ad graecum imperatorem scripsisse videntur de negotio concordiae: quam Graeci ut absque diuturniore mora conficerent, tertiam nunc legationem mittunt, nempe Melitenensem praedictum, et Philadelphiae metropolitam Phocam, ad firmandum denique, si fieri posset, religiosum foedus, ita tamen ut de quibusdam capitulis Armenios antea interrogarent, quae valde intererat utrum ipsi admitterent necne. Hortatur denique Manuel patriarcha Haitonem regem eiusque gentem, ut memores orthodoxi Tiridatis et veterum Armeniae episcoporum qui tribus prioribus conciliis interfuerant, in fidei unitatem cum catholica antiquitate conspirent.

8. Ex his, quae hactenus disputavimus, perspicue constat, praecipuam Armeniorum haeresim in hoc verti, quod *neque duas in Christo naturas profiteri volunt, neque synodum chalcedonensem, epistolamque S. Leonis PP., quae id dogma definiit, admittere*. Quatuordecim igitur iam prope saecula effluxerunt, ex quo pars Armeniorum maxima in praedicta secta doctrinaeque perversitate versatur: Graecorum autem ad insinuandam orthodoxiam, revocandamque concordiam conatus plerumque irritos vidimus. Latinorum tamen paulo feliciores tractatus cum Armeniis fuisse scimus: ecce enim gentis eius mediocris numerus, Dei gratia electus, abiecta illa quam designavimus haereseos tessera, cum romano Pontifice, id est cum catholica ecclesia, unitatem fovet. Qui utinam fortunatarum Deoque dilectarum animarum numerus magis magisque in dies augeatur! quam rem haud inani fortasse neque infirma spe nos auguramur.

PHOTII PATRIARCHAE

EPISTOLA

AD ZACHARIAM PATRIARCHAM ARMENIORUM.

Illustri atque omni genere virtutum fulgenti, dilectissimo domino nostro Zachariae, viro apostolico, et magni Thaddaei apostoli ac beatissimi sancti Gregorii sedem tenenti, magistro atque inspectori regionis Ararat, populi borealis primati, magno pastori exercituum Ascenez (1), in pontificali eminentia constituto, et pignus futurae inter angelos remunerationis habenti,

Photius archiepiscopus Constantinopoleos, novae Romae,
salutem Sanctitati vestrae dicit.

1. Plurimas Deo gratias egimus, cuius beneficio nobis contigit, ut Sanctitatis vestrae epistolam, quae catholicae vestrae fidei nuncia est, reciperemus; atque ut in ea, tamquam in theologiae sole, verbis quidem parca, sed doctrinis ubere, spiritalis concordiae studium cerneremus. Quod autem de concilio chalcedonensi scribitis vos dubitare, ipsumque suspectum habere, propterea quod fama didita sit, id ceteris orthodoxis conciliis adversari; ita tamen ut subiungatis, vos omnino neque Iacobi Zanzali, a quo Iacobitae, neque Iuliani halicarnassensis, neque Petri antiocheni, neque Eutychis discipulos esse, sed sancti Gregorii martyris et confessoris ac borealium omnium populorum illuminatoris, id inquam magna nos laetitia cumulavit. Quum enim tanti doctoris alumni sitis, prorsus non decet, vos mentis vestrae consilia sequi, sed illam potius amplecti sententiam, quam sacrae litterae suadent; neque illorum falsam cavillationem pensi habere, qui scripturam sacram pro sua opinione depravant, inconstantibus hominum animis fucum facientes; veluti olim pseudo-prophetae, qui ex suae mentis arbitrio, non ex Dei voluntate loqui solebant.

2. Age vero nos diligenti vestigatione comperimus, anno adamussim quinto decimo post sancti Isaaci ex hac vita ad Christum Iesum discessu, coactum fuisse chalcedonense concilium; quo anno sanctus

(1) Si Ascenez sunt Armenii, ut apparet etiam ex Hieremia LI. 27, vana est conclusio disputationis Calmeti ad Genes. X. 3, qui Ascenez definit esse populos Ascanticos circa Tanaim. Gravius adhuc alucinatur Combefisius in adnotationibus ad Iohannis nicaeni epistolam (de qua nos retro p. 441) qui vocabulum *azat* de Armeniis dictum, existimat interpretandum esse ἀσκητάς, *religiosae vitae homines*; quum contra *azat* armeniace significet *liberae conditionis homines* seu *optimates*.

Vardanus cum exercitu suo in ardacensi provincia martyrium fecit, sedem episcopalem tenente Iosepho ex Leontii (1) sodalibus uno. Quam ob rem Armenii Persarum incursione vexati, ei concilio interesse non potuerunt; atque hinc accidit, ut verax concilii eius relatio ad eos non devenerit. Nihilo tamen minus Armenii concilio illi non sunt adversati, immo auctoritatem eius agnoverunt usque ad devinense conciliabulum, per annos ·CVI· (2), nempe a secundo Marciani anno usque ad Iustiniani decimum, et Nersetis catholici ascitaracensis sextum, qui devinense praedictum concilium congregavit (3), Persis in Armenia regnantibus, decimo quarto Chosrois imperantis anno; usus ad eam rem ministro Abdiscio syro, qui de Sassane monasterioque Sareptae cum sociis advenerat: hique ordinati sunt a Nersete episcopi, admiseruntque Dioscorum, et Flavianum civitatis Nabuchi (4) episcopum, ac Timotheum alexandrinum cognomento Aelurum: iidemque libros varios in armeniacam linguam transtulerunt, insertis multis contra chalcedonense concilium calumniis (5). Hi idcirco postremorum interpretum titulo indigitantur.

3. Ergo Armenii istorum doctrina imbuti unam Iesu Christi hominis ac Dei naturam agnoverunt, et trisagio verba *qui crucifixus es* addiderunt; quod studiose fecerunt, ut chalcedonensi concilio et quinque patriarchis contradicerent: atque ita a Graecorum communione, indicto his anathemate, recesserunt. Ea res Persarum regem magno gaudio adfecit,

(1) Leontius insignis apud Armenios illius temporis sacerdos, qui cum ceteris necem illam gloriosam a Persis passus est, quam luculenta historia narravit armenius Elisaeus.

(2) Cod. mendose LXXIV.

(3) Galanus quidem, Villottus, et Lequinius, freti historicis armeniis aliquot, quorum notitia ad eos pervenit, devinense conciliabulum in Nersetis ascitaracensis patriarchatu collocant. Sed tamen veraciores et graviores historiae nostrae scriptores, rem illam in Abrahami I. patriarchatu peractam dicunt, qui anno DLIV. electus fuit, et Cyrioni Iberorum patriarchae adversari coepit chalcedonensis concilii defensori; ideoque praedictum conciliabulum celebravit, ut Cyrionem excommunicaret, atque unam esse decernerет Christi Iesu naturam, et denique trisagii notissimum illud additamentum cani iuberet. Constat insuper librorum haereticorum apud Armenios interpretationem, quam Photius in epistola memorat, sub Abrahamo patriarcha fuisse curatam; syrum vero Abdiscium a Nersete haud quidem ascitaracensi sed Scinogho fuisse consecratum, qui nonnisi anno ·DCXL· ordinatus fuit, et pseudo-synodum Devini convocavit. Quia ergo, prout sana chronologia tradit, chalcedonense concilium anno ·CCCCLI· habitum est, quo adamussim anno Vardani sociorumque eius martyrium contigit, sequitur ut devinense conciliabulum ad annum post chalcedonense ·CXLIV· referendum sit. E. Hormutius.

(4) An *Nabachi?* Certe apud Assemanum Bibl. orient. T. II. p. 244. legimus, Dioscori nabachaei operâ catholicum Libani ducem, gente maronitam, iacobiticis erroribus infectum fuisse.

(5) De plurimis inter Armenios propagatis erroribus diu multumque loquitur Isaacus ipsorum catholicus apud Combefisium Auct. B. PP. p. 318-415.

quia nempe Armenios a Graecorum auctoritate recessisse videbat: quare collaudato Nersete, filium suum, prout promiserat, in adoptionem ei tradidit, et armeniacae provinciae vectigalia administrationi ipsius et faventium ei episcoporum permisit. Attamen anno ·XVI· aerae armeniacae (1) Vardanus mamiconensis Surenam interfecit, provinciae armeniacae pro Persarum rege praefectum, iniuriae impatiens, quam Surenas optimatibus intulerat, ablatas his dignitates ad episcopos transferendo: quo patrato facinore, ipse cum suis cognatis multisque opibus ad Graecos profugit.

4. Iustiniani imperantis anno ·XVII· (2) dum is sanctae Sophiae templum exstrueret, ipso sanctissimae crucis festo die, Vardanus communicare Graecorum sacris recusavit, dicens eam sibi rem per institutores suos non licere (3). Tunc imperator multorum episcoporum magistrorumque convocari concilium iussit, centumque et triginta homines Constantinopoli convenerunt. Hoc quintum concilium dicitur; cui Armenii quoque interfuerunt, et chalcedonense concilium se admittere scripto testati sunt. Praeterea cum Musceghus mamiconensis Graecorum Armeniorumque copiis sociatis, Chosrois Persarum regis potentiam fregit, atque ab ipso rege non sine honore dimissus ad Mauricium imperatorem rediit, oborto forte de rebus sacris sermone coram imperatore, hic novum concilium indixit, ad quod episcopi armenii ·XXI·, graeci autem ·CLX· (4) concurrerunt; idque sextum concilium appellatur: in quo rursus Armenii, quaestione instituta, chalcedonense concilium scripto suffragio comprobaverunt sub Mose gentis catholico.

5. Postremo cum Heraclius imperator relata de Persis victoria Carinam (quae est Erzerum) venit, Armeniorum catholicus Esdras multos gentis suae episcopos, nec non syros complures convocavit; a quibus ventilata accurate controversia triginta diebus, denuo consenserunt Armenii sponte sua, cogente nemine, ut concilium chalcedonense scripto firmarent (5). Quod vero ad Iohannem mairacomensem adtinet, is quidem Sabellii Petrique antiocheni morbo correptus, mentes omnium furore conturbabat. Quam ob rem regnante Constantio Heraclii filio, patriarcha Nersete qui dicitur Scinoghus, Diodoro autem Restunio principatum

(1) Initium aerae armeniacae, apud Samuelem aniensem in chronico, sumitur a Christi anno DLIV.

(2) Corruptas saepe in hac epistola numerales notas comperimus. Vir cl. Invernitius in magni Iustiniani vita p. 122. seq. narrat ab hoc imperatore impensam fuisse operam templo S. Sophiae aedificando vel potius instaurando, annis sui imperii secundo et quinto, et undecimo demum sollemni ritu dedicatum.

(3) Contraria his referuntur in Armeniorum historiis, nempe Vardanum sub Iustiniano II, seu Rhinotmeto, venisse Constantinopolim, ibique in sanctae Sophiae templo cum sociis suis Graecorum sacra frequentasse. E. Hormutius.

(4) Minor veritate numerus hic videtur, culpa ut reor amanuensis.

(5) Confirmatur hoc a chronico armeniaco apud Galanum T. I. p. 186.

Armeniorum tenente, huius improbi hominis candente ferro frons signaculo vulpis notata fuit, atque ita infamatus ad Caucasi cautes relegatus est. Verum is post Nersetis obitum reversus in Armeniam, voti sui compos est factus, praecipue post conversum in armeniacam linguam Iuliani halicarnassensis librum (1) Sergii opera in synodo Manazacertae. Atque hinc doctrinâ suâ confirmatâ, aligero prope cursu universam regionem vestram pervasit.

6. Iam vero vestra prudentia plane intelligit, quod si tantus episcoporum numerus Chalcedone convenit ut errores confirmarent, haud ipsi tantummodo forent vituperandi, verum et orbis totus qui ipsorum sententiae assensus est. Attamen vos pro virtute vestra cavete ne decipiamini. Namque infirmi quidem homines instabiles atque rudes, credulitate laborare solent et fraudibus decipi; sapientes vero fallacias huiusmodi auribus aversantur.

Postea Photius christianae religionis origines et incrementa paulo fusius narrat, graecam gentem praecipue dilaudans ob variam humanarum litterarum scientiam, quae verae recipiendae religioni viam stravit; atque ob tot eius doctores catholicos, quos appellat: nominatimque Constantinopolim celebrat tamquam novam Hierusalem. Ceteroqui de patriarchatuum aliquot origine malitiose et procul omni veritate loquitur. Hanc nos epistolae photianae partem, nulla rerum novitate utilem, ob arctatum libri nostri spatium non inviti omittimus; atque ad controversiam cum Armeniis properamus, quae et tunc et omni tempore duplex fuit, de admittenda videlicet chalcedonensis concilii auctoritate, et de credenda verbisque profitenda duplici in Christo natura. Quod enim Armenii heterodoxi chalcedonense concilium ad hanc usque diem respuunt, in causa iam non est facti historici ignorantia aut error, sed ipsa potius haeresis monophysitica, quam a concilio damnatam ipsi retinent a maioribus suis traditam ac propugnant, dum unam pertinaciter in scriptis et confessionibus suis Christi naturam dicunt; reclamantibus omnibus, qui adversus eos quovis tempore disputarunt, chalcedonensis synodi defensoribus, ut et in his Photii aliorumque Graecorum epistolis, et in evulgatis aliis a me veterum libris saepe videre est. Sic ergo pergit Photius.

7. Nunc quum a domini nostri Iesu Christi nativitate (2) usque ad annum Marciani imperantis secundum anni effluxerint ·CCCCLI· (3); et

(1) Intellige praecipue opus pro haeresi Incorrupticolarum, quod Iuliani scriptum refutat Severus antiochenus apud nos in hoc ipso volumine. Sergii autem interpretis meminit ill. et rev. Suniae Archiepiscopus in suo egregio conspectu historiae litter. arm. p. 40.

(2) Photius ait a *gloriosissima resurrectione*. Usus sum hac libertate aeram variandi; secus enim, totus temporum calculus corrueret, vel certe a communi supputatione descisceret.

(3) Cod. CCCCLXII, quae fortasse amanuensis armenii menda sunt heic

deinde post concilium chalcedonense usque ad nos, anni ·CCCCXXIV· (1), mirum est ac prope portentosum, credi a vobis posse, quod populus sanctus, electus atque acceptabilis, qui annis ·CCCCLI· (2) recto cum dogmate evangelium conservavit, quo veluti copioso fonte perpetuoque flumine orbis terrarum irrigatus est, subito errore abripi se permiserit; quum is potius haereticos omnes semper refutaverit, fidemque orthodoxam servaverit. Praeterea exploratissimum est, omnes homines a praedictis doctoribus (3) evangelicam veritatem hausisse: etenim sanctorum doctorum quos supra laudavimus libri per orbem diffusi fuere, qui Christi divinitatem aperte adserunt. Ergo a sancto nicaeno concilio initium capiamus, cuius breviter argumentum exponemus, et cum chalcedonensi conferemus, ut appareat num cum illo hoc consentiat, eiusque vestigiis insistat, an adversetur potius vel repugnet.

8. Beatus Epiphanius octoginta recenset haereses, viginti quidem ante Domini nostri incarnationem, post hanc autem sexaginta. Attamen haud opus fuit universali concilio ob illas extinguendas, quia videlicet sancti ecclesiae doctores omni tempore, una cum nonnullis episcopis, eas profligaverant, ac veritatis oraculis tamquam lapidibus obruerant. Igitur impius ille princeps, qui deitatem ambiens, thronum suum supra nubes statuere dixit, seque Altissimo parem esse, quum evangelium citato cursu per quatuor mundi plagas, nemine obstante, pervagari cerneret, livore tactus, currum ipse quoque sibi machinatus est quadriformem, contra evangelicam quadrigam, quatuor scilicet rotas ex haeresibus quatuor componens, quarum duae adversus sanctissimam Trinitatem blasphemias evomunt, reliquae duae contra Servatoris incarnationem, sicuti scriptum est: *posuerunt in caelum os suum, et lingua eorum transivit in terra*. Scilicet convicium sacrosanctae Trinitati fecerunt, Verbumque ob mundi salutem in terras delapsum, atque eiusdem incarnati oeconomiam calumniati sunt. Causa autem illis erroris perniciosi fuit, ipsorum stultitia adfirmantium unam naturam, unamque hypostasim id est personam. Reapse Sabellius libycus etsi unam sacratissimae Trinitatis naturam profitebatur, personas tamen in unum confudit, seque in barathrum perditionis coniecit, quia confusionem mixtionemque invexit atque alterum iudaismum. Arius contra alexandrinus, aeque ac tres in sanctissima Trinitate personas, naturam quoque subdividere ni-

P. 72. 8.

et alibi. Et quidem anni etiam apud chronicon Samuelis immaniter variant.

(1) Cod. CCCCXXXIV. Atqui Zacharias patriarcha multo ante ann. 896. obierat (quot conficiuntur ex 462 et 434) teste Samuele aniensi in editione nostra mediolanensi p. 65, quo in loco idem Samuel memorat hanc Photii epistolam ad Zachariam extremo eius viventis tempore missam.

(2) Cod. rursus CCCCLXII.

(3) Apostolis, evangelistis, Iustino, Irenaeo, Athanasio, Gregoriis tribus graecis, Gregorio item armenio, Cyrillis duobus, Ambrosio, Dionysio, Ioh. chrysostomo, Epiphanio, Proclo; namque haec nomina recitat Photius in parte epistolae omissa.

sus est in tres diversas differentesque substantias; consequenterque a veritate devius, creatum a Patre Filium dixit, non genitum.

9. Quum sic igitur a Sabellio et Ario ecclesia Dei turbaretur, anno post domini nostri Iesu Christi magni Dei nativitatem ·CCCXXV· (1), Constantini imperantis ·XIX· (2), sancti patres convenerunt Nicaeae, adfueruntque ibi patriarchae, Romae quidem Silvester (3), Alexander Alexandriae, Eustathius Antiochiae, Alexander Constantinopoleos (4), Macarius Hierosolymorum, Aristaces (5) quoque Armeniorum sancti Gregorii locum tenens: hique simul cum ·CCCXVIII· episcopis, ecclesia cum anathematibus expulerunt Sabellium atque Arium, confessique sunt filium de patre genitum et radium substantiae eius. Mox de Arianorum secta Macedonius extitit Spiritus sancti hostis, quem creatum non autem emissum neque procedentem a Patre aiebat. Montanus vero aliique Sabellii alumni, maiore adhuc impietate sanctissimam Trinitatem ad unicam personam redegerunt. Igitur annis ·LVI· (6) post nicaenum concilium decursis, anno magni Theodosii imperantis ·III· (7), sancti patres Constantinopoli sunt congregati. Aderant patriarchae Damasus Romae (8), Nectarius Constantinopoleos, Timotheus Alexandriae, Cyrillus Hierosolymorum, Meletius Antiochiae, sanctusque Nerses Armeniorum, qui simul cum episcopis ·CL· exturbaverunt ecclesia non sine anathematibus Macedonium et Sabellii adseclas. Atque haec duo sancta concilia duas contriverunt tartarei currus rotas, duas videlicet impias haereses, quarum altera sacratissimam Trinitatem pessime dividebat, altera vero non sine scelere confundebat. Ab his duabus synodis edocemur personae a natura distinctionem: etenim tres personae, tres veluti facies et aspectus, tres proprietates, tres hypostases sacrosanctae Trinitati insunt, Pater, Filius, et Spiritus sanctus: una vero natura est, una essentia, una substantia, una dominatio, una immensitas: distinguitur enim Trinitas secundum personalitatem, unitur autem secundum naturam: quippe quum sit una in tribus deitas, distincta est tamen in singulis personalitas: unusquisque autem ex sua proprietate dignoscitur.

10. Ecce intelleximus diversam esse a natura personam: est enim dis-

(1) Cod. CCCXV. *a resurrectione.*

(2) Ita recte codex.

(3) In epistola ad Michaëlem bulgarum Photius rectius dicit Silvestrum adfuisse Nicaeae, non ipsum per se, sed per legatos suos.

(4) Omittit hunc recte S. Germanus apud nos in Spicil. T. VII. p. 19. Photius autem vana ambitione et contra omnem historiae veritatem, facit hunc patriarcham Constantinopoleos ante nicaenum concilium.

(5) Aristaces hic dicitur Arethas in nicaenorum patrum catalogo Theodori lectoris apud nos Script. vet. T. X. p. 38. col. 2.

(6) Cod. LXXIV.

(7) Cod. XXV.

(8) Nimirum per suos legatos. Pro Damaso mendose prorsus scribitur *Caelestinus* apud S. Germanum in Spicil. T. VII. p. 33. Neque enim Caelestini aetas id patitur.

tincta persona, natura vero adunata et singularis: nam et humana natura mente intelligitur, persona sensu percipitur. Etenim natura his definitionibus constat, nempe animal, rationale, mortale: persona vero ex accidentibus consurgit, videlicet colore nigro, albo, flavo, calvitie, oculis glaucis; ita ut accidentia quidem augeri minuique queant, natura non item. Natura cunctis hominibus est communis, persona est peculiaris et in aliqua re subsistens. Etenim beatissimae Trinitatis infinita natura aeque pertinet ad singulas tres personas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: at vero proprietates distinctae sunt in unaquaque persona et hypostasi. Quippe a natura communiter habent ut sint dominus, Deus, omnipotens, providentissimus, creator, intellectui impervius, incomprehensibilis, sine qualitate aut quantitate, neque loco, neque tempore definitus, sine initio, sine fine. Quod vero ad proprietates adtinet, Patris quidem proprietas est, ut sit genitor, et causa, utque careat principio, ipse autem illorum qui ab ipsomet sunt principium sit, idem tamen numquam inceptus: idem mittens, non a quoquam genitus, neque a semel vel quovis factus. Filii autem proprietas est ut sit filius, verbum, genitus, lux, forma, sapientia, radius, imago, typus atque character. Denique Spiritus sancti proprietas est, ut procedat, ut sit veritatis spiritus, consolator, instaurator, rectus, bonus. A Patre sunt Filius et Spiritus sanctus; neque tamen hi appellantur fratres; neque ambo filii sunt: veluti ab Adamo tum Seth tum Eva provenerunt, quin tamen vel fratres sint, vel ambo filii. Siquidem Pater est generans, Filius genitus, Spiritus sanctus procedens. Hinc Filius sedere ad Patris dexteram dicitur, Spiritus vero sanctus ad dexteram Filii Etenim in psalmo 'CIX' ait Pater Filio: *dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*. Et mox idem Pater ait Filio: *tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, Dominus a dextris tuis*.

11. Ceteroqui neque maius neque minus in Trinitate sanctissima comperitur; etenim maius et minus, grave et leve, multum vel parum, a temporibus pendent et horis. Atqui ubi neque tempora esse queunt nec horae, ut in divina natura usuvenit, ibi nihil est maius vel minus. Maiorem autem dixi aliquando Patrem (1), ceu genitorem videlicet atque causam: neque id tamen absque metu dixi, debilitatem veluti ei attribuens, atque ipso obsequio meo laedens. Quippe Patri non est gloriosum, si minores ii sint qui ab ipso proveniunt: est enim infirmitas quaedam, si Filium gignere nequeat, neque Spiritum emittere, sibi aequales. Nam gloriosissimam Patris potentiam decet, ut aeque gloriosi sint qui de eius natura promanant. Non est ergo genitus neque procedens Pater; non est genitor neque procedens Filius; non est genitor neque genitus Spiritus sanctus, quia perpetuo procedit. Laetatur Pater gloria Filii; gaudet Filius ob honorem Patris; Spiritus demum sanctus Patrem

(1) Legatur graecae ecclesiae synodus sub Manuele Comneno ob locutionis dominicae, *pater maior me est*, difficultatem et controversiam celebrata, apud nos Script. vet. T. IV.

Filiumque glorificat; quippe qui de illorum substantia accipiens, creaturas renovat, ab ipsoque omnia facta sunt in caelis et super terra, visibilia et invisibilia, sensilia et insensilia, corporalia et incorporea.

12. Hanc fidei professionem acceperunt Armenii a magno Gregorio, et a sancto Aristace, beatoque Nersete, qui illis eam adtulerunt a duobus sanctis conciliis nicaeno et constantinopolitano: qui duo consessus duas currus tartarei ut diximus rotas fregerunt, Sabellium videlicet atque Arium. Sed Diodorus quidam tarsensis, qui primo arianus, postea ad orthodoxam fidem conversus, Filium Patri gloria aequalem confessus fuerat; quum indecorus ei videretur divini Verbi descensus in sanctae Virginis uterum, commentus est Iesum Christum hominem tantummodo fuisse creatum in Virginis sinu, Virginemque ipsam dixit templum fuisse veluti et altare, ita ut in ipsa, tamquam in ara, divinum Verbum habitaverit: ideoque haud deiparam fatebatur Mariam sed hominis genitricem, duos censens esse filios, alterum natura, alterum secundum gratiam (1). Huius alumnus fuit Theodorus mopsuestenus: atque ab horum exsecrandis scriptis caecatus Nestorius, quum huius nostrae metropoleos cathedram inscendisset, corruptum suum patefecit animum, quem catenus caute celaverat, coepitque ecclesiam Dei conturbare, et orthodoxos episcopos in exilium pellere.

13. Igitur quinquagesimo (2) post constantinopolitanum concilium anno, Theodosii vero iunioris ·XXIII· (3), sancti patres Ephesi concilium celebrarunt, quos inter praecipui patriarchae erant Caelestinus romanus (4), Cyrillus alexandrinus, Iohannes antiochenus, Iuvenalis hierosolymitanus, qui simul cum ducentis (5) episcopis impium Nestorium anathemate perculsum ab ecclesia exterminarunt. Cyrillus autem alexandrinus, et Proclus cyzicenus litteris ad sanctum Isaacum in Armeniam missis (6), causam celebrati concilii eum docuerunt: sanctus vero Isaacus concilii auctoritatem admisit, et Nestorio dixit anathema. Haec fuerat rota tartarei currus tertia.

14. Posthinc apparuit scelestus Eutyches, sabellianae sectae surculus, qui unam esse dixit deitatis et corporis Iesu Christi naturam: opinabatur enim factam unionem ante saecula, et corpus de caelo delatum, non autem ex Virgine captum. Nestorius divinum Verbum negavit natum esse de Virgine, negavit Eutyches Verbum naturam nostram sumpsisse

(1) Merito ergo nos reprehendimus in praef. p. XXV. Montacutium anglum, qui valde ἀμούσως se fecit Diodori huius ac Theodori protectorem.

(2) Cod. XLV.

(3) Cod. XV.

(4) Immo Caelestinus per Cyrillum praefuit, uti exploratum est, atque ut nos ipsi emendavimus in S Germano lib. cit. p. 37.

(5) In fragmentis tusculanis dicuntur ·CCXL·

(6) Procli antea electi cyziceni postea constantinopolitani episcopi extat dogmatica epistola ad Armenios; Cyrilli non item, nisi forte est una ex encyclicis.

de matre, ac ratione ineffabili et mira cum sua deitate copulavisse. Porro Flavianus nostrae metropoleos patriarcha, re cognita Eutychem iussu Leonis romani patriarchae sacerdotio statim atque ecclesiae communione privavit. Hic tamen primarium eunuchum, quem sua pestilentia afflaverat, Chrysaphium (1) rogavit, ut pro se ad alexandrinum Dioscorum scriberet: quod reapse eunuchus praestitit, datis ad Dioscorum litteris, a quo Eutyches in ecclesiae gremium fuit receptus. Mox tamen ipse Dioscorus conscientiae morsibus ictus, timens ecclesiae canones (2) et legem excommunicationis, propterea quod depositum ordine hominem et anathemati subiectum recepisset, absque mora postulavit a praecipuo illo in aula eunucho, ut concilium Ephesi indiceretur, haud sane divinae voluntati conforme, nec ecclesiae utile, sed ut patratum a se crimen velaret. Neque vero illic synodico iure se gessit Dioscorus, sed eunucho et militaribus copiis fultus, exilio et nece Flavianum multavit, Leonis patriarchae romani epistolam sprevit, Domnum patriarcham antiochenum excommunicavit, qui scelus eius improbaverat: Iuvenalem aeque patriarcham hierosolymitanum aspernatus est, praelato his Eutyche, quem uti orthodoxum in honore habuit. Cognita Dioscori fraude, maesti episcopi discesserunt in suam quisque regionem atque stationem, mansitque tantum Dioscorus cum Eutyche et paucis aliis, ceu corvus in nido suo, ceu stryx in maceriis, ceu denique titio ardens in nemore. Ergo a magni Cyrilli aetate, et a priore Ephesi sancto concilio usque ad Dioscori conciliabulum anni effluxerunt ·XVIII· (3); ab hoc autem ad chalcedonense anni duo (4).

15. Quippe iunior Theodosius, tumultu audito quem in ecclesia Dioscorus concitaverat, cuius late perturbatio propagabatur; dum magnopere ob eam rem aestuaret, litteras a Leone patriarcha romano tempestive accepit, qui rogabat imperatorem, ut oecumenicum concilium contraheret, ob firmandam sanctorum veterum patrum traditionem. Mandavit ergo imperator, ut episcoporum conventus fieret. Sed cum ipse eodem anno obiisset, caruit effectu decretum. Mox tamen successor eius Marcianus primo quidem anno imperium ad obedientiam composuit, altero autem praedictum propositum exsequendum curavit.

16. Concludendum est igitur, prout iam supra arguimus, nempe quod si cunctae ecclesiae annis ·CCCCLI· post salutiferam incarnationem (5), usque ad chalcedonense concilium in vera religione fideque orthodoxa perstiterunt, et nutricis instar lac in Christo ceu parvulis praebuerunt orbi terrarum, per doctores inclytos de evangelico fonte manans, quae

(1) De Chrysaphii eunuchi cubicularii gratia apud Theodosium iuniorem legantur etiam fragmenta tusculana Spicil. T. II.

(2) Confer canonem apostolicum ·XIII·, et nicaenum V., apud nos Spicil. T. VII. p. 206. 207.

(3) Cod. XXVIII.

(4) Cod. *quinque.*

(5) Cod. *annis CCCCLXII. post salutiferam resurrectionem.*

res toti mundo manifesta est; qui fieri potuit ut a recto tramite, quem semper tenuerant, aberraverint? Quis credat, quinque patriarchas ad eandem falsam sententiam atque consilium potuisse divertere? Quod si hi reapse a vera fide descivissent, sine dubio a Deo derelicti sanctisque locis fuissent depulsi, haud secus quam populus israëliticus Deo rebellis gloria sua spoliatus est.

17. Nunc iam orthodoxam doctrinam cum illa conferamus Iacobitarum acephalorum, Dioscori Eutychisque alumnorum, qui Christi Dei et hominis unam contenderunt esse naturam, unamque rem putarunt personam esse atque naturam. Certe ex illorum sententia consequitur, ut sanctissima Trinitas non existat: nam si Trinitatis natura una est, uti revera est, unam quoque personam esse opus est: atque ita cum Sabellio conspirant, et cum Petro Fullone, ac Iohanne mairacomensi (1). Secus vero si unum quid sunt persona atque natura, sequitur ut quia tres sunt sanctissimae Trinitatis personae, necessario tres quoque naturae sint, prout vestratium insana sententia postulat, qui hoc pacto cum Ario, Eunomio, et Macedonio consentiunt.

18. Adde quod contraria contrariis excluduntur, veluti bonum malo pellitur, visum caecitas perimit, tenebrae lucem non patiuntur. Ita prorsus in re nostra arguendum est. Si chalcedonense concilium priora tria non admittit, ergo illis repugnat, eademque abolet. Secus vero si ut a constantinopolitano concilio receptum fuit nicaenum, ita chalcedonense tria priora reveritum est; perspicue apparet, hoc cum illis consentire, ac nullatenus esse contrarium. Praeterea leges, regulae, canones, et instituta vel conciliis confirmata fuerunt vel miraculis. Miraculis quidem v. gr. Moysis in Aegypto atque in Erythraeo, vel domini nostri Iesu Christi aegros sanantis, mortuos suscitantis etc. Conciliis autem, veluti illo ·CCCXVIII· patrum, et illo ·CL·, quae unam esse in Trinitate naturam, personas tres, definiverunt, Sabellioque et Ario anathema dixerunt. Ephesi autem patres docuerunt, Mariam virginem esse deiparam, Nestoriumque excommunicarunt. Denique in quarto concilio divinum Verbum de virgine Maria incarnatum adfirmarunt, ac Dioscorum cum Eutyche communione christiana removerunt. Age vero Dioscorus atque Eutyches, quum duo sint, concilium certe non conflant, neque miracula ediderunt, neque eos quisquam prodigiorum auctoritate fultos vidit ut Eliam atque Elisaeum. Cur ergo liceat, omissis ·DCXXX· episcopis chalcedonensis concilii auctoribus, quorum multi concilio quoque ephesino interfuerant, duobus tantum hominibus fidem adiungere? Summa haec certe stultitia foret.

19. Calumniantur praeterea praedictum concilium, quasi id opera Pulcheriae, Theodosii imperatoris sorore, adunatum fuerit, ob ulciscendam

(1) Iohannis mairacomensis crassos errores ab ipsis armeniis scriptoribus fuisse refutatos, narrat ill. ac rev. Archiepiscopus Suniae op. cit. p. 39. et 42, nec non vir summus I. B. Aucherus in praef. et adn ad orat. Ioh. ozn.

Flaviani necem. Atqui haec mera fallacia est: etenim id concilium Dei voluntate, mandatoque Leonis romani pontificis, Anatolii patriarchae constantinopolitani, Maximiani patriarchae antiocheni, ac Iuvenalis patriarchae hierosolymitani, indictum fuit. Hi enim quatuor patriarchae una cum ·DCXXX· episcopis fidei professionem in superioribus tribus conciliis editam confirmarunt, professique sunt unum dominum Iesum Christum in unica persona et hypostasi, ex duabus unitis naturis, ut os obstruerent Nestorio ac Theodoro et Dioscoro: eundemque ex duabus naturis dixerunt, ut iis silentium indicerent, qui deitatem simul et humanitatem Iesu Christi non admittunt, et ipsum unica natura constare dicunt.

20. Reapse Arius docuit creatum esse filium, atque ex Virgine nihil praeter corpus sumpsisse; ideoque unam Verbi creati factique naturam dixit. Sabellius aiebat, divinum Verbum apparenter tantummodo non re vera corpus in mundo sibi circumposuisse; ideoque et ipse unam naturam pronunciavit. Petrus Verbum redactum esse in corpus existimavit, atque idcirco unam naturam fassus est. Photinus ac Paulus samosatensis docuerunt, Christum Iesum initium a Maria sumpsisse; propterea que et ipsi unam esse illius naturam dixerunt. Eutyches ac Dioscorus opinati sunt, Christum Iesum hominis similitudinem tantum gessisse, et per Virginem, instar aquae per fistulam, transisse; ideoque unam Iesu Christi naturam adfirmaverunt. Iulianus halicarnassensis Christi Iesu corpus impassibile dixit menteque carens; atque ob id unicam naturam credebat. Iohannes mairacomensis et Petrus Fullo Christi Iesu coniunctionem cum corpore ante saecula factam docuerunt, atque hinc unam esse naturam. Apollinaris vero docuit, Christum Iesum humanam animam non assumpsisse, sed eius locum a deitate teneri: quare et ipse unius naturae falsum dogma fovit. Sophronius (1) pariter atque Eunomius Iesum Christum humana mente caruisse dixerunt, consequenterque unicam naturam habere. Manes phantasticum Servatoris corpus fuisse, ideoque unicam in eo naturam praedicavit: immo in epistola ad Scythianum narravit, Dei filium apostolis in monte lucis suae perpetuae naturam ostendisse, quia non duas naturas sed unam ex visibili atque invisibili concretam habebat (2).

Heic cessat in armeniaco exemplari epistola Photii, cuius certe clausulam desiderari exploratum est.

(1) Num est Sophronius ille, de quo Photius cod. V? Hic tamen contra Eunomium potius pro S. Basilio scripsit.

(2) Similis huic locus (quod valde miror) extat in oratione Iohannis ozniensis contra phantasticos p. 47.

EIUSDEM PHOTII

EPISTOLA

AD ASUTIUM PRINCIPEM ARMENIORUM.

Illustri, pio, potenti, celsa inter suos dignitate praedito,
Asutio magnae Armeniae principi
Photius patriarcha oecumenicus, per Dei gratiam episcoporum
novae Romae primus

1. Magna nobis cura est, ut veritatis notitiam vobis impertiamur, praesertim quia regionem vestram supernae gratiae tutela fretam scimus, et cum sancta catholica ecclesia copulatam, uno excepto articulo, quod Deo veritatique contrarium fuisse creditis chalcedonense concilium, quum id potius depositionem exiliumque Nestorii confirmaverit, eiusque exsecrabile dogma funditus aboleverit. Etenim quis ignorat laborare stultitia eos, qui chalcedonense concilium respuunt, prorsusque similes illis fieri qui Domino ac Redemptori nostro conviciabantur cum daemones expellebat? Reapse daemonum principes nihil ab iis differunt, qui daemones ab hominibus eiicientem vituperabant. Iam vero quum sanctum illud concilium Nestorio eiusque adseclis anathema dixerit, quis iam dubitat ministrum Satanae esse Nestorium, qui sanctum Ephesi concilium sprevit, seque novae sectae fecit auctorem? Si quartum igitur concilium tertio consentit, cur ei vos maledicitis, atque ut impium traducitis? Cum alioqui compertum nobis sit, amplitudinem tuam Domini frui patrocinio, vosque populum Dei esse, et peregrino quovis dogmate alienum.

2. Attamen ineptos quosdam de hac controversia sermones a vobis scriptos accepimus (1); qui certe nullius momenti evadent, nihilque pravae sententiae posthinc supererit, cum quartum demum concilium haud secus quam superiora debito obsequio prosequemini. Namque et principalis Roma aeque ac nos quarto concilio, ut prioribus, honorem defert: sic item magna Alexandriae sedes, nec non illa Hierosolymorum, sine ulla querela: denique et consecuta postea concilia quintum, sextum, ac septimum. Quis ergo fidei toto terrarum orbe diffusae resistere audeat? De qua fide Dominus dixit: *portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Cavete igitur ab illorum fraudibus, qui nomine tenus Antichristo

(1) Acerbam quandam Armeniorum ad Graecos responsionem sub Asutio principe (hac tamen epistola posteriorem) memorat Serposius T. II. p. 44.

differunt, qui mortiferum animabus venenum propinant, dum eas a sancti Spiritus doctrina datisque eiusdem demonstrationibus avertunt.

3. Quippe hi propter suae mentis imbecillitatem, dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem esse non agnoscunt, id est divina humanaque natura praeditum; atque hac vesania correpti utramque naturam negant. Reapse si illa unica quam confitentur natura simplex est, sine dubio alteram excludunt: sin ex duabus simplicibus est composita, procul dubio harum neutra propriam substantiam retinet, quae in utraque potius perempta est. Age vero, quaenam istorum sententia est? Num compositam illam naturam, a Patris et Spiritus sancti natura distinctam credunt, an secus? Si distinctam negant, blasphemia sua obruuntur, quia Patris natura composita evaderet. Sin contra distinctam aiunt, en Filius paterna natura caret: quod qui affirmant, iam apparet quonam se praecipites proruant. Quis vero ex divinis libris demonstrationes huius dogmatis omnes coacervare queat, quas iam sanctus Spiritus per quartum concilium ceu invicta argumenta, ob firmandam fidem, adversarios profligandos, atque horum dissipanda consilia, exposuit? Praeter quam quod si ad vulgarem hominem hanc epistolam scriberem, multis veritatem verbis opus esset explicare: vestrae tamen amplitudini ac sapientiae, vestroque veritatis et concordiae studio, quae hactenus dixi sufficiunt: praesertim quia ad supremum quoque antistitem vestrum diu nec semel hac de re scripsi (1).

4. Vestram igitur amplitudinem obsecramus, ut sanctis conciliis ducibus, pura in fide pedem figatis, neque a communiore via deerretis, sed in ea recto tramite ambuletis. Nam qui unam profiteri in Christo Iesu naturam audet, is Eutychis in se damnationem provocat, et opinione Sassanitarum (2) corruptus, uni capiti subesse renuens, fit polycephalus, et Manetis simul discipulus. Praeterea qui duas in Christo distinctas naturas non fatetur, sed duas potius personas adstruit, is in Nestorii poenam incidit. Quamobrem Dei ecclesia, utroque errore refutato, haeresim a suis septis repulit, atque unam domini nostri Iesu Christi personam confessa est, duasque naturas distinctas et inconfusas (3); atque illis adversata est qui deitati passiones attribuunt.

5. Da ergo operam, magne Princeps, ut Iesu Christi populum doceas, atque ad verae fidei professionem adducas (4): neque enim quicquam

(1) Hinc cognoscimus, non semel Photium ad Armeniorum patriarcham scripsisse, quod revera dicit etiam Serposius Compend. hist. T. II. p. 44.

(2) Innuit Abdiscii syri monophysiticam sectam, quem de Sassane in Armeniam venisse ait Photius in praecedente epistola n. 2.

(3) Permanentes scilicet, atque ita nominandas etiam in hypostatica unione. Neque enim unio iustam causam praebet heterodoxis, ut unam pro duabus dicant naturam. Heic porro, ut arbitror, controversiae demum cardo vertitur; huc omnis adversariorum subtilitas et tergiversatio quaerit effugium; ut ubi nos dicimus unum Christum, ipsi unam adfirment naturam.

(4) Quemadmodum heic Photius ad orthodoxiam hortatur Asutium prin-

Deo carius est, quam ut ipsum vera cum notitia agnoscamus, professione orthodoxa glorificemus, magnanimoque et constante amore in his perseveremus. Sic quippe maiore semper progressu auctus, et divinae gratiae tutela adversus hostes munitus, et a periculis insidiisque tutus, aliorum instar sanctorum regum, utramque felicitatem consequeris, praesentem scilicet et futuram, Deiparae reginae inclytae sanctorumque omnium intercessione. Excellentiae et magnanimitati tuae, spiritalis monumenti gratia, venerabilis ac salutaris crucis particulam mittimus (1).

Reliquum est, ut pro hoc duplici Photii scripto gratiae agantur RR. Patribus monasterii veneti Mechitaristis, qui splendida morum honestate, bonorum officiorum multitudine, plurima litterarum scientia, editis tot civilis sacraeque doctrinae libris, quotidiano denique ampliandae orthodoxiae studio, optime de gente sua et de catholica ecclesia meriti sunt.

cipem, ita post quadringentos ferme annos adhortabatur similiter Haitonem Armeniorum regem Manuel II. patriarcha graecus, in epistola de qua nos supra p. 447. verba fecimus, cuius particulam latine recitabimus. *Ego igitur Manuel oecumenicus patriarcha, et qui mecum sunt magnae sanctaeque synodi sacratissimi antistites, dilectique Christo sacerdotes, fratres mei in Domino et simul ministri, Deum orantes optamus, te in primis illuminari, nobilissime et felicissime rex splendidissimae Armeniorum gentis; deinde et omnes tibi subiectos. Tu es enim illorum caput; capiti autem membra reliqua et corpus obsecundare necesse est. Iam si in capite vis intelligendi videndique residet, prorsus oportet, hoc primum rectam religionem agnoscere, veritatisque lumen recipere. Veritas enim Christus est, isque veros sui adoratores, qui ipsum in duabus naturis subsistentem, totidemque operationibus ac voluntatibus praeditum, in unica persona, praedicant, sancto Spiritu ac veritate illuminat, suique caelestis regni facit heredes. Quod si illa, quae in capite tuo est, cernendi et olfaciendi facultas, altera quidem veritatem dispiciat, altera autem duarum in Christo naturarum veluti sensum percipiat; ceteri consequenter, qui tibi auscultant, tuorumque beneficiorum gustu fruuntur, huiusmodi sensibus ducti, rectum dogma admittent, atque ad nostram communionem accedent* etc. *Dominus Deus noster, qui adest cunctis invocantibus se, qui misericordiae suae miracula ostendit, et dispersa omnia ad unitatem deducit; is utinam tuam nobilissimam potentemque regiam personam cum ecclesia nostra coniungat! eosque omnes qui in fidei unitatem confluxerint, abs qualibet adversitate tueatur!* etc.

(1) Animadvertamus morem donandi sacras reliquias.

CATALOGUS
OPERUM ET FRAGMENTORUM
QUAE DECEM TOMIS COMPREHENDUNTUR
SPICILEGII ROMANI.

TOMUS I.

TOMUS II.

TOMUS III.

TOMUS IV.

TOMUS V.

TOMUS VI.

TOMUS VII.

TOMUS VIII.

TOMUS IX.

TOMUS X.

pta. Item excerpta ex secundo eiusdem libro ad Iulianum praedictum. Excerpta haec constant locis ineditis priscorum Patrum. P. 169-200.

5. Praedictorum Severi et Iuliani graeca fragmenta, cum notitia. P. 201-211.
6. Eiusdem Severi antiocheni homilia de beata Virgine Maria, lat. ex codice syriaco. P. 212.
7. Severiani homilia de pythonibus et maleficis, cum praevia notitia. P. 221.
8. Ex chronico syriaco Dionysii telmarensis fragmentum de baptismo Iudaeorum. P. 224.
9. Poggii florentini senioris epistolae selectae CIII (confer p. 312.) insertis Guarini tribus. P. 225-371.
10. Notitia opusculi Iohannis Poggii ad Leonem X. P. 371-372.
11. Poggii senioris oratio in funere Cardinalis Iuliani Caesarini. P. 373-384.
12. Episcopologii vratislaviensis supplementum. P. 384-392.
13. Leontii opuscula graeca quatuor, quae hactenus nonnisi latine extabant, videlicet contra Nestorianos, Eutychianos, Severianos, Incorrupticolas et Apollinaristas. Part. II. p. 1-151.
14. S. Nicephori patriarchae constantinopolitani excerpta duo graeca, quae antea nonnisi latine edita fuerant, videlicet capitula XII. contra Iconomachos, et disputatio contra eosdem de cultu imaginis Iesu Christi. P. 152-160.
15. Nicolai I, cognomento mystici, patriarchae constantinopolitani, epistolae CLXIII, historiae tum sacrae tum politicae perutiles, graece. P. 162-440.
16. De variis Graecorum religiosis tractatibus cum Armeniis. P. 440-448.
17. Photii patriarchae epistolae duae, quarum prior ad Zachariam patriarcham Armeniorum, altera ad Asutium eorumdem Armeniorum principem. P. 449-462.

IMPRIMATUR.

Fr Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Mag.

Joseph. Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.